ENCHYRIDIUM, SIVE MANUALE SACERDOTUM DE SACRIS MYSTERIIS, ...

Antonio : da Caiazzo, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

32
8 G
13



SACROSANCTA MISSÆ MYSTERIA.

ENCHYRIDIVM,

SIVE

MANVALE SACERDOTVM

DE SACRIS MYSTERIIS,

Quæ in Venerabili Miſſæ Sacrificio peraguntur;

QVOD RATIONALE DICITVR.

Vbi in calce appendix de Valore Miſſæ, merito, & demerito, dignè, & indignè offerentium.

R.P.F. ANTONII MASSA CALATINI, SEV À CALATIA
Sacrę Theologię Profeſſoris, Ordinis Minorum Strictioris Obſeruantiæ, Prouinciæ Terræ Laboris.

NEAPOLI, Typis Hæredum Roncalioli, Apud Carolum Porſile 1682.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

ENCHYRIDIVM

SIVE

MANVALE SACERDOTVM

DE SACRIS MYSTERIIS

Quæ in Venerabili Missæ Sacrificio peraguntur;

QVOD RATIONALE DICITVR.

Vbi in calce appenditur de Valore Missæ, meritis, & numeris, digne, & indigne offerentium.

R. P. F. ANTONII MASSA CALATINI, SEV A CALATIA
Sacr. Theologiæ Prof. Fratris Ordinis Minorum Strictioris
Obseruantiæ, Prouinciæ Terræ Laboris.

NEAPOLI, Typis Herculani Roncalioli. Apud Carolum
Porsile 1685.

SVPERIORVM PERMISSV.



Digitized by Google



MINORVM PATRIARCHÆ

FRANCISCO ASSISIATI

VIRO SERAPHICO,
CATHOLICO, APOSTOLICO,
CELSA HVMILITATE CONSPICVO,
CHRISTIANI ORBIS FVLGIMENTO,
ECCLESIÆ CATHOLICÆ REPARATORI,
Corpore nec viuente , nec mortuo ; Chriſti Crucifixi plagarum, clauorumq; inſignibus admirando.

Fr. Antonius Maſſa Calatinus , ſiue à Calatia ex Minoribus minimus.
D. D. D.

BOna puerorum Indoles ad optimos mores incitãs, quidquid in illa puerili ætate ad manus peruenire ſolet, dilectis parentibus ſemper hilari animo offerre non dubitat ; Qui puerile donum paterno ex corde extimantes , quanquam parui momenti illud verè exiſtat, ſummo affectu accipiunt , quia non offerens à muneribus , ſed munera ab offerente, vt plurimum, placere ſolent. Offerentes autem pupilla cordis extimantur , ideò donum pretioſiſſimum iudicatur, nam à nobiliſſima eorummet portione offertur. Filij enim melioris ſubſtantiæ parentum partes obtinẽt, ideò maximè lætantur parentes de munere,& nimis gaudẽt,imò exultant de puerili exhibito affectu;at ſi aliquando gemmam pretioſam,casù deperditam in domo, ipſe puer inuenerit, & parentum manibus ſtatim conſignare non differt., viſceralis parentum affectio latè in puerum diffunditur ex duplici ſtimulo , & quod puer debitum præſtet obſequium , & quod nota proprietatis non afficiatur deformitèr. Ego autem Seraphice Pater,omnium Minorum tuorum verè minimus , & tanquam viliſſimus

puer, inutilis nimis; tamen in grege tuo dilectiſſimo, gratia Dei, & tua aſſiſtente tutela per quadraginta annos, & amplius, vixi indignè, & ſicut inquit Iſaias c. 26. v. 12. *Omnia opera noſtra operatus eſt nobis Dominus.* Obſeruantias Regulæ tuæ, & Religionis Seraphicæ Inſtitutiones, quas per iſtud tempus exhibui, veſtro adſcribo adiutorio, tamen debilitatem meam perſpicuè conſiderans, omnia, muneribus puerorum comparaui, & ſicut talia veſtræ Seraphicæ charitati confidentius ſemper offero ardentèr; nam veſtris meritis, per ipſa confido. veniam culparum mearum à ſummo Deo misericorditèr cõſequuturum. Sicut in ipſo actu meæ profeſſionis per Superiorem, in hoc ipſo Conuentu, in quo hæc ſcribo, ex tua vice promiſſum fuit, dicentem mihi poſt ſolemnem votorum emiſſionem. *Si hæc obſeruaueris, promitto tibi vitam æternam.* In hac autem mea ſenili ætate, ex Diuinæ pietatis potius diſpoſitione, quàm naturali induſtria, Tractatum iſtum de Sacroſanctis myſterijs, quę in Venerabili Miſſæ Sacrificio per cæremonias ſacras inſinuantur, laboribus plurimis, per ſpatium multorum annorum, cum ſudore perfeci; velut gemmam pretioſam Tibi Patri meo dilectiſſimo, licet filius indignus, ex toto corde meo dono, dico, & ad perpetuam rei memoriam dedico; Myſteria namque ſic ſancta continet, vt ad feruorem deuotionis aridum cor mortalium, præcipuè Eccleſiaſticorum, facilius excitet, & dignos tanto ſacrificio miniſtros efficiat, de quo prouectu cum tota cœleſti Curia maximè delectaris. Scio enim veſtram charitatẽ, qua dum in hac mortali vita degebas, ſemper ſalutaria monita dare ſolebas, fratribus præcipuè, vt Regulam S. Euãgelij, quàm promiſerant, firmiter obſeruarent, circa Diuina officia, & eccleſiaſticas ſanctiones eſſent feruentes, reuerentes, & deuoti, cum cordis humilitate audientes miſſam, & Corpus Domini deuotiſſimè adorantes; Sacerdotes ipſos, qui ſanctiſſima tractant, & miniſtrant Sacramenta, ſummo haberent in honore, caput profundè coram eis inclinarent, manus oſcularentur, cum reuerentia, & ſi fieri poſſet, etiam equorum, quibus inſiderent pedes lamberent, propter reuerentiam poteſtatis ipſorum. Hinc fuit, vt ſi aliquando, propter officium tui regiminis, aliquos Sacerdotes ordinis noſtri arguere oportuiſſet, de quocũq; defectu, ſemper in occulto admonuiſti, vt in Annalibus minorum ad an-

num

num Chriſti 1212. latè refertur; ſemper cum ipſis te gerens, pijſſimum patrem, non autem ſeuerum Iudicem vſque in finem mortalis vitæ tuæ, in quo agonizans, reuerentiam, & honorem ergà Sacerdotes, propter myſterium altaris, quod tractant, omnibus fratribus tuis grauiter iniunxiſti, manifeſtando tui cordis, in ipſis, fidem, deuotionem, & reuerentiam, his proprijs verbis: *poſtea Dominus dedit mihi tantam fidẽ in Sacerdotibus, qui viuũt ſecundùm formam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, propter Ordinem ipſorum, quod ſi facerent mihi perſecutionem, volo recurrere ad ipſos: & ſi haberem tantam ſapientiam, quantam Salomon habuit, & inuenirem pauperculos Sacerdotes huius ſæculi, in Eccleſijs, in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipſorum; & ipſos, & omnes alios, volo timere, amare, & honorare ſicut Dominos meos, & nolo in ipſis conſiderare peccatum, quia Filium Dei diſcerno in eis, & Domini mei ſunt.* Et ſubdens tantæ extimationis cauſam dixiſti. *Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc ſæculo de ipſo Altiſſimo Filio Dei, niſi Sacratiſsimum Corpus eius, & Sanctiſsimum Sanguinem ſuum, quem ipſi conficiũt, & ipſi ſoli alijs adminiſtrant.* Quæ verba viſcerali charitate plena, & lege teſtamentaria fratribus tuis tradita, ſic in corda eorum radices fixerunt, vt ſemper, & vbique, qualibet ſexta feria, ſimul cum ſacra Regula, coram omnibus fratribus leguntur, & euangelizantur, vt tanti honoris, fidei, & reuerentiæ erga Sacerdotes, ſemper iugis memoria in eis maneat, & excitetur.

Quid enim mirum, Seraphice Pater, ſi tanto erga Euchariſtiã ardenti charitatis igne æſtuabas, vt quando humillimo corde ad ſacroſanctam ſynaxim, quod ſæpius erat, accedebas, tãto feruore, & deuotione ſcatebas, vt omnes aſtantes, cuiuſuis ſtatus, & conditionis ad feruorem, deuotionemq; excitabas, & inflammabas; & ſicut ignis ardens ex ſua efficaci actiuitate, agit etiam in diſtans. Sic omnes tuum aſpicientes vultum, ignis euchariſtici ardore ſuccenſum, omnes ſimiliter æſtuabant, & ſuccendebãtur ad tanti myſterij amorem, & frequentiam.

Quando autem infirmitatibus, & doloribus, in lectulo affectus non poteras alios exemplis ædificare; ſaltem verbis dulciſſimis ad reuerentiam, & honorem tanti myſterij enixè petebas inflammare, vt apparet ex epiſtola ſcripta ad Capitulum gene-

rale fratrum tuorum anno Chriſti 1226.n.10. *Deprecor*,inquis, *omnes fratres cum oſculo pedum,& cum charitate, qua poſſum, vt omnem reuerentiam, & omnem honorem, quantumcumq; poteritis, exhibeatis Corpori, & Sanguini Domini noſtri Ieſu Chriſti,in quo, quæ in Cælis,& quæ in terris,pacificata, & reconciliata ſunt Omnipotenti Deo. Rogo etiam in Domino omnes fratres meos Sacerdotes,qui ſunt,& erunt, & eſſe cupiunt Altisſimi,quod quandocumq; voluerint miſſam celebrare, puri, & purè faciant, cum reuerentia, verum ſacrificium Sanctisſimi Corporis,& Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſancta intentione,& munda, non pro vlla terrena re,neque timore,vel amore alicuius hominis, quaſi placentes hominibus: ſed omnis voluntas , quantum adiuuat gratia Omnipotentis,ad eum dirigatur,& ſoli ipſi Deo ſummo tantùm placere deſideretis, quia ipſe ſolus operatur ibi, ſicut ſibi placet ; quoniam ſicut ipſe Dominus dicit. Hoc facite in meam commemorationem; ſi quis aliter fecerit Iudas traditor efficitur.*

Memor ſum Seraphice Pater,& obliuiſci nequaquam poſſum tuæ magnæ humilitatis erga hoc ſacroſanctum myſterium, quãdo ſæpè ſæpius à tuis fratribus ſolicitatus,ad munus ſacerdotale ſuſcipiendum,vt tantùm ſacrificium ritè poſſes celebrare; ad tot fratrum tuorum repetitas inſtantias,longa,& aſſidua oratione munitus,reſponſum à Domino anxius expectabas; à quo per Angelum ſuum admonitus de ſumma puritate , qua callere debet Sacerdos , ampullam puriſſimi , & limpidiſſimi liquoris tibi oſtendit;ex quo,propter tuimet viliſſimam extimationem,à tanta abſtinuiſti dignitate;relinquens nobis Sacerdotibus exemplũ memorabile,ad magnam noſtram confuſionem, & abiectionem, qui toto conatu ad tantam dignitatem aſpiramus ; & nihilominus Sanctiſſime Pater erga euchariſtiam amore omnium medullarum,ardentiſſimè flagrabas,ſtupore admirans permaximè tantam chariſſimam dignitationem,& dignatiſſimam charitatẽ Saluatoris noſtri. Sed *Qui in altis habitat,et humilia reſpicit in Cælo,et in terra*.pſal.112.v.6. tam amanter tuiipſius abiectionem, & humilitatem in corde ſuo diuino recondidit, vt propterea ad te de Cœlo venerit Rex ipſe Angelorum , & ſicut Sacerdos in æternum corpus tuum in altari Seraphicæ charitatis modo ineffabili ſacrificauit; quando in myſtico Caluariæ monte, teipſum,

quaſi

quaſi alium crucifixum per manus ſui diuini amoris mirabilitèr immolauit, corporalitèr tibi imprimendo inſignia ſuæ acerbiſſimæ paſſionis. Et quia ex humilitatis impulſu ſacrificare incruentèr renuiſti corpus de Virgine natum. Ipſe tu Virgo, ex charitatis ſtimulo, ſacrificium eſſes cruentatum illius, qui ex Spiritu Sancto conceptus de Virgine naſci dignatus eſt.

Ex radice enim fecunda ad ramos tranſmittitur humor vitalis, ex quo folia, flores, & fructus in ramis apparent, & arbor tota iucunda, & delectabilis redditur oculis Domini ſui; ex maximo, & ardentisſimo tuo feruore, erga euchariſtiam, trāſmittitur in tuis filijs ardor pietatis, & charitatis in hoc venerabile myſterium, vt non ſolùm Sacerdotes asſiduè eius quotidiana refectione ſpiritualitèr nutriantur; ſed etiam & laici, imò & tertiarij, ex præſcripto ordinis, omnibus diebus Dominicis, & feſtis anni, imò qualibet quinta feria, vel ſaltem bis in hebdomada, tenentur ad hanc cœleſtem menſam deuotè accedere. Quod obſequium, quantùm Diuinæ Maieſtati placitum fuerit, ſolemni miraculo inuenimus comprobatum in noſtris Annalibus ad annum Chriſti 1222. vbi hæc habentur. In Conuentu S. P. Franciſci Ciuitatis Caietæ, in Regno Neapolitano præparauerant ſe duo fratres laici pro ſuo modulo, vt ſacram communionem, cum cæteris fratribus, de religioſo more, in die Cœnæ Domini faciēdam: cumq; nihil minus cogitarent, à loci Guardiano (vrgebat ſiquidem necesſitas) panem mendicaturi in Ciuitatem mittuntur; Qui tandem tardius domum reuerſi, cum & diuinum officiū perſolutum, & reliquos fratres menſæ aſſidentes inueniſſent Eccleſiam, vbi venerabile Chriſti Saluatoris Corpus, de more aſſeruabatur, contempta refectione, petunt, ibiq; ſuas vices, quod ſacra communione in tanta ſolemnitate priuarentur, miſerrimè dolentes, gemitibus, & ſingultibus anxius vacabant. Dumq; nihil minus cogitarent, ex ipſa Arcula, qua ſacroſancta Euchariſtia recondebatur, grauiſſimus, pulcherrimus, ac compoſitus iuuenis proſilijt, qui aſſerens ſe Chriſtum Dominum eſſe, eorum vtriq; ſacram communionem porrexit, ſtatimq; locum vndè prodierat repetijt. Extant adhuc vēſtigia pedum ipſius, pauimento eius ſacelli, in quo hoc contigit, impreſſa, atque ferreis craticulis contecta; & loca vbi ipſi fratres orabant flexis genibus alijs

can-

cancellis occluſa, qui meritis, & bonis operibus locupletes in in eodem Monaſterio obierunt, vbi habentur in veneratione.

Hinc eſt, quod in toto Seraphico ſodalitio, qualibet quinta feria, feſto nouem lectionum non impedita, ex Pontificio indulto, officium corporis Chriſti, ſub ritu ſemiduplici, celebratur, ob ſingularem memoriam tanti myſterij, quod ardenti charitate ſemper es proſecutus. Tres enim Ordines, Seraphico inſtinctu, in Eccleſia catholica inſtituiſti Sanctiſſime Pater, ſcilicet Fratium, Dominarum pauperum, & fidelium vtriuſq; ſexus; ſic enim cantamus in die ſolemnitatis tuæ. *Tres ordines hic ordinat, primũq; fratrum nominat minorum; pauperumq; fit Dominarum medius; ſed pœnitentum tertius ſexum capit vtrumque*; & regulas pro vnoquoq; ordine diuinitus iam dediſti; in prima enim Regula multa ſanctè, in duodecim capita diſtincta, præcipiendo, & monendo, ſecundùm diuina conſilia Sancti Euangelij, ſanxiſti; nihil tamen, circa obſequium euchariſtici myſterij, in ea ſignaſti; in alijs verò duabus, & capita ſingularia, & pręcepta præcipua, atq; monita ſalutaria circa obſequium, & frequentiam huius ſalutiferæ refectionis tradidiſti, vt clarè apparet in cap. 3. Regulæ Damianitarum, & c. 13. in Regula tertij ordinis, ſicut latè refertur in Annalibus noſtris. anno Chriſti 1221. & 1224. hoc autem nihil aliud innuit, niſi quod tua deuotione flagranti, ſic imbuiſti fratres tuos, vt nulla neceſſitas, aut congruentia aliqua te impulerit ad obſequium, & frequentiam tanti Sacramenti ſingulares ſanctiones circa fratres inſtituere; nã ſine ipſis, feruet in eis tuus ſeraphicus ardor pietatis, & religionis in hoc ſacroſanctum myſterium. Cui notus nõ eſt feruor dilecti filij tui Antonij Patauini circa hoc myſterium; nam cum aliquando in diſputationem acerrimam de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento incidiſſet cũ Hæretico quodam, nomine Guialdo; iam penè vicerat hominem ſacris rationibus, & argumentis; parumq; aberat, quin ille ad catholicã veritatẽ accederet, cũ poſt multa, & varia, per quę elabi nitebatur, argumenta, in hæc verba ille prorupit. Miſſa faciamus verba, & ad res veniamus? Si tu miraculo teſtatum efficere poteris in Euchariſtia verum haberi Corpus Chriſti, omni perfidia abiurata, mox ceruicem meam catholicæ fidei ſubmittam. Reſpondit vir Dei cum multa fiducia. Confido in Chriſto Salua-

uatore meo, pro tui, & aliorum conuerſione, id quod poſtulas ab eius miſericordia impetraturum; Tum ſurgens hæreticus, & manu ſilentium indicens, ait. Ego iumentum quoddam triduana inedia macerabo, poſt triduum verò producam illud in Populi conſpectum, & paratas eſcas oſtendam illi, tuq; ex aduerſo ſtabis cum pane illo, quem dicis Corpus Domini; ſi iumentum, poſthabito pabulo ſuo, properabit ad adorandum Deum ſuum; ad Euchariſticã fidẽ totus accedã. Aſſentit his verbis, ſine mora, vir Dei; iamque dies præfixus aderat, & in plateam latiſſimam vndiq; fiebat hominum cõcurſus; adeſt etiam vir Dei Antonius ingenti catholicorum frequentia ſtipatus; nec abeſt Hæreticus cum nequiſſima ſuorum caterua. Propè aderat ſacellũ, in quod vir ſanctus ingreſſus, cum multa deuotione obtulit miſſæ ſacrificium: & peracto, ingreditur ad Populum, cum ſumma reuerentia geſtans in manibus Corpus Domini. Producitur è conclaui mulus nimis famelicus, iam triduana inedia benè maceratus, cõgruumq; illi pabulum offertur; tum imperato ſilentio, vir Dei cum multa fiducia bruto illi animanti, ità dixit; *In virtute, & nomine Creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, reuera teneo, tibi præcipio, vt confeſtim humiliter huc accedas, & eam, quam par eſt, illi præſtes reuerentiam; vt hinc perſpicuè intelligat peruerſitas hæreticorum, omnem creaturam ſubdi ſuo Creatori, quem dignitas ſacerdotalis in altari contrectat.* Nec dum Chriſti ſeruus dicendi finem fecerat, & ecce iumentum illud, neglecto pabulo, vſque ad poplites ſubmiſſo capite, acceſſit, & coram illo viuifico Corporis Chriſti Sacramento genua curuauit. Mox immenſo gaudio exultant catholici, hæretici animi dolore contrahuntur; laudatur, & benedicitur præpotens Deus, fides catholica extollitur, hæretica prauitas pudore, & opprobrio afficitur ſempiterno. Hæreſiarcha autem ille, coram omnibus, abiurata perfidia, ſanctæ Eccleſiæ mandatis deinceps paruit, et tractis poſt ſe ad Chriſtum, parentibus, inſignem Eccleſiam in S. Petri honorem conſtruxit. En obſequium pietatis, feruor amoris, fructus fidei, ſpei, et charitatis erga Euchariſtiam in Antonio filio tuo dilecto; omnia à tua diſciplina, à tuo exemplo, à tuis monitis recognoſcit Antonius, et ſicut alter Eliſeus, tua duplici virtute, et ſpiritu imbutus, vicit hæreticam prauitatem, fidem catholicam propagauit,

gauit,

gauit,et ſanctiſſimæ Euchariſtiæ gloriam, et obſequium per ſæcula magnificauit.

Nequaquam ſilentio præteribo illud humilitatis meritum, quo amantiſſimum filium tuum Bonauenturam, cognomento Doctorem Seraphicum, Deus omnipotens locupletauit, vt notatur in Annalibus minorum anno Chriſti 1243. hic enim æmulator exiſtens tuæ humilitatis, erga frequentiam Euchariſticæ refectionis, aliquando ab ipſa humilitèr abſtinebat, ſed abſtinēdo, magis ſeraphicè ardebat eius deſiderio, et dùm miſſam audiret, et paſſionem Domini meditaretur, Deus omnipotens, qui humiles reſpicit è vicino, particulam conſecratæ hoſtiæ de manu celebrantis, per Angelum acceptam, illius ori clementèr immiſit; intellexitq; vir Dei ſcrupuloſum timorem circa communionem Corporis Chriſti debitè factam, fore deponendum; ideò anxius humilitate prẹditus, confidentius ad ipſam accedebat. ecce æmulatores tuæ humilitatis, *quomodo cōputati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt*. Sap. 5. u. 5.

Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius, pſal. 105. u. 2. tantus ardor charitatis, & tam grandis fuit zelus in filijs tuis, Seraphice Pater, erga Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vt Conuentus totus Brile Olandiæ pro eius honore, & fide anno Chriſti 1572. ab hæreticis, qui præſentiam realem Chriſti in ipſo negabant, martyrio crudelitèr affectus eſt; qui omnes numero vndecim, miraculis clari, à Clemente X. Summo Pontifice anno eiuſdem Chriſti 1674. in Sanctorum numerum relati ſunt, & propter egregiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ confeſſionem, omnes cum Euchariſtia in manibus, triumphali honore, repræſentantur. Labores, fructus, et magnā animarū ſalutē, per filiū tuū Cherubinum à Spoleto, Apoſtolicū Concionatorem communitèr dictum; quis enarrabit, qui ſolo Euchariſtiæ obſequio, et deuotione fretus, vitia extirpauit, prauos mores abiecit, rixas, & odia conciliauit, peccatores ad pœnitentiam allìcuit, pios verò ad perfectionem accendit, vt fermè totam Italiā paucis in annis reformauerit, eo quod in omnibus ſuis ſermonibus, laudes, encomia, & fructus vberrimos Euchariſtici Sacramenti ſemper extollebat. Hinc Populi, Cherubini incitati feruore, ad ſacroſanctam ſynaxim accedebant frequentèr, & deuotè;

& tan-

& tantùm myſterium ſic proſequebantur affectu, & deuotione, vt non ſolùm lampadæ plurimæ ante quodlibet altare Sanctiſſimi Sacramenti accenderentur continuè; ſed etiam in vnoquaq; Ciuitate, pagis, & terris, erigerentur ſodalitia deuotorum chriſtianorum, ſub titulo Corporis Chriſti, & omnes, ad ſignum campanæ, cateruatim currebant, accenſis cum luminibus, ad aſſociandum Corpus Dominicum, cum ad infirmos portaretur; quæ omnia, vt narrat historia, prius non ſolùm non fiebant, ſed etiam nimis tepida erat deuotio fidelium circa obſequium, & venerationem Corporis Chriſti. Imò inſtituit Cherubinus, vt in aliqua die Dominica cuiuslibet menſis, celebraretur vbiq; ſolemnis Miſſa de Corpore Chriſti, in quo Populus illius loci cõueniret, ad Sanctiſſimi Sacramenti obſequium, & honorem. Ipſe autē Cherubinus ad tantam perfectionem, & ſanctitatem, per ipſam deuotionem Sanctiſſimi Sacramenti, peruenit, vt & prophetiæ dono, cęlitus illuſtratus fuerit, & miraculis clarus extiterit in vita, & in morte, in qua, ab Angelis anima ipſius viſa eſt in Paradiſum glorioſè deduci, in cuius obuiam apparuerunt ſexaginta ſex mille animæ, quæ illius opere, & feruentiſſimis concionibus ſaluatæ erant; ſicut fuſius in eius vita habetur, & in noſtris chronicis notatur. Indè fuit, vt pia fidelium deuotio eũ pingebant cum calice, & hoſtia in manibus, materia ſacrificij eucharistici, propter elogium ſuæ deuotionis, & obſequij erga Corpus Dominicum.

Poſt ſanctam Inſtitutionem tui Cherubini, ſemper viguit inter fideles deuotio circa obſequium Corporis Chriſti, præcipuè cum ad infirmos defertur; ſed iſtis temporibus magis inoleuit, maximè in hac Ciuitate Neapolis vbi hæc ſcribo; nam hic ad ſignum feſtiuum campanarum, omnes cuiuſuis ordinis, & conditionis, nobiles, & ignobiles, eccleſiaſtici, tam ſeculares, quàm regulares cuiuſuis ordinis, & inſtituti, accedunt ad pium hoc obſequiũ; & magnæ in ſæculo ædificaionis eſt videre Sacerdotes regulares cum ſuperpelliceo, quaſi celebraturi eſſent ſolemnitatem Corporis Chriſti, haſtas baldachini deuotè manibus geſtantes, imò in multis Parochijs muſici ſtipendijs ducuntur, qui melodicè, & ſymphonicè deuotè comitantur ſocietatem Corporis Chriſti, quando ad infirmos procedunt, & quia plu-

ries ex obedientia ſuperioris ego ipſe vnus de ſocietate adfui, hiſce oculis perſpexi viros nobiles, imò & primates, etiam ex primis dignitatibus, fortuitò obuiantes his ſocietatibus, ſtatim ex proprijs curriculis egredi, & Corpus Chriſti pedeſter, humilitèr, & nudato capite aſſociare cum alijs ad infirmos, quibus fortè ſi pauperes erãt congruenti eleemoſyna, libenti animo ſuffragabantur.

Seraphice Pater huc vſque ſufficiat incompoſitus diſcurſus feruoris, & deuotionis erga Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramẽtum tuæ Minoriticæ Prolis; quæ omnia ad voluntatis feruorem ſpectant. Libeat autem dicere aliquid de lumine intellectus, quo circa hoc myſterium, & eccleſiaſticos ritus, filij tui multa ſcripſerunt, labores multos impenderunt, & ad poſteritatis memoriam digna, & egregia reliquerunt. Primus omnium fuit vir egregius Haymo Anglus, quarto loco in gubernio totius ordinis dignè tibi ſuccedens, doctrina, prudentia, & ſanctitate præclarus, qui ob virtutum merita *Speculum honeſtatis* nuncupabatur, hic enim vnus fuit ex illis, qui iuſſu Gregorij Noni Summi Pontificis Breuiarium, & Miſſale Romano ritu correxerunt, & in eam penè formam, qua nunc ſunt reduxerunt, atque illis rubricis, quas (auctas tamen) adhùc in vſum habemus, illuſtrarunt. De miſſæ autem cæremonijs ipſe librum ſcripſit, qui incipit *Indutus planeta Sacerdos.*

Poſt Haymonem plurimi filij tui zelo, & feruore præditi erga Miſſæ ſacrificium plura ediderunt volumina circa ritus, myſteriaq; eius, quorum cathalogus refertur à minorum cronologo; ſed pro deuota memoria tantorum virorum, qui inter cætera inſignia opera, quæ ediderunt, tractatum hũc de myſterijs, & ritibus Miſſæ, & Eccleſiæ catholicæ intexuerũt, ęquũ.n. eſt hic leuiter de eis mentionem facere. primus omnium ſit Alexander Alenſis, alias de Hales, qui propter ſolidiſſima in omni genere doctrinæ fundamenta, & inuincibilem in ſuis ſententijs veritatem. *Fons vitæ, Doctor Doctorum, & irrefragabilis* eſt appellatus; Hic enim ſcripſit de ritibus, & myſterijs Eccleſiæ, in quibus plura, & digna de myſterijs miſſæ inueniuntur.

D. Bonauentura, eius diſcipulus, Doctor Seraphicus, cuius laus eſt in Eccleſia catholica, qui in Religione tua eo vixit morum

rum candore, & conuerſationis ſuauitate, vt ſupradictus Alexander eius magiſter dicere ſoleret, ſibi videri Adamum in Bonauentura non peccaſſe; iſte enim inter maxima volumina, quæ edidit, & tractatus duos compoſuit, vnum de expoſitione miſſæ, alterum verò de præparatione Sacerdotis ad Miſſam.

Vincentius Conuentrienſis Anglus, vir fuit pietate, & doctrina celebris, inter alia, quæ ſcripſit, in primis expoſuit ea, quæ in ſancto miſſæ officio peraguntur.

Gulielmus de Tornaco Theologus *Pariſienſis*, qui ab Alexandro IV. Summo Pontifice excitatus ad ſcribendum, plura edidit volumina, inter quæ tractatum de officio Epiſcopi, deq; cæremonijs Eccleſiæ, & habetur tomo 13. Bibliot. veterum Patrum editionis poſtremæ Colonienſis.

Alius Gulielmus Bernardi, belga, ſingulari pietate, ac inculpatiſſimis moribus; in antiquitatibus eccleſiaſticis egregiè verſatus, ſcripſit, inter alia, de ritibus catholicæ Eccleſiæ.

Item alius Gulielmus à Gouda Theologus, magnæ vir Religionis, & virtutis, ſcripſit expoſitionem myſteriorum miſſæ anno 1504. Deuentriè, & Antuerpiè in fol. apud Matthęum Gœſium.

Ioannes Garcia Hiſpanus Regularis Obſeruantiæ *P*rouinc. duodecim Apoſtolorum, in Regno Peruano apud Indos Occidentales, edidit explicationem omnium myſteriorum, quæ in miſſæ ſacrificio peraguntur, limæ anno 1641.

Alius Ioannes Alcozer, etiam Hiſpanus, & Regularis obſeruantiæ, Prouinciæ Angelorum, edidit tractatum compendioſum, & vtilem de cæremonijs miſſæ; inter eos, qui de ſacris ritibus tractant, valdè acceptum.

Petrus Reueillaudi, Prouinciæ Aquitaniæ miniſter, ſcripſit exortatorium cordis pij chriſtiani, in quo agitur de circumſpecta miſſæ celebratione, de indumentorum eius myſtica ſignificatione, ac ipſius humili, & deuota ſupplicatione. Toloſæ apud Nicol. Viellard. 1533.

Mutius Cauenſis Italus Cappuccinus edidit Italicè declarationem officij mortuorum, & de cæremonijs, quæ fiunt in exequijs Defunctorum. Item de ſignificatis ſacrificij miſſæ. Hi omnes (& alij etiam filij tui, quorum authenticam notitiam ad me adhùc plenè non venit) ſicut in corde coluerunt hoc myſteriũ,

ſic ſcriptis ſuis illuſtrare conati ſunt; inter quos ego miſerabilis peccator propter gloriam Dei, & Sanctiſs. Euchariſtiæ venerationem hoc opus, licet incompoſitè, ex pluribus Scriptoribus, & ingenij mei paupertate compoſui, & in faciliorem methodū, legentium gratia, reduxi.

Suſcipe ergo Sanctiſſime Pater hoc puerile munus, quod, ex beneuolentia cordis viſcerali, tuæ Seraphicæ charitati offero, dono, & dico; ſupplicitèr obſecrando tuam pijſſimam clementiam, vt meo, & totius mundi Redemptori, hoc Minoriticæ prolis tuæ obſequium repræſentes, & per te, illud, & me recipiat, qui per te, & me, & totam Eccleſiam reparare dignatus eſt. Ex Conuentu Sanctiſs. Trinitatis tuorum Minorum Strictioris Obſeruantiæ Neapolitanæ Ciuitatis 15. Martij 1682. in Dominica Paſſionis.



PIO LECTORI,

Et Sacerdotibus Sanctis Eccleſiæ Catholicæ.

SOlet mens noſtra, quæ nimio in terris tædio ſemper afficitur, ſemper ardua, laborioſaq; naturali inſtinctu reſpuere; ideòq; ingentia volumina, vt plurimum, recuſat, quia & multitudine Scriptorum, & magnitudine ſcripturæ deterretur; hinc eſt quod pretioſæ margaritæ ſepultæ iacent, & non eſt, qui effodiat eas, eo quod labores, & vigilias quaſi omnes abhorreant, & quod magis damnabile eſt, illa, quæ ſciri neceſſariò, immò præ manibus, sēper haberi debent, apud plurimos, omninò ignorantur, qui tamquam per habitū vſu naturali, & ſine debita ratione ad illa perficienda ducuntur; quod paſſim in omnibus ferè miniſterijs accidit, ſicut quotidiana experientia probatur, vndè fons omnium errorum in omnes diffunditur, maximè autem (lacrymis deplorandum) Dei cultui addictis, ſæpè hoc euenire experimur, & quod myſteria ſacra quotidie conficiunt, & tamen, vt plurimum neſciunt, quid benedictiones, quid cæremoniæ illæ ſacræ indicent, quibus tanta myſteria ſolemniter conficiuntur. Ergo, vt tãtæ aliquorum Sacerdotum incuriæ conſulatur, profectò tractatum hūc cōpoſui, licèt minus exactè, quàm operis meritū expoſtulat, quē enchiridiū, ideſt manuale nominandum iudicaui; eo ꝙ Sacerdotes ſemper ipſum præ manibus geſtare debeant, vt ipſum legere, & perlegere quotidie ſatagant, & myſteria eorum, quæ in dies agunt, addiſcant, memoriæq; mandare maximè curent; & licet Doctores plurimi, imò, & Sancti Patres de huiuſmodi myſterijs vtiliter ſcripſere, vt videre eſt in vltimo tomo Bibliotecæ veterum Patrum, & in alijs Doctoribus etiam, tamen Manuale hoc cum diuiſione capitulorum, & multitudine §.§. ad facilitatem legentium, vt mihi videtur, adhuc non extat; idcircò ex multorum Doctorum, & voluminum lectione, laboribus plurimis tractatum hunc vobis omnibus Sacerdotibus,

ex viſcerali charitate porrigo, vt breuitatis exemplo inuitati ad legendum; non reſpuatis mente retinere myſteria illa, quæ aſſiduè tractatis; & ex veſtra poſteà doctrina, tamquam ex lucerna luminoſa, cæteri illuminentur fideles; alias *cæci ſumus, & duces cæcorũ*, ſicut Dñs noſter affirmat Matt. 15. u. 14. memores ſimus, ꝙ *nobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autẽ in parabolis*, Luc. 8. u. 10. nos enim teſte Apoſtolo 1. Cor. 4. u. 1. *diſpenſatores ſumus myſteriorum Dei*, ergò ne ſimus ſicut animalia, quæ panes ferunt ad aliorum ſuſtentationem, quos tamen, neque ſapiunt, neq; guſtant; perſcrutemur diuina myſteria, percipiamus eorum dulcedinem, ſatiemur de eorum pinguedine, inebriemur ab vbertate domus Dei, vt ſpiritus pinguis offerat Deo ſuo holocauſta medullata, pſ. 65. u. 15. quæ profectò dicũtur medullata, quãdo decẽti grauitate, nec nõ charitate feruẽti, ſanctè, & deuotè myſteria omnia peraguntur, igitur medullã myſteriorum in hoc breui tractatu guſtate, & tunc ſuauis, ac dulcis erit vobis cæleſtis cibus, quem quotidie ſumitis.

Hoc autem aduertendum puto, vt in lectione huius tractatus, capitulum non excedatur, & ſi §. tantum legitur, cum diligenti attentione, optimè fiet, nam hic mentis noſtræ cibus, ſolidus nimis, & delicatus eſt, & mannæ in deſerto comparari poteſt, & ſicut illa, ad ſuperfluitatem collecta, putreſcebat, ſic cibus animarum, qui in hoc tractatu continetur, ad ſuperfluitatẽ ſumptus, mentem confundit, & nutrimentum non parit, nam totus ad mannam ſpectat, ideòq; ad menſuram præſcriptam ſumatur. Valete, & memores eſtote mei in veſtris ſacris oblationibus, vt vna cum veſtra charitate omnes ſimul cæleſtibus gaudijs perfruamur, qui nunc terrena miſeria iuſtè obruimur.

Ope-

Operis Argumentum.

OFficium,eſt proprius,vel congruus actus vniuſcuiuſq;perſonæ, ſecundùm mores Ciuitatis, vel inſtitutæ profeſſionis, vt inquit Iſidorus, & dicitur officium ſecundùm Hieron. in lib.de officijs,ab efficiendo,quaſi efficium;vnicuique enim ſuum conuenit efficere officium; vel officium,ſecundùm Iſidorum, dicitur,vt quiſque illa agat, quæ nulli officiunt,ſed omnibus proſunt, huiuſmodi enim eſt tremendum miſſæ ſacrificium, in quo omnia,tam cœleſtia,quàm terreſtria, ſuum, pro ſua quæque capacitate ſortitur beneficium; nam cœleſtia laudes, & gloriam, terreſtria verò adiutorium,& leuamen quotidie obtinent.In primitiua Eccleſia pauca in miſſa obſeruabantur, vt oratio Dominicalis,& ſymbolum Apoſtolorum;immò vt inquit S.Hieronymus aduerſus Pelagium lib. 3. Chriſtum Dominum docuiſſe Apoſtolos , vt quotidie in Corporis eius ſacrificio , credentes, audeant loqui Pater noſter,& Gregorius lib.7. epiſt.63. miſſa non conſtabat alijs precibus in conſecratione,niſi oratione Dominica; poſtea verò pluribus pſalmis intexebatur;ità ſuccedentibus temporibus,vt Eccleſia Dei hæreſibus ſcinderetur, variæ, & diuerſæ,ſecundùm cuiuſq; inſtitutum, erant miſſæ inſtitutiones, ità vt,quot capita,tot ſententiæ . gratias agamus Deo noſtro,qui Eccleſiam ſuam prouidit de pio, & optimo Imperatore, videlicet Theodoſio ſeniore,qui hæreticorum extirpator,ſanctã Eccleſiam non ſolùm in vnam fidem , ſed etiam in vnum ritum coadunare nixus eſt,etenim Sancto Damaſo Papę ſcripſit,vt per aliquem prudentem,& catholicum virum,eccleſiaſticum officiũ iuberet ordinari; ideòq; prædictus Pontifex præcepit D.Hieronymo præsbytero,tunc in Bethlehem,cum Paula, & Euſtochio, & alijs virginibus moranti , quatenus Eccleſiæ officium ordinaret,(ipſe namq; nouerat linguas quatuor, Hebraicam,Græcam, Caldaicam,& Latinam)quod ipſe obtemperans humilitèr, opere impleuit; ordinauit itaq; de pſalmis, quantum in Dominica, quantum in ſecunda feria,quantum in tertia,& ſic deinceps legeretur.Inſuper in miſſa, euangelia, collectas, & epiſtolas, quæ tam de nouo, quàm de veteri teſtamento leguntur (præter cantum)

tum)magna ex parte diſpoſuit,cuius operis exemplum idem D. Hieronymus Romam miſit,& à Damaſo Papa canonizatum eſt, & præceptum à cunctis Eccleſijs obſeruari,& appropriatum eſt ipſi Damaſo, propter authoritatem ſuam, quam interpoſuit, C. de vet.iur.enu.l.tanta.

Conſequenter B. Gregorius, & Gelaſius Pontifices Romani orationes addiderunt; gradualia autem, tractus, & alleluia ad miſſam cantari inſtituerunt; Ambroſius, Gelaſius,& Gregorius, plerique quoq; alij Doctores Eccleſiæ, aliqua alia ſuperaddidiſse noſcuntur; Sancti enim Patres non ſimul omnia ad decorẽ officij ſpectantia, ſed diuerſi,varijs temporibus,ordinauere, vndè & miſsæ inceptio tres habuit varietates;aliquando enim à lectione inchoabatur, prout fit hodie in Sabbato Sancto, poſtea Celeſtinus pſalmos ad miſſæ introitum dici inſtituit; Gregorius verò introitus cum cantu ordinauit;notatu dignum eſt,quod inquit D. Auguſtinus citatus à Berno. libello de quibuſdam ad miſſàm ſpectantibus, non ſanè omnia, quæ geſta narrantur aliquid etiam ſignificare putanda ſunt,ſed propter illa quæ aliquid ſignificant adduntur; ſolo enim vomere terra proſcinditur,ſed vt hoc fieri poſſit,etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria,& ſoli nerui in cytaris aptantur ad ſonum,ſed vt aptari poſſint,insũt, & cętera in compagibus organorum,quæ non percutiuntur à canentibus, ſed ea,quæ percuſſa reſonant, his connectuntur.

Inſuper legitur in vita B. Eugenij Epiſcopi,quod dum officiũ Ambroſianum, adhuc magis, quam Gregorianum in Eccleſia ſeruaretur,Adrianus Papa concilium conuocauit,vbi ſtatutum eſt,quod Gregorianum vniuerſalitèr obſeruari deberet,ad quod Carolus Magnus Occidentalis Imperator omnes Clericos minis, & ſupplicijs per diuerſas Prouincias cogebat; libros officij Ambroſiani comburens; D.verò Eugenius ad concilium quoddam, propter hoc conuocatum,veniens, ipſum cõcilium per triduum inuenit iam ſolutum,inducens Dominum Papam, vt omnes Prælatos, qui concilio interfuerunt, & per tres dies iam receſſerant,reuocaret; concilio igitur iterum congregato,omnium Patrum vna fuit ſententia,vt miſſalia,videlicet Ambroſianum,& Gregorianum ſuper Altare S. Petri Apoſtoli ponerentur, plurimorum Epiſcoporum ſigillis munita,& fores Eccleſiæ claudarẽ-

tur,

tur,ipſiq; omnes orationi tota nocte inſiſterent,vt Dominus per aliquod ſignum indicaret, vtrum horum magis ab Eccleſia ſeruari vellet, ſicq; per omnia factum eſt; mane igitur Eccleſiam intrantes, vtrumq; miſſale ſuper altare apertum inuenerunt; vel vt alij aſſerunt,miſſale Gregorianum penitus diſſolutum,& huc, illucq; diſperſum inuenerunt; Ambroſianum verò ſolummodò apertum ſuper altare in eodem loco, vbi poſitum fuerat,inuentum eſt, quo ſigno edocti ſunt diuinitus, Gregorianũ officium per totum mundum diſpergi;Ambroſianum verò ſolummodò in Eccleſia ſua obſeruari debere;& ſic vſque hodie ſeruatur;ſiquidem,tempore Caroli Magni Imperatoris, officium Ambroſianũ præcipuè dimiſſum eſt,& Gregorianum, Imperiali auctoritate plurimum adiuuante,diuulgatum.Ambroſius enim multa inſtituit iuxtà ritum Græcorum;Itaque de Gregoriano miſſali,quod Romanum dicitur, agemus,& quia alia monachi habent inſtituta,alia canonici, alia Heremitæ, ne in longum protrahamus tractatum,contra noſtram primariam intentionem; propterea tantũ de ritu Romano agemus ex profeſſo,de cæteris verò pauciſſima tangentur,prout breuitas ipſa operis feret, ait enim D.Auguſtinus.Diuina officia diuerſorum locorum, diuerſis moribus innumerabilitèr variantur, ità vt vix, aut nunquam omninò inueniri poſſint cauſæ, quas in eis conſtituendis homines ſunt ſecuti, & B.Albertus Magnus in compendio Theolog. inquit; miſſa tam plena eſt myſterijs,ſicut mare guttis,ſol athomis, firmamentum ſtellis, empireum Angelis; ergò ſicut illa omnia numerari nequeunt, ſic nec iſta; maximoperè quando breuitati ſtudendum eſt,nihilominus habentur in hoc tractatu plurimæ vtriuſque teſtamenti expoſitiones ſcripturales,diuerſarum rerum ſolutiones quæſtionum,præcipuè earum,quæ ad Sacroſanctum Euchariſtię Sacramentum,& ſacrificium ſpectant; eruditiones multæ,& maximè, quæ ad morum honeſtatem, & ſanctitatis apicem conducunt,Sanctorum Patrum ſententijs,& cæleſtibus reuelationibus refertæ.

Qui autem pleniorem de myſterijs miſſæ notitiam exoptant, legant pleniora volumina de hac materia, nempè Bibliothecam veterum Patrum tomo vltimo, vbi plurimorum Authorum habentur tractatus,tam ad ritus Eccleſiæ, quàm ad officium miſſæ

ſectantes.Cæterum mihi occurrit D.Leo Magnus, qui licet de paſſione Domini loquatur ſer.11.tamen hic etiam aptari poteſt, nam in paſſione Domini,& ſacrificio miſſæ eadem eſt hoſtia:inquit enim.Cum ipſa materia,(paſſionis ſcil.)ex eo quod eſt ineſfabilis, fandi tribuat facultatem;nec poſſit deficere, quod dicatur, dum nunquam poteſt ſatis eſſe quod dicitur. Succumbat ergo humana infirmitas gloriæ Dei, & in explicandis operibus miſericordiæ eius imparem ſe ſemper inueniat. Laboremus ſenſu,hæreamus ingenio;deficiamus eloquio; bonum eſt; vt nobis parum ſit, quod etiam rectè de Domini Maieſtate ſentimus, dicente enim Propheta pſalm. 104. *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius ſemper*. Nemini præſumendum eſt, quod totum,quod quærit inuenerit;ne deſinat propinquare, qui ceſſari accedere: hæc D.Leo,quod ore,& corde confirmo circa præſentem tractatum.

AD-

ADMODVM REVERENDO PATRI

F. ANTONIO A CALATIA

De Myſterijs Sacroſanctæ Miſſæ Scriptori ſatis erudito.

EPIGRAMMA.

QVis tibi ſcribenti tantos aſſauit honores
Vt poſſes doctos promere ab ore ſonos?
Scilicet ante Aram peragit cum Sacra Sacerdos
Mirificoque trahit Carmine ab axe, Deum.
Tu nobis Arcana Sacri,tu promis amantis
Numinis occiſi prouidus hiſtoriam.
Cætera tempus edax vel docta volumina radet
Pagina non poterit tam pretioſa mori.

A. R. P. Ianuarius à Neapoli Strict.Obſer.Theologus, & Concionator ludebat.

AD OPERIS LAVDEM.

EPIGRAMMA.

TEmpeſtas pretioſa Tagi vomat vndiq;gēmas
Nulla meam poterit gemma leuare ſitim.
Gemmarum me tangit amor quibus iſte libellus
Emicat,has nunquam diues Erythra tulit.
Hìc arcana patent Miſſæ:quæ verba Sacerdos
Explicat,hìc ſenſu ſunt reſerata ſuo.
Huc Lector accede frequens,hìc lumina fige
Crede mihi Sacri verus Amator eris.

P. Bonauentura Gianninus ab Afragola,Ord.Min. Strict.Obſeru. S.Theologiæ Lector.Ludebat.

Approbatio Operis.

ENchiridium, ſiue Manuale Sacerdotum, de Sacris Myſterijs, quæ in Venerabili Miſſæ Sacrificio peraguntur cum Appendice de valore Miſſæ,&c. R.P.F.Antonij Maſſa,Calatini, ſiue à Calatia, ex commiſſione Reuerendiſs. P. F. Antonij à S. Ioanne,Ciſmontanæ Familiæ Fratrum Obſeruantium,& Reformatorum S.P.N.Franciſci,Commiſſarij Generalis, attentè perlegi, & ſicut nihil, in eo, Fidei, bonis moribus, ac Pontificijs, nec non Regijs ſanctionibus aduerſum, animaduerti, ità nihil indignum puto, typis poſſe mandari. Datum in Regali ConuentuS.Crucis Neapolis die 11.Martij 1681.

Fr. Michael à Neapoli Lector Theol.

EGo Frater Ioſeph à Neapoli Ord. Min. Strictioris Obſeruantiæ Prouinciæ Terræ Laboris, Sacræ Theologiæ Lector,cum ex mandato Reuerendiſs. P.F. Antonij à S. Ioan-Commiſſarij Generalis Ciſmontanę Familię Fratrum Obſeruantium, & Reformatorum. Perlegerim Tractatum, cui titulus *Enchiridium, ſiue Manuale Sacerdotum de Sacris Myſterijs, quæ in Venerab. Miſſæ Sacrificio per Cæremonias ſacras inſinuantur, cum Appendice, in eius calce de valore Miſſæ, merito, & demerito dignè, & indignè offerentium R.P.F. Antonij Calatini, ſiuè à Calatia eiuſdem Ordinis, & inſtituti*, nihil in eo ſanctæ fidei,bonis moribus,ac Pontificijs, nec non Regijs Sanctionibus, aduerſum reperi; imò ipſum opus nimis perutile omnibus ſtudioſis,maximè autemEccleſiaſticis perſonis iudico; in eo enim indicantur myſteria ſacra, quæ per ceremonias repræſentantur, & ſicut eorum intellectus mentem illuminat, ità voluntatem legentium inflammat, nam ipſa myſteria ardore ſcatent Serafico, præcipuè cum paſſim ſacris abundant ſcripturis; reuelationes,quæ in Appendice habentur,ad celebrandum cum ſanctitate, & deuotione hoc Myſterium Sacerdotes perurgent, & audientes Miſſam ad cultum reuerentiæ,& humilitatis incitant, ideò typis mandari quantocius debet. Datum Neapoli in Regali Conuentu Sanctæ Crucis propè Regium Palatium die 11. Martij 1681.

Ego Fr. Ioſeph qui ſup.

F. AN-

F. ANTONIVS DE S. IOANNE ORD. MIN. REG. OBS.

Lector Iubilatus,& in hac Ciſmontana Familia tàm Obſeruãtium,quàm Reformatorum Commiſs. Generalis, & Seruus. Dilecto nobis plurimum in Chriſto Patri Fr. Antonio de Calatia noſtræ Reformatæ Prouinciæ Terræ Laboris Lectori,ac Concionatori ſalutem in Domino ſempiternam.

CVm Opus à te conſcriptum, cui titulus eſt,*Enchiridium,ſiue Manuale Sacerdotum,de Sacris Myſterijs, quæ in Venerabili Miſsæ Sacrificio peraguntur,&c.*duo ex noſtris Theologis reuiderint,& in lucem edi poſſe probauerint,harum ſerie,quãtum in nobis eſt,facultatem typis ipſum mandandi, tibi facimus, & largimur.

Dat.Neap.in ConuẽtuRegali S.Crucis die 12.Martij 1681.

Fr. Antonius de S.*Ioanne Commiſſarius Generalis.*
Reg. l. A.

Loc. † Sig.

De mandato Suæ Reuerendiſs.Paternitatis
F. Paſqualis à Tropea Secr.Gen.

IN

IN Congreg. habita coram Eminentiſs. Dño Card. Caracciolo Archiep. Neap. ſub die 3. Octob. 1679. fuit dictum, quod Rēu. D. Ioſeph Mendozza Congreg. Piorum Operariorum reuideat, & in ſcriptis referat eid. Congreg.

S. Menatti Vic. Gen. Neap.

Ioſeph Imperialis Soc. *Ieſu* Th. Eminentiſs.

Eminentiſs. Princeps.

OPus hoc, quod inſcribitur, *Enchiridium, ſiue Manuale Sacerdotũ de Sacris Myſterijs, quæ in Venerab. Miſsæ Sacrificio peraguntur;* q rationale dicitur, vbi in calce Appendix de Valore Miſſæ, merito, & demerito dignè, & indignè offerentium R.P.F. Antonij Maſſa Calatini, ſeu à Calatia Ord. Minor. Strict. Obſeruantiæ, Sac. Theol. Profeſſoris: iuſſu Eminentiæ Tuæ perlegi, nihilq; in eo reperi fidei Catholicæ, aut bonis moribus repugnans; imò exiſtimo pijs Sacerdotibus, & præcipuè curam animarum gerentibus fore gratum, atque perutile, ac proindè typis mandandum, in quorũ fidem ſubſcripſi in hac domo Diui Georgij Maioris. Neap. die 2. Maij 1681.

Eminentiæ Tuæ

Addictiſſimus ſeruus
D. Ioſeph Mendoza Congr. Piorum Operariorum Th. ac S. Off. Conſultor.

IN Congreg. habita coram Eminentiſs. Dño Card. Caracciolo Archiep. Neap. ſub 4. Maij 1681. fuit dictum, quod ſtante retroſcripta relatione Imprimatur.

S. Menatti Vic. Gen. Neap.

Ioſeph Imperialis Soc. Ieſu Th. Eminentiſs.

EC-

IL P. F. Antonio Maſſa di Caiazza de Minori Oſſeruanti Riformati,ſupplicãdo dice à V.E.come deſidera dare alle ſtampe vna ſua Opera,intitolata *Enchiridium-ſiue Manuale Sacerdotum de Sacris Myſterijs,quæ in Venerab.Miſsæ Sacrificio peraguntur, Cum Appendice De Valore Miſſæ, &c.* Perciò ricorre da V.E. e la ſupplica ordinare la reuiſione di eſſa,acciò poſſa ottenere la licenza di darla alle Stampe, vt Deus.

R.P.M.Romualdus Cioffo *Ord.Præd.videat,& in ſcriptis referat.*

Carrillo Reg. Calà Reg. Soria Reg.

Prouiſum per S. *E. Neap.* 10. *Decemb.* 1680.

Anaſtaſius.

Excellentiſſime Domine.

IVſſu E.V.maxima cum animi mei voluptate, librum perlegi, cuius titulus eſt *Enchiridiũ,ſiue Manuale Sacerdotũ de Sacris Myſterijs,quæ in Venerab.Miſsæ Sacrificio peragũtur;* ꝙ rationale dicitur:vbi,& in calce Appendix de valore miſſę,merito,ac demerito,dignę,ac indignè offerẽtiũ,à R.P.F.Antonio Calatino,ſeu à Calatia Ord.Min.Strict.Obſer.Sac.Theol.Profeſſ.cõpoſitũ;nihilq; in eo offendi, ſiue ſanæ doctrinæ, ſiue Regiæ Iuriſdictioni aduerſum, quin potius Opus reperi ſatis laborioſum, pium, & vtile,multiplici eruditione refertum,ex pluribus Doctorum nãque monumentis,ac documentis,veluti, ex quibuſdam vernantis myſticæ,ac dogmaticæ Theologiæ floribus,prædictus Pater, ceu ingenioſa Apes fauum fabrefecit,quo Nectar illud diuinũ, fideles cuncti, præcipuè Sacerdotes, valeant dignè tractare, ac dulcitèr deguſtare. Dignum ergo arbitror Opus,vt quantocius in lucem prodeat. Neap. in Conuentu S.Spiritus,propè Regium Palatium die 20.Maij 1681.

Fr.Romualdus Cioffus S.*T.M.Ord.Præd.*

Imprimatur, verùm in publicatione ſeruetur Reg. Pragm.

Carrillo Reg. Calà Reg. Florillus Reg.

Prouiſum per S.*E. Neap. die* 21.*Maij* 1681

Anaſtaſius.




Cibus ſum grandiũ creſce & manducabis me
nec.n.tu me mutabis in te; ſed tu mutaberis in me.
D. Augu. lib. 7 Confeſ. C. 10.

IN DEI NOMINE.
INCIPIT TRACTATVS
DIVINORVM MYSTERIORVM,

Quæ in Sacroſancto Miſſę Sacrificio per Cœremonias Sacras inſinuantur, qui Rationale dicitur.

R. P. F. ANTONII MASSA Calatini, ſeu à Calatia, Ord. Minorum Strict. Obſeruantiæ, Sacræ Theologiæ Profeſſoris.

CAPVT PRIMVM.

EGo diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo. Lucæ 22. v. 29. verba Redemptoris noſtri sũt iſta, quando in vltima Cœna, mutatis, virtute diuina, pane, & vino, in corpus, & ſanguinem ſuum, Diſcipulis ſeipſum gu-
a ſtandum dedit, annuens de Regno Eccleſiæ militantis, in quo vitulum ſaginatum, ideſt ſeipſum, ob amoris exceſſum, occidit, omnibus fidelibus, cuiuslibet conditionis, & qualitatis, conuiuium pinguium medullatorum, in hac menſa propoſuit. Et ſicut fidelibus antiquæ legis, poſt tranſitum maris rubri, ſubmerſis ibi Ægyptijs, datum fuit manna de Cœlo ad nutrimentum, & vitæ præſentis ſubſtentationem; ſic nunc fide-
b libus nouæ legis, poſt ablutionem Babtiſmi, iàm deletis ibi peccatis, datur Euchariſtia, vt per Baptiſmum emundentur à malo, & per Euchariſtiam cõfirmentur in bono; nam ſicut mãna populum illum fidelem, per vaſtitatẽ ſolitudinis inuię ad Terram promiſſionis perduxit; ſic Euchariſtia populum Chriſtianum per incolatum præſentis vitæ, ad Paradiſi patriam peruenire facit; Ideò Viaticum rectè appellatur, eò,

quod reficiens in via, ad Cœlũ feliciter perducit; imò ſicut filijs Iſrael à tranſitu maris rubri, manna non defuit, donec ad promiſſionis terram peruenirent; ſic fidelibus, per Baptiſmum renatis, non deficiet Euchariſtia, donec adueniat Regnum Dei; ſed nec tunc, niſi quò ad hoc, quia vlterius non ſumetur ſub ſpecie; ſed videbimus Deum faciem ad faciẽ, & tunc etiam fiet id, quod dictum eſt: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.*

§. I.

Sacrificium Miſſæ ab Apoſtolis celebratur.

HIs igitur de cauſis, Sancti Apoſtoli, Spiritus Sancti (poſt eius aduentum in Mõte Sion) illuſtratione formati, cœperunt hoc Sacroſanctum frequentare Myſterium; formam ſeruãtes in verbis, & materiam tenentes in rebus, vt Chriſtus Dominus in vltima Cœna expreſſit. Sic Apoſtolus apertè proteſtatur: *Ego enim accepi à Domino, quod, & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, ac-* c *cepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit, accipite, & mãducate. Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur; Hoc facite in meam commemorationem. Similiter, & Calicem poſtquam cœnauit, dicens; Hic Calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam cõmemorationem.* 1. *Cor.* 11. Chriſti igitur exemplo (qui primus e in Cœna Miſſam celebrauit) celebraſſe & Apoſtolos, addẽtes aliquid ſub precum ratione, ſcilicèt orationem Dominicam, antiqua, & Apoſtolica traditione habetur. Sic Beatũ Petrum Apoſtolum, poſt Chriſtum Dominum, in partibus Orientalibus, Miſſam celebraſſe perhibetur; vbi, ſecundùm aliquos, poſt Domini Paſſionẽ, f d quatuor annis, Cathedram tenuit Sacerdotalem; Deindè accepta Cathedra Antiochiæ, ibi ad Miſſam, tres orationes adiecit; Sic Innocentius Tertius, in ſuo Speculo, latè affirmat, & alij poſt eum.

In Canone de conſecratione, *diſt.* 1. *Iacobus* legitur, quod frater Domini Iacobus, Epiſco-

co-

g copus Hieroſolymitanus , & Baſilius Epiſcopus Cæſarienſis addiderunt nobis in Scripturis, ordinem celebrandi Miſſam; item dicitur, quod iſte h Iacobus Alphæi , primus Miſſam celebrauit , inter Apoſtolos , nàm propter excellentiam ſanctitatis eius , Apoſtoli hunc ſibi contulerunt honorem , vt poſt Domini Aſcenſionem, primus inter eos Miſſam Hieroſolymis celebraret, licet in Epiſcopum adhuc ordinatus nõ i eſſet ; vel fortè, ideò primum, dicitur Miſſam celebraſſe, quia in Pontificalibus , primùm dixiſſe perhibetur . Sicut etiam de Petro Apoſtolo poſtmodum in Antiochia , & de Marco Euangeliſta in Alexandria, in Pontificalibus primũ Miſsã ibi celebrantibus affirmari poteſt.

§. II.

Quid in Miſſa continetur.

MIſſæ officium, tàm prouida nunc reperitur ordinatione diſpoſitum, vt quæ per Chriſtum, & in Chriſtum ordinata, vel geſta ſunt, ex quo de Cœlo deſcendit, vſque dum in Cœlum aſcendit , magna ex parte contineat, & ea, tàm verbis , K quàm ſignis admirabili quadam ſpecie repręſentet. Ipſum autem officium in quatuor conſiſtit, videlic. In perſonis, in l operibus, in verbis, & in rebus. Perſonarum tres ſunt ordines; celebrantes , miniſtrantes , & circumſtãtes ; operum quoque tres ſunt ſpecies; geſtus, actus, & motus; verborum etiam tres ſunt diuerſitates ; orationes , modulationes, & lectiones; rerũ ſimiliter tria ſunt genera, ornamenta, inſtrumẽta, & elementa, quæ omnia plena ſunt Diuinis Myſterijs, vt paſsìm per iſtum Tractatum latè coruſcat.

In Miſſæ officio , vbi Paſſio Chriſti repręſentatur , tribus m linguarum generibus vtimur, ſcilicet Hebræa, Græca, & Latina , ad ſignificandum , quod tribus linguis titulus Crucis Chriſti ſcriptus eſt ; vt innuatur , quod omnis lingua (quæ per hanc triplicem intelligitur) Deum laudare, & confiteri debet : *Quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Philipp.* 2. Licet enim multa ſint genera linguarum , iſtæ tamen principales ſunt. Hebręa propter legem, & quia eſt aliarum mater ; Græca propter ſa-

pientiam; Latina propter nobilitatem,& dominium Romani Imperij. Verba Latina ſunt, lectiones, videlic. Epiſtolę, Euãgelia, orationes,& cantus. Græca, Kirie eleiſon, Chriſte eleiſon; Hebraica ſunt, Alleluia, Amen, Sabaoth, & Oſanna. n In Miſſa Romani Pontificis in pręcipuis ſolemnitatibus legitur Euangelium, & Epiſtola, non ſolùm in Latino, verum etiam & in Græco idiomate, ad deſignandum coniunctionem vtriuſque populi ſub vna fide; ſiue quod Eccleſia non ſolum cõſtat ex Latinis, verum etiam ex Græcis.

Miſſa diuiditur in quatuor o partes; prima incipit ab Introitu, vſque ad Offertorium. Secunda ab Offertorio, vſque ad finem Canonis. Tertia ab Oratione Dominicali, vſque ad diuiſionem hoſtiæ. Quarta à communione, vſque ad finem Miſſæ; prima includit orationes, lectiones, & laudes; ſecunda oblationes, & conſecrationem; tertia poſtulationes; quarta gratiarum actiones; itàque Miſſa diuiditur in lectiones, oblationes, poſtulationes, & gratiarum actiones.

§. III.

Vbi, & quando celebratur Miſſa.

IN locis ſacris, ideſt Deo dicatis, Miſſa celebrari debet p; Non ergo in profanis domibus abſque licentia Papæ, quia *de conſec. d.* 1. habetur ſic: *Sanctiùs eſt Miſſam non cantare, vel non audire; quam in locis, in quibus fieri non decet celebrare.*

Ex inſtitutione Sancti Syluestri Papæ ſuper Altare lapideum ſacrificari debet, vel ſaltem q Aram lapideam, quæ tàm ampla eſſe debet, vt commodè capere poſſit hoſtiam,& calicẽ, & ab Epiſcopo eſt conſecranda cum Sancto Chryſmate; ad indicandam pinguedinem gratiæ, quę in ſacrificio Miſſæ habetur; cum reliquijs Sanctorũ r ab Eccleſiæ canonizatorum, nàm inquit D. Auguſtinus *ſer.* 37. *in append. de diuer. Conuenientiùs autem, & quaſi pro quodam conſortio, ibi Martyribus ſepultura decreta eſt, vbi mors Domini quotidiè celebratur, ſcilicet, vt qui propter mortem eius, mortui fuerant, ſub Sacramenti eius myſterio requieſcant.*

Ara

s Ara lapidea Chriſtum ſignificat, qui eſt lapis angularis, imò fundamentalis totius Eccleſiæ, ſicut, inquit Apoſtolus: *Petra autem erat Chriſtus.* 1. *Cor.* 10. Cum autem Miſſæ ſacrificium ſit totius Eccleſię firmamentum, meritò ſuprà petrã conſecratam, quę Chriſti firmitatem indicat, celebratur.

t Altare tribus mappis, vel tobaleis mundis benedictis operiri debet; tres ponuntur, in honorem Sanctiſsimæ Trinitatis, & eorum munditia, & benedictio ſignificat gloriam Sanctorum, quorum reliquiæ in Altari ſunt; quæ à Sanctiſſima Trinitate ipſis datur.

v Pallium, quo anterior pars Altaris ornatur, innuit virtutũ ornamentum in Chriſto, quo Sacerdos clarere debet.

x Collocantur ſuper Altare; primò Sanctiſſima Crux in medio; deindè hinc, indè, candelabra, quæ ſaltem duo eſſe debent, cum candelis accenſis. Crux ipſa eſt in Altari, tanquã Regis æterni, ſignum, & paſſionis Chriſti memoriale, quam Sacerdos præ oculis mentis habere debet, vt ſaltem, tempore ſacrificij, eam meditetur; dum eius memoria celebratur.

y Candelabra ſignificant populos, & ſaltem duo eſſe debẽt, in Miſſis priuatis, quæ ſecundũ Innocentiũ Tertium, duos populos innuunt, Iudaicum, & Gentilem.

z In Miſſis ſolemnioribus, ſex candelabra, cum candelis accenſis ponuntur, quod ex trina incenſatione conijcitur, vt dicetur infra cap. 10. de thurificatione Altaris; quatuor etiam adhibentur in minùs ſolemnibus, pro dignitate Miſſarum.

a Lumen candelarum innuit fidem populorum, quos denotant candelabra; & eſt, ad reuerentiam ſacrificij, deuotionemque fidelium excitandam.

b Altare, ſic ornatum, ſignificat. Primò Menſam Dominicam, in qua cum Diſcipulis in vltima Cœna manducauit, & Sacrâmenta Eccleſiæ inſtituit. Secundò Montem Caluariæ cũ Cruce, vbi Chriſtus fuit crucifixus. Tertiò ipſum Chriſtum, per quem, ſacrificium in eo celebratum, à Sanctiſſima Trinitate acceptatur.

c Altare ſic dicitur, ab altitudine, quia alta res eſt, vel ab alendo, nam in veteri Teſtamento, igni, qui in Altari ardebat, addebatur alimentum.

Ara

Ara verò dicitur talis,ab ari- d
ditate ex igne, vel ab ardore, quia in ea ardebant ſacrificia.

Gradus, per quos Sacerdos ad Altare aſcendit, ſignificant c
virtutes, & præcipuè gradus humilitatis, per quos ad Chriſtum, qui per Altare innuitur, Sacerdos aſcendit.

Tempus,celebrandi Miſſam f
eſt ab aurora, vſque ad meridiem,excluſiuè, nàm in Miſſa fit memoria paſſionis, mortis, ſepulturæ,Reſurrectionis,& Aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ideò celebrari poteſt tot varijs horis; in Tertia in memoriam Reſurrectionis, & Aſcenſionis; poſt Sextam in memoriam mortis; poſt Nonã, quæ eſt ante meridiem, in memoriam ſepulturæ;in manè fortè in memoriam Reſurrectionis. Aſſerunt etiam quidam Doctores, Chriſtum Dominũ in meditulio horarum crucifixum, ideòque nunc in hanc, nunc in illam horam celebratur Miſſa. Verum, nullus regulariter debet eadem die plures Miſſas celebrare. *de conſecr. d.1.ſufficit extrà de celeb. Miſſ. ter.ver.*

§. IV.

Partes Miſſæ quid ſignificent.

INtroitus Miſſæ reſpicit ad Chorum Prophetarum, g
quoniam ſecũdùm Aug. Moyſes fuit Miniſter veteris Teſtamenti,Prophetæ verò noui.Kirie eleiſon ad illos Prophetas, qui circà Domini Aduentum erant, de quibus fuerunt Zacharias,& Ioannes Baptiſta,filius eius. Gloria in excelſis ad cœtum Angelorum, gaudium Natiuitatis Domini Paſtoribus annunciantium. Prima collecta ad hoc,quod Dominus, circa annum duodecimum, ſedit inter Doctores, audiens, & interrogans; Epiſtola ad Ioannis prædicationem; Graduale ad beneuolentiam Apoſtolorum, quando ſcilicet à Domino vocati, ſequuti ſunt eum. Alleluia ad lætitiam mentis eorundẽ, quam habebant de promiſſionibus eius; vel de miraculis, quæ per eum, vel per nomen eius fiebant. Euangelium ad ad tempus Chriſti, & prædicationis eius; quod verò deindè in Miſſæ officio agitur,ad illud tempus reſpicit,quod eſt à Domi-

mi-

minica in Ramis,quando pueri Hebræorum clamantes obuiauerunt ei,vſque ad diem Aſcēſionis eius. Oratio verò ſecretæ,vſque nobis quoque peccatoribus, deſignat illam orationem, quam Ieſus in Monte Oliueti exercebat, quod autem poſteà immediatè agitur,ſignificat tempus illud,quando Dominus iacuit in ſepulchro. Quando verò panis cœleſtis in ſanguinem mittitur, animam Chriſti redire ad corpus demōſtrat.Fractio oblatæ,fractionem panis Diſcipulis in Emaus factam,innuit.Salutatio ſequens, ſalutationes à Chriſto poſteà Diſcipulis factas,inſinuat. Hæc plenius in ſuis locis diſtinctè explicabuntur.

§. V.

Veſtium Sacerdotis Myſteria.

h IN Miſſa repræſentatur pugna, & victoria Sacerdotis, contra hoſtem antiquum; Arma verò huius pugnæ, ſunt ipſe veſtes ſacerdotales, nec non i & Pontificales, Pontifex enim primò caligas, & ſandalia pro ocreis habet, nè quid maculæ, vel terrenarum affectionum puluis inhæreat ei; nàm innuunt greſſus Epiſcopi rectos, qui animi affectus vigilanter cuſtodiunt; affectus enim, ſunt humanæ mentis pedes.Simplex autem Sacerdos calceatos pedes habere debet,& veſte talari induatur, etiam ſi Regularis ſit, qui ſecundum ordinem ſuæ profeſſionis diſcalceatus incedat,nàm per calceamenta, quæ fiunt pellibus animalium mortuorum,& calcant terram,ſuntque clauſa ſumpter, & aperta deſuper,innuitur, quod Sacerdos debet eſſe mortuus mundo, & cor clauſum habeat ad terrena,apertum verò ad cœleſtia, vndè Apoſtolus *Epheſ. 6.* inquit: *State ergo, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis.* Veſtis talaris non ſolùm indicat modeſtiam mo- k rum, ſed etiam perſeuerantiam in bono, vt dicetur infrà de al- l ba. Secundò amictu, pro galea, caput contegit; Tertiò pro lorica, totum corpus alba coo- m perit;Quartò cingulum pro arcu, ſubcingulum pro pharetra aſſumit, & eſt ſubcingulum il- n lud, quod à cingulo pendet, quo ſtola Pontificis, vel Sacerdotis, cum cingulo colligatur. o Quintò manipulo pro claua

vti-

vtitur. Sextò ſtola collum circumdat, quaſi haſtam, contra hoſtem vibrans. Septimò caſula quaſi clypeo tegitur; manus libro, pro gladio armatur.

His armis Sacerdos vtitur, contrà ſpiritales nequitias, pugnaturus; nàm vt inquit Apoſtolus 2.*Cor.c.*10.*v.*4. *Arma militiæ noſtræ, non ſunt carnalia, ſed ad deſtructionem munitionum potentiæ Deo.* Et *Epheſ. c.6.v.*11. *Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli.* Et *v.* 14. *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti lorica iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi extinguere, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus (quod eſt verbum Dei)*. Hæc quidem armatura eſt præmiſſa ſeptuplex veſtis Sacerdotis, ſignificatiua ſeptuplicis virtutis p eius, nempè fidei, ſpei, & charitatis; Prudētiæ, fortitudinis, iuſtitiæ, & temperantiæ; primæ tres, virtutes ſunt Theologales; quatuor verò ſequentes, Cardinales, quibus omnibus abbundare debet Sacerdos; & repræſentatiua veſtium Chriſti, quibus fuit indutus tempore paſſionis.

Amictus, quo Sacerdos caput q tegit, ſignificat caſtitatem cordis, & corporis, quia & renes, & pectus ambit, & tegit; vbi præcipuè luxuria dominatur; diffuſio amictus ſuper humeros, operum fortitudinem deſignat; humeri fortes ſunt ad onera ſubſtinenda; iuxtà illud Patriarchæ Iacob *Geneſ.* 40. *v.* 15. *Suppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſeruiens.* Duæ cordulæ, quibus antè pectus, amictus ligatur, ſignificant intentionem, & finem, quibus informandum r eſt opus, ne fiat in fermēto malitiæ, & nequitiæ; ſed in azimis ſinceritatis, & veritatis 1. *Cor.* 5. Amictus quoq; collum ſtringit, per quod vocis caſtigatio intelligitur, nam per collum, à s quo vox progreditur, vſus loquendi exprimitur; ſtringitur ergò collum, ne ad linguam, indè tranſire poſſit mendacium, illo amictu, etiam caput operimus, tanquam galea, ad reſiſtēdum Diabolo, *Epheſ.6. Galeam ſalutis aſſumite.* Et etiam ne oculis, vagando, illicita cogitemus.

Circa paſſionē Chriſti, amictus,

ctus, illud velamen repræſen-
c tat, quo Iudæi, Chriſti faciem
velabant; dicentes, vt habetur
Matt.cap.26. Prophetiza nobis
Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit?
Alba, ſiuè camiſia, quam in-
v duit Sacerdos, ſignificat, quod
nihil diſſolutum, vel ſuperfluū
debet eſſe in vita Sacerdotis, nā
ob candoris ſpeciem, conſcien-
tiæ Sacerdotis munditiam de-
monſtrat; fit enim de byſsino,
vel lino; Nàm ſcriptum eſt *A-*
poc. c.19. v. 8. Byſſinum enim
ſunt iuſtificationes Sanctorum.
Eſt autē byſſus, linum Ægyp-
tiacum; ſicut enim byſſus, vel
linum, candorem, quem ex na-
tura non habet, multis attritū
tunſionibus, per artem, acqui-
rit; ſic & hominis caro, mundi-
tiam, quam non obtinet per
naturam, per exercitiū bonorū
operum, multis macerata caſti-
gationibus, ſortitur per gratiā;
Sacerdos ergo iuxtà Apoſtoli
exemplum 1. *Cor.9. v.27.* Ca-
ſtiget corpus ſuum, & in ſerui-
tutem redigat, ne fortè cum
alijs prædicauerit, ipſe repro-
bus efficiatur.

In veteri Teſtamento tunica
Sacerdotis, quæ talaris, & po-
deris dicebatur, ſtricta erat,
propter ſpiritum ſeruitutis in
timore; in nouo autem lata eſt,
propter ſpiritum adoptionis in
libertate, qua Chriſtus nos li-
berauit, *Rom.*8. quod verò vſq;
ad talos deſcendit, quia talus
finis eſt corporis; perſeuerantiā
vſque in finem deſignat; non
enim ſufficit opus bonum in-
choare, niſi quiſque ſtudeat vſ-
que in finem perficere. Longè
enim diſtat veſtis hæc à tunicis
pelliceis, quibus Adam, poſt
peccatum, indutus eſt, nàm vitę
nouitatem ſignificat, quā Chri-
ſtus habuit, docuit, & tribuit in
Baptiſmo. De qua Apoſtolus,
Epheſ.4. Exuite veterem homi-
nem, cum actibus ſuis, & indui-
te nouum, qui ſecundùm Deum
creatus eſt: hæc etiam veſtis re-
præſentat albam veſtē, in qua
x Herodes illuxit Chriſtum, &
deſeruit Sacerdoti, tanquam
lorica contrà Diabolum, nàm
totum eius corpus tegit.

Cingulum, quo albam Sa-
y cerdos præcincit, & apud Græ-
cos balteum dicitur, ne deflu-
do, inceſſum impediat, ſignifi-
cat, quod caſtitas Sacerdotis,
per albam denotata, nullis in-
centiuorum ſtimulis diſſolua-
tur; cingulum enim continen-
tiam innuit, vt dicitur *Luc.* 12.
Sint lumbi veſtri præcincti, &

*lucernæ ardentes in manibus ve-
ſtris*. In lumbis enim, luxuria
dominatur, vt habetur *Iob* 40.
v.11.qui loquens de Diabolo,
inquit: *Fortitudo eius in lumbis
eius,& virtus illius in vmbilico
ventris eius,de pœn.d.*2. Si enim
inquit ad fin.

Sanè in ſiniſtro latere Ponti-
ficis, ex cingulo duplex depen-
det ſubcinctorium, quia duo
ſunt,quibus caſtitas roboratur,
& ſine quibus difficilè conſer-
uatur,videlicet, oratio, & ieiu-
nium,ſicuti habetur *Matt*.9.*v*.
28. *Hoc genus, in nullo poteſt
exire,niſi in oratione,& ieiunio.*
Lumbi ergo præcincti per con-
tinentiam,debent ſubcingi per
abſtinentiam,& orationem; ve-
rùm ſubcinctorium, quod Pe-
rizona,vel ſubcingulum voca-
tur inter indumenta legalia
fuiſſe non legitur;quia & ſi Sa-
cerdotes legales accincti, tem-
pore ſacrificij, abſtinere debe-
rent; alio tamen tempore licitè
coniugalibus amplexibus va-
cabant. Hodiè autem additur
ſubcingulum, quia moderni
Miniſtri Altaris,iugem debent
habere continentiam;vndè non
ſolùm cingi, ſed etiam ſubcin-
gi tenentur. Ideò autem du-
plex eſt ſubcinctorium, vt du-
plex caſtitas denotetur, videli-
cet mentis, quæ per cingulum,
& corporis,quæ per ſubcingu-
lum, à parte ſiniſtra dependet,
quia potior eſt caſtitas mentis,
quàm corporis,& dextera pars
potior eſt, quàm ſiniſtra; Cin-
gulum,temperantiam etiam ſi-
gnificat, qua clarere debet Sa-
z cerdos.

Secundũ quod capiti Chri- a
ſto conuenit, zona aurea eſt,
qua filius hominis præcinctus
erat, vt dicitur *Apoc*. 1. *v*.13.
*Vidi ſimilem filio hominis, præ-
cinctum ad mammillas zona
aurea*.Per zonam auream, per-
fecta Chriſti charitas deſigna-
tur, feruens in corde,& radians
in opere;cingulum etiam iuſti-
tiam ſignificat, cuius duo ſunt
brachia ſe conſtringentia,ſcili-
cet declinare à malo,& opera-
ri bonum; repræſentat flagellũ,
quo Pilatus Ieſum cæcidit, &
deſeruit Sacerdoti pro phare-
tra,& arcu.

Sacerdos,poſt manipulum, b
ſtolam, ſiuè orarium ſuper còl-
lum ſibi imponit,vt iugum Do- c
mini ſe ſuſcepiſſe, demonſtrat,
quia ipſa leue Domini iugum
ſignificat, 23.*d.Eccleſiaſtica*. Et
hoc cum oſculo, ad notandum
aſſenſum, & deſiderium, quò
huic

huic iugo ſe ſubijcit. Illa autē à dextris, & à ſiniſtris deſcendit, vſque ad genua, quæ curuantur, hoc, vt oſtendatur Sacerdotes mites;& humiles corde eſſe debere; illud verò,quia per arma iuſtitiæ,à dextris, & à ſiniſtris, ideſt in proſperis, &
d aduerſis Sacerdos munitus eſſe debet, quatenus, nec aduerſis frangatur, nec eleuetur proſperis; Vndè Epiſcopus imponens in ordinatione ſtolá,ſic inquit; Accipe iugum Dei. Iugum enim eius ſuaue eſt, & onus eius leue; ſuaue in proſperis; leue in aduerſis; ideòque patientiā ſignificat; ſtola cum zona, ſeu cingulo,à dextris, & à ſiniſtris, cum quibuſdam nexibus, colligatur, quia virtutes virtutibus ſociantur, & iuuantur, ne aliquo moueantur tentationis impulſu. Additur in ordinatione. ſtola innocentiæ induat te Dominus,quę verba, ſtolam primitiuam annuūt,quæ innocentiæ fuit ſignificatiua. Rurſus ſtola ab humero ſiniſtro Sacerdotis, in dextrum, dum ordinatur, reflectitur,quia cùm obedientia, incipit ab actiua, per dilectionem proximi, tranſire in contemplatiuam vitam, per dilectionem Dei;longitudo ſtolæ perſeuerantiam; duo brachia ſtolæ dependentia,temperantiam, & prudentiam ſignificant: *Sobriè, iuſtè, & piè viuamus. Tit.* 2. Sed ſecundùm decretum Concilij Bracharenſis 23. *d. Eccleſiaſtica.* Debet Sacerdos de vno, eodemque orario Crucem pariter,& vtrumq; humerum imprimens, ſignum Crucis in ſuo pectore præparare,vt qui imperturbatus pręcipitur inter proſpera, & aduerſa conſiſtere; virtutum ſemper ornamento, vtroque circumſectus appareat humero; ſi quis aliter egerit excommunicationi ſubiacebit; niſi fortè quis dixerit, hoc decretum per contrariam generalis Eccleſiæ cōſuetudinem abrogatum, nàm non ſemper, & vbique, partes ſtolæ reducuntur in modum Crucis; Crucem igitur ante pectus Sacerdos gerit, dum Chriſti Paſſionem, cujus Miniſter eſt imitatur in mentę.

Orarium itàque, iugum ſimùl, & onus eſt; iugum Sacer-
e dotibus,onus Diaconibus, vnde fit, vt Sacerdotibus ſupra collum; Diaconibus ſuper humerum ponatur; ſicut enim iugum collo portatur; ſic & humeris onera feruntur; vnde ſo-

li Leuitæ in ferendis oneribus deſtinantur, *Num.3.* ponitur in ſiniſtro humero Diaconi, quia decet, temporalia, ſpiritualibus deſeruire, vel quia dextera Diaconi debet eſſe libera, vt expeditius ad miniſterium Sacerdotis diſcurrat, ad lumbos eiuſdem, ſtola ſuccincitur, vt ſit fortior, & expeditior contra pugnas libidinum.

f In Epiſcopo verò ab vtraq; parte ſ æquanimiter dependet anterius, quia Chriſtus, cuius tipũ gerit, æqualiter ſe habuit, in proſperis, & in aduerſis, quæ per leuam, & dexteram ſignificantur; & omnes habitatores terræ, tàm iuſtos, quàm peccatores ad cœleſtia ducere deſiderabat; quod ſẽper ante oculos mentis ſuæ debet habere Epiſcopus.

g Inſuper Epiſcopus non ducit ſtolam in modum Crucis; quia ante pectus geſtat Crucẽ cum reliquijs Martyrum. Nàm Chriſti, & Martyrum paſſiones, in corde debet habere reconditas.

h Dicitur ſtola orarium, quia quamuis, ſine alijs indumentis Sacerdotalibus baptizare, cõmunicare, & alia plura, orando, facere liceat; ſine orario tamen, niſi magna neceſſitate cogente, nihil horum fieri poteſt; vnde in Concilio Tiburtino in Brucardo *lib.6.cap.Presbyteri*, legitur; Presbyteri non vadant, niſi ſtola, orarioue induti.

Notandum autem, quod antiquitus, ſtola erat veſtis candida, pertingens vſque ad veſtigia, qua Patriarchæ vtebantur; & ante legẽ, quã primogeniti cum benedictione Patris accipiẽtes, eaq; vtebantur ad victimas offerendas Dño; ſed poſtquam alba cœpit portari, mutata eſt in torquem, primam ſtolam innocentiæ ſignificans, quæ per inobedientiam à primo homine amiſſa, oportuit recuperari per Vitulum ſaginatum, ideſt, qui per inobedientiã cæcidimus, per obedientiam reſurgamus, ideò pro veſte obedientiæ recuperanda, ſubimus torquem obedientiæ, nàm per ſtolam, qua nunc vtimur, obedientiam accipimus Euangelij, & Crucifixi; quam obedientiam ſubijt Chriſtus: *Exinanuiuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, Philipp.2.* quàm formam mortalitatis, nec traxit origine, nec opere commiſit. i

Stola ſignificat ligaturam, qua Chriſtus ad columnam li- k

ga-

gatus fuit; & Sacerdoti deſe-
ruit pro lancea contra Diabo-
lum. *In canone* 24. *d. non opor-
tet,& duobus,c.Se,* ſtatuitur, ne
Subdiaconi, Lectores, & Pſal-
miſtæ, orarijs, ſiuè ſtolis vtan-
tur.

l Quia Romanus Pontifex, &
omnes Epiſcopi Latini, vt di-
cetur cap.7. de cõfeſſione, poſt
indutám planetam; immò facta
confeſſione, manipulum leuæ
immittunt, ideò poſt ſtolam po-
nitur; licet Sacerdotes Latini,
ante ſtolam, adornant leuam
manipulo; nàm mentibus benè
compoſitis, & diuino cultui
mancipatis ſæpè ſubrepit acci-
dia, quæ quodam torpore red-
dit animum dormientem, iuxtà
illud *Pſal.* 118. *Dormitauit ani-
ma mea præ tædio.* Ideò in ſini-
ſtra manu Miniſtri, ad Altaris
miniſterium accedentis, quædã
apponitur manipula, quæ fanũ,
vel manipulus, vel ſudarium
appellatur; quatenus ſudorem
mentis abſtergat, & ſoporem
cordis excutiat, vt bonis operi-
bus inuigilet depulſo tædio,
vel torpore; per manipulum
enim bona opera, & vigilantia
deſignantur: *Vigilate, quia
neſcitis, qua hora Dominus ve-
ſter venturus ſit, Matt.* 14. per
ſudarium etiam, pœnitentia in-
nuitur, qua labes quotidiani
exceſſus, & tædium mundanæ
conuerſationis, extergitur, tæ-
det enim animam, peccato-
rum, conſcientiæ, & infirmitatis
torpore. Significat etiam fu-
m turorum bonorum retributio-
nẽ; Vndè in quibuſdam locis,
quoties in feſtis; albis vteban-
tur, manipulum portabant, ex
eo, quod in illa vita, vnuſquiſq;
propriam mercedem accipiet:
*Venientes autem venient cum
exultatione, portantes manipulos
ſuos, Pſ.* 125. in ſiniſtra fertur,
ad notandum, quod Miniſter
Chriſti ſtrictus debet eſſe ad
terrena; ad cœleſtia expeditus,
vel manipulus in ſiniſtra, fidem
in hac vita annuit; manipuli
vſus ſumptus eſt, non ab Aa-
ron, ſed ab antiquis Patribus;
legitur enim in Martirologio
Bedæ, ſic, Arſenius ſudarium
ſemper ferebat in ſinu, vel ma-
nu, ad tergendum effluentiam
lacrymarum.

Porrò ſecundùm quod con-
uenit Chriſto capiti, quod Sa-
n cerdos portet manipulum in
leua, deſignat, quod Chriſtus
brauium obtinebat in via. Per
manipulum, pręmium innuitur;
per leuam, vita præſens accipi-
tur:

tur: *Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, *Cant.*2. repræſentat funem, qua Chriſtus à Iudæis fuit ligatus: *Comprahenderunt Ieſum, & ligauerunt eum*, *Ioann.* 18. Sacerdoti autem pro claua deſeruit, contra nequitiam Diaboli.

Super omnes veſtes, Sacerdos caſula induitur, quæ parua caſa dicitur; à Græcis autem planeta vocatur, à planõ, quod eſt error, quoniam errabundus eius limbus ſuper brachia eleuatur, ſignans charitatem, ſine qua, Sacerdos eſt: *Velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*, 1. *Cor.* 13. *v.* 1. Sicut enim *Charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. *Petr.* 4. *v.* 9. & omnia legis, mandata continet, dicente Apoſtolo, *Plenitudo legis eſt dilectio*, *Rom.* 13. *v.* 10. ſic hæc veſtis cuncta planat, & omnia alia indumẽta intra ſe claudit, & continet. Hæc, ſiquidem eſt veſtis nuptialis, de qua *Matth.* 22. *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem*? Sine hae nunquam Sacerdos debet ſuum officium in Sacrificia Miſſæ exercere, quia ſemper eũ decet in vinculo charitatis permanere; per hoc autem quod amictus ſuper os planetę reuoluitur, innuitur, quod bonum opus debet ad charitatem referri. Nàm *finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*, 1. *Tim.* 1. *v.* 5. Quod verò caſula in anteriorem, & poſteriorẽ partem, in extentione manuum
o diuiditur, ſignificat duo brachia charitatis, ad Deum, ſcilicet, & proximũ. Latitudo planetę, latitudinem charitatis innuit, quę vſq; ad inimicos extẽditur: *Latum mandatum tuum nimis*, *Pſal.* 118. Veſtimentum duplex eſt, quia ſic debemus opera bona proximis oſtendere, vt & intus in corde, coram Domino, integra ſeruemus. Charitatem ergo debemus habere in corde, & in opere, intus, & foris. Per caſulam ergo, opera iuſtitiæ deſignantur, iuxtà illud *Pſal.* 131. *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam.*

Secũdùm quod capiti Chriſto conuenit; caſula magni Sacerdotis, eſt Ecçleſia vniuerſalis, de qua Apoſtolus: *Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, *ad Gal.* 3. Hoc eſt illud Aaron veſtimentum, cuius in oram deſcendit vnguentum; à capite deſcendit in barbam, à barba in oram veſtimenti; nàm

de

de plenitudine ſpiritus eius, nos omnes accepimus; quod autem caſula vnica, integra, & vndiq; clauſa eſt, ſignificat fidei vnitatem, & integritatem; verumtamen in extentione manuum, in anteriorem partem, & poſteriorem, quodammodò diuiditur, ſignificat antiquam Eccleſiam, quæ Paſſionem Chriſti præceſſit, & nouam, quæ eandem Paſſionem ſubſequitur: *Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes, Hoſanna filio Dauid, Mat. 21. v. 9.* Significat hæc veſtis purpureum veſtimentum, quo indutus eſt Ieſus; & Sacerdoti deſeruit pro ſcuto.

§. VI.

De ſingularibus Epiſcopi veſtibus, & ornamentis in Miſſa.

q INſuper ordo Romanus inquit. Si ſit Epiſcopus, & ſolemniter celebret, accipit paramenta, & alia, vt in Cœremoniali. Hoc eſt, caligas, amictum, albam, cingulum, Crucē pectoralem, ſtolam, tunicellam, dalmaticam, chirothecas, planetam, mitram, annulum, & manipulum.

Quæ communia ſunt Sacerdoti, iàm dictum eſt; explicanda autem ſunt illa veſtimentorum myſteria, quæ ſingulariter Epiſcopo adhærent.

r Et primò Epiſcopus in Miſſa ſolemni poſt ſtolam induit tunicellam, & dalmaticam. Prima, quæ non videtur, innuit in ipſo virtutes internas, ſcilicet purum cor, ſanctam intentionē, ſui ipſius vilem extimationem, & cætera huiuſmodi. Secunda ſcilicet dalmatica; immaculatæ vitæ, & liberalitatis in pauperes eſt typus, miſericordiam Chriſti largam, & erga nos, latam, ſignificat, vt dicetur de Diacono; de Cruce pectorali dictum eſt ſuprà, vbi de ſtola.

Chirothecæ, quæ ab ordine
s Romano, manicæ vocantur, eo quod manus Epiſcopi tegunt; annuunt ſancta eius opera, quę palàm fiunt, eſſe ſine hypocriſi; nàm eius ſancta intentio eſt in occulto; & ſignificant, quatenus Chriſto conueniunt, pelliculas hædorum, quibus, vt Iſaac patrem, Iacob eius filius deciperet, manus ſuas operuit, ideſt Chriſtus peccata noſtra induit, ſine culpa; vt pro ipſis ſatisfaceret.

t Annulus, in digito annulari, de-

dexteræ manus,ponitur,ob reuerentiam Corporis Chriſti, quod indice, & pollice tangitur, nàm ſegregatus ab Altari Epiſcopus,ſemper debet habere annulum aureum in indice, in ſignum fidei, cum Eccleſia ſponſa ſua; eo quod,index ſalutaris dicitur; & Epiſcopus dona ſalutaria Spiritus Sancti diſtribuit ouibus ſuis; maximè in ordinatione Cleric. In ipſo annulo nihil ſculptum debet eſſe,vt in ipſo inuiſibilem Deũ veneremur.

Accedit ad Altare Epiſcopus cum mitra, & baculo Paſtorali, mitra duobus cornibus eſt formata, quæ ſcientiam, & doctrinam vtriuſque Teſtamẽti indicant, qua callere debet Epiſcopus, ad paſcendas oues, & lupos arcendos. Duæ victæ, ſeu fibriæ poſteriores, ſunt ſpiritus,& littera vtriuſque Teſtamenti,ad humeros pendent, ad ſignificandum id,quod Epiſcopus docet, debet opere adimplere.

Baculus correctionem paſtoralem innuit, nàm datur Epiſcopo in conſecratione,ad regimen animarum, & tres partes habet, ſummam retortam, mediam rectam,imam acutam;prima trahit oues; ſecunda regit, tertia pungit, quando rebelles euadunt. Manu ſiniſtra geſtatur, quæ cordis eſſe dicitur, vt dextera poſſit Epiſcopus populo benedicere.

§. VII.

De cæteris veſtibus, quæ Sacerdoti,& Miniſtris ad Miſſam deſeruiunt.

PLuuiale,quod & cappa,antiquitus dicebatur;eo vti- y
v tur Sacerdos in Dominicis diebus in principio Miſſę communis, ad aſperſionem aquæ luſtralis, & in benedictionibus, quæ fiunt in Altari, ſignificat charitatem,ſicut dictum eſt de caſula,innuit etiam glorioſam corporum immortalitatẽ; ideò anteriores partes habet apertas, quia corpora fidelium facta ſpiritualia in Cœlis, nullis animam opprimẽt anguſtijs; ſed per gloriam erunt omnia traſparentia,luminoſa,& aperta.
x

Manipulus cum pluuiali nũquam adhibetur, quia ille fle- z
tum ſignificat, ideò cũ pluuiali non concordat,quod cœleſte gaudium innuit.

Dal-

Dalmatica,& tunicella,qui-
a bus vtuntur Diaconus,& Sub-
diaconus,ſignificant lætitiam,
& curam proximorum;formam
Crucis gerunt, vt eis induti,
mundo ſint Crucifixi, apertas
alas habent, vt Chriſtum imi-
tentur,qui lancea,& clauis fuit
in manibus,pedibus,& látere
apertus; latas manicas,propter
liberalitatem ad pauperes; li-
neæ ſericæ antè,& retrò gemi-
nam dilectionem Dei,& proxi-
mi ſignificant. Dalmatica con-
ceditur Subdiacono, quatenus
Diaconum imitatur,vel quia,
vt ea vtitur,vocatur tunicella,
quaſi minor tunica,cum ad mi-
noris virtutis gradum, quàm
Diaconus peruenerit; Sed v-
traque veſtis, loricam iuſtitiæ
innuit,quæ vtriſque communis
virtus eſſe debet.

In aliquibus diebus ieiunio-
b rum Dalmatica prohibetur,
quia ipſa lætitiam ſignificat,
quæ in ipſis diebus interdici-
tur; concedũtur planetæ plica-
tæ antè pectus,ad differentiam
Sacerdotis, & vt liberiùs inue-
niantur ad miniſtrandum; ipſæ
autem collum circuunt,vtrum-
que brachium; pectus, & hu-
meros veſtiunt, & hoc docet
charitatem,quę exigitur in vo-
ce, collo formanda, in opere,
corde,& in aliorum onera por-
tando, quod maximè, in illis
diebus pęnitentię debent exer-
c cere; dimittitur ab vtroque ip-
ſa caſula plicata,quando legũt
Epiſtolam,& Euãgelium, quaſi
profiteantur, in proprio mini-
ſterio legendi, eam non eſſe
propriam veſtem. Caſulam re-
ſumit Subdiaconus, lecta Epi-
ſtola, quia poſt legem timoris,
quæ innuitur per Epiſtolam,
datur lex charitatis, quæ per
caſulam ſignatur; Diaconus
verò,depoſita caſula, vel plica-
tam ponit ipſam ſuper ſtolam,
vel aliud genus ſtolæ latioris,
ſic ſtando vſque factam com-
munionem, & hoc non ſolùm
vt liberiùs, & expeditiùs mini-
ſtrare poſſit Sacerdoti; ſed ad
myſterium, vt ſcilicet charita-
tem amorem Dei, & proximi,
quem ore prædicat,opere com-
pleat, & ex feruore ipſius cha-
ritatis, non ex timore ſeruili
Altari ſeruiat. Cætera de ſto-
la,& manipulo, quatenus Dia-
cono, & Subdiacono conue-
niant, vide ſupra §. 5. vbi de
ſtola,& c.16.& 24.vbi de Epi-
ſtola,& Euangelio.

§. VIII.

Quid in Miſſa habetur.

SAcerdos, his phaleratus armis,& ornamentis, procedit ad pugnam, & ad iudicium; ad pugnam contra Diabolum, vt eum expugnet; ad iudicium, vt pro nobis apud Deum intercedat. Nam Miſſa iudicium imitatur, eo quod Canon actio vocatur, *de conſec. diſt.* 1. *Neceſſe eſt enim actio, cauſa in iudicium deducta, de verbo.ſigni.forus*; in Miſſa nãque cauſa noſtra agitur.Oratorium eſt Prætorium. Deus, Iudex, Diabolus,accuſator; Miniſtri,teſtes. Sacerdos,aduocatus, & defenſor; hic eſt Moyſes, qui cauſam populi ad Dominum allegabat, cuius patrocinio, delatoris fallacia confutatur; noſtra innocentia comprobatur, & abſoluitur, & Iudicis ira placatur, & ꝑ miſericordiã remittitur culpa, 45.*d. Diſciplina extra de re iudic. cũ vterini*. Cæterum Miſſa dicitur myſterium,quod profertur; ſacrificium, quod offertur.

Miſſæ autem officium in duas diuiditur partes, videlicet; in Miſſam Cathecumenorum, & Miſſam fidelium. Prima eſt ab introitu vſque ad offertorium incluſiuè; quæ Miſſa ab emittendo dicitur, nam Sacerdos
d quando incipit conſecrare Euchariſtiam, Chathecumeni foras emittuntur, vndè antiquitùs, perlecto Euangelio, Diaconus ſupra pulpitum acclamare ſolebat.Si quis Cathecumenus adeſt,exeat foras; quod ideò fiebat, quia Cathecumeni, licet ſint in Fide inſtructi,tamen non ſunt renati,ſiue baptizati,eo quod non ſunt de corpore Eccleſiæ; ſicut nec Iudæi, & Gentiles, qui omnes ſacris myſterijs intereſſe non debent,quæ,nonniſi baptizatis fidelibus committũtur; nec theſauri Eccleſię inimicis ſunt cõcedendi. Et de iſtis figuram gerentibus dicitur *Io*: 2. *v*.25. *Ieſus autẽ nõ credebat ſemetipſum eis, ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine*. Hinc etiam in Can. Cartagin. Concil. *de conſecr. d.* 1. *Epiſcopus* dicitur, quod nec Gentilis,nec Iudęus, nec Hęreticus prohibeatur Eccleſiam ingredi, & audire verbum Dei,vſque ad finem Miſ-
c ſæ Cathecumenorum, nec etiã inceſtuoſi, 36. *q*. 3. *de inceſt. & è ſe.*

Miſſa autem fidelium eſt ab of-

f offertorio, vſque ad poſt communionem, & dicitur Miſſa, à dimittendo; quia ea expleta ad propria, quiſque fidelis dimittitur; Miſſa ergo, quandoque eſt nomen collectiuum, quia interdum Miſſa vocatur, quod eſt ab introitu, vſque ad offertorium; quandoque ab introitu, vſque ad ite Miſſa eſt, & hoc verius; quia tunc hoſtia mittitur; ſed vſitatius Miſſa dicitur totum officium ab introitu, videlic. vſque ad ite Miſſa eſt. Nã inuocatio Chriſti nominis, quæ à Sacerdote fit ſuper Altare, quaſi tũc trãſmiſſa eſt; eo ꝙ populus fidelis per miniſteriũ Sacerdotis, qui vice mediatoris, inter Deũ, & hominẽ, ideſt Chriſti, fungitur; preces, ſupplicationes, ac vota Altiſſimo tranſmittit; quandoque tantũ officium, quod ſub ſilẽtio dicitur; quandoque ſolum verba illa, quibus Dominicum conficitur corpus, dicitur Miſſa.

Item Miſſa, eſt nomen proprium, quia ſignificat Chriſtũ, qui à Patre miſſus eſt in hunc mundum. Significat etiam Angelum, qui mittitur, vt per eius manus, hoſtia offeratur in ſublime Altare Domini. Ipſum ergo ſacrificium, ideſt hoſtia, vocatur Miſſa, quaſi tranſmiſſa priùs, ſiquidem à Patre nobis, vt ſcilicet eſſet nobiſcum; Poſteà à nobis Patri, vt intercedat, & ſit pro nobis apud ipſum; prima vocatur miſſio; ſecunda oblatio.

CAP. II.

De quinque Pſalmis, quos Pontifex, vel Sacerdos celebraturus dicit.

g CElebraturus Põtifex Miſſarum ſolemnia, (& quilibet Sacerdos pro opportunitate) quoſdam Pſalmos, & orationes, ex inſtitutione Cœleſtini Primi, præmittit, quos interim, dum caligis Pontifex, & ſandalijs ornatur, dicit, ſecũdùm exortationem Pſalmiſtæ dicentis: *Præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in Pſalmis iubilemus ei, Pſal.* 94. Hi Pſalmi ſunt quinque, videlicet: *Quam dilecta Tabernacula*; *Benedixiſti*; *Inclina*; *Credidi*, & *De profundis*, vt quidquid immundum quinque ſenſuum tranſgreſſione commiſit, quinque Pſalmorum oratione detergat. Quædam enim continentur in quolibet ipſorum, quæ rectè conueniunt celebra-

turis Altaris myſterium, & Eucharistiæ Sacramentum, orationes, quas dicit, manifeſtè pertinent ad impetrãdum cordis, & corporis munditiam, atque munimen. Rurſus idcircò indicit iſtos Pſalm. vt in Chriſto, cuius typum gerit, virtutum plenitudo notetur.

C A P. III.

De capitis compoſitione, & manuum lotione.

DEbet Sacerdos, antequam ad Altare accedat, etiam ſuum componere corpus, vndè, & caput pectinet, manus, & faciem lauet. Nàm & legalis Pontifex ſacrificaturus, lotis priùs manibus, & pedibus, induebat manaſtaſim, cuius loco hodiè habentur ſandalia; pectinat igitur caput, & faciem lauat; primò exemplo Mariæ, quæ futuram Chriſti Paſſionẽ figurans, vnxit oleo caput eius. Etenim in Miſſæ officio, Chriſti Paſſio repræſentatur; ſecundò ex mandato; *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, Matt.6. v.17.* Per hoc ſignificans, quod in ſanctis operibus noſtris, omnẽ fictionem, & mentis ſimulationem à nobis amouere debemus. Pectinatur caput, nàm per capillos, ſuperfluæ cogitationes, & cura terrenæ ſollicitudinis; per caput, mens, & intentio, quæ cunctis animæ actibus, ſicut caput cæteris membris ſupereminet, ſignificantur; congruè igitur pectine capilli complanantur, & ordinantur, & euulſi ſeparantur, ad notandũ, quod tunc ſpecialiter mores componere, & ſuperfluas cogitationes à ſe repellere debet Sacerdos, iuxtà illud *Iſaiæ* 1. *Auferte malũ cogitationum veſtrarum*, atque mens eius, præuia diſpoſitione ſancta præparari, quietari, & purgari à terrenis ſollicitudinibus, & virtutibus ornari cœleſtibus. Pectem enim propter ordinatam inſciſſionibus diuiſionem, diſcretionem ſignificat, qua intentio animæ adornatur, ſicut capilli capitis, pectine adornantur.

Manus quoque lauat, propter reuerentiam tanti Sacramẽti, quatenus ad illud pertractãdum mundiſſimus accedat. Vndè Gregor. in Paſtorali *lib.* 1. *pag.*102. *Neceſſe eſt, vt munda ſtudeat eſſe manus, quæ diluere ſordes curat*; corporaliter igi-

igitur lauat manus,vt ſpiritualiter mundet actus, iuxtà illud *Pſal.*25. *Lauabo inter innocentes manus meas*,nè quaſi illotis manibus, ad menſam peruenire videatur; non quod lutum manuum, Diuina Sacramenta contaminet;Sed *Si quis indignè manducat,& bibit, iudicium ſibi manducat,& bibit*, 1.*Cor.*11.*v.*27. Vndè in Euang Matt. *Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem,quę verò de ore procedunt,& de corde exeũt, videlic. Cogitationes malæ,homicidia,& adulteria, & huiuſmodi;hæc ſunt, quæ coinquinant hominem,Matt.*15.*v.*20.Sollicitè ergò ſatagendum eſt, vt non tã exteriora manuum,quàm interiora mentium inquinamenta purgentur; manuum autem lotio,à lege ſumpſit exordium, vt dictum eſt, legitur enim *Exod.*30.& 38.& 40. Quod Moyſes fecit labium æneum de ſpeculis mulierum,in quo lauabãt ſe Sacerdotes in ingreſſu Tabernaculi teſtimonij, quando acceſſuri erant ad Altare. Siquidem in labio æneo ſonoro, ſignificatur confeſſio: in Altari aureo, mentis amaritudo: in ſpeculis mulierũ,vitæ Sanctorũ conſideratio.

Sacerdos igitur priuſquam ad Altare veniat,per confeſſionem, ſiuè lacrymis pœnitentiæ ſe abluat; per mentis amaritudinem ſe purget; per conſiderationem vitæ Sanctorum ſe informet.De primo dicitur:*Mũdamini, qui fertis vaſa Domini,Iſaia* 12.*v.*11. De ſecundo: *Expurgate vetus fermentum*, 1.*Cor.*5.*v.*7.De tertio: *Habentes impoſitam nubem teſtium deponentes omne pondus, & circũſtans nos peccatum,Heb.*11.*v.*1. Et ſic inuenitur in numero illorum innocentium, qui audacter dicunt: *Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſum ſum, Pſ.*25. *v.*1.

Deindè manus lotas, manu tergio tergit, quia poſt lacrymas contritionis peccata abhorrere, & abolere per opera ſatisfactionis debet. Linum quidem,per laborem, ad cãdorem perducitur,& pœnitentes, per ſatisfactionem,ad perpetuã glorificationem perducuntur. Crinium igitur,manuum,& faciei ornamenta, non ſunt voluptatis oblectamenta; ſed in figuram,à Domino Sacerdotibus legis iniuncta.

CAP. IV.

De aquæ benedictæ aſperſione.

SAcerdos in diebus Dominicis celebraturus, alba,& ſtola paratus,priuſquam planetam induat,vt liberiùs vacare poſſit; ex inſtitutione Alexandri Papę Primi,aquam benedicit cum pluuiali; Altare,Eccleſiam,& populum,ipſa aqua benedicta aſpergit, vt omnis immundorum ſpirituum ſpurcitia, tàm de habitaculo, quàm de cordibus fidelium propellatur. Hæc enim virtus aquæ exorcizatæ ineſt; & etiam,quia nouus Chriſtianorum populus, Baptiſmatis Sacramento renatus,ità miniſterio aquę,lota renatorum corpora diluit, ſicut ſanguis Agni, à priſco populo, ad repellendum percuſſorem, in poſtibus ponebatur, *Heb.9.* Vndè in Canone Alexandri ità legitur; *Per aquam,ſale aſperſam,populis benedicimus,vt ea cuncti aſperſi,ſanctificentur, & purificentur, quod omnibus Sacerdotibus faciendum mandamus, nàm ſi cinis vitulæ aſperſus ſanctificabat populum, atque mundabat (ſcilicet à venialibus) multò magis, aqua ſale aſperſa, diuiniſque precibus ſacrata, populum ſanctificat, atque mundat à venialibus; & ſi ſale aſperſa, per Eliſæum,ſterilitas aqua ſanata eſt,* 4. *Reg.* 2. *quantò magis diuinis precibus ſacratum ſal ſterilitatem rerum aufert humanarum; & coinquinatos ſanctificat, atque purgat, & cætera bona multiplicat; Diabolique inſidias auertit, & à phantaſmatis verſutijs,homines defendit.*

Aqua igitur, omni Dominica benedicitur, in memoriam Baptiſmi, præterquam in Paſcha,& Pentecoſte,quia in Sabbatis pręcedentibus,benedictis fontibus, antè Chryſmatis infuſionem, aqua recipitur, & ad aſpergendum nos, & domos reſeruatur, ſicut in Canone cautum habetur. Ex aqua ergo benedicta,nos,& loca,in ſignificationem Baptiſmi, aſpergimus, & hoc non vt rebaptizemur, ſed vt gratiam diuini nominis,cum memoria Baptiſmatis,inuocemus.

Circa quod conſiderandum eſt, quod huiuſmodi aſperſio, alia ratione fit ſuper populum,

&

& alia ſuper Altaria,quia enim concluſit Deus permiſſiuè omnes ſub peccato, ſaltem veniali, nàm *Septies in die cadit iuſtus,Prou.*24.*v.*16. idcircò ipſe populus Eccleſiam ingrediens, diuinis inſiſtere intendens, & aqua ſanctificata aſpergitur, quæ valet ad quotidiana delēda, ſicut cinis Vitulæ in veteri Teſtamento, *Hebr.*9. Secundū quod,qui immundus erat,prohibebatur Eccleſiā ingredi,donec aqua lauaretur. Altare enim aſpergitur, propter reuerentiam Sacramenti, quod ibidem conſecrandum eſt,vt indè omnium malignorum ſpirituū præſentia arceatur; & quemadmodum Chriſtus per Altare, quod lapideum debet eſſe, ſignatur, ſecundùm illud Apoſtoli:*Petra autem erat Chriſtus*, 1.*Cor.*10.*v.*4.& fides noſtra de vno Chriſto, & non de pluribus eſt; idcircò vt ſignum ſignato reſpondeat, vnico Altari aſperſo, vniuerſus aſpergitur populus,quia ipſe ſolus eſt,qui tollit peccata mundi.

In Paſchali autem tempore ad aſpergendum cantamus;Vidi aquam,&c.quæ ſumitur *de Ezech. c.*47. cui Dominus Ciuitatem oſtendit ędificatam ſuper Montem, vergentem ad Auſtrum, in qua erat mirabile Tēplum. Ciuitas, Eccleſia eſt, de qua dicitur: *Soluite Templū hoc,& poſt triduum ædificabo illud, Matt.*5.aqua de Templo egrediens,fons eſt Baptiſmi de latere Chriſti procedens.Sed ſi verum eſt, quod dicunt aliqui, Chriſtum in ſiniſtro latere, lanceatum fuiſſe; quare dicit à latere dextro? ad quod ſic reſponderi poteſt; duo ſunt latera Chriſti, dextrum, & ſiniſtrū; primum eſt Diuinitas, ſecundum humanitas, à latere igitur dextero exiuit aqua, quia de diuina Chriſti natura, Spiritus Sancti aqua inuiſibilis procedit, & aquæ viſibili de latere Chriſti ſiniſtro,ideſt humanitate lanceata profluenti, ſaluandi virtutem tribuit. Sed meliùs ſecundum communem Eccleſiæ ſenſum, Chriſtus lanceatus in dextro latere fuit, à quo ſecundum Auguſt.fluxerunt omnia Sacramenta, inter quæ primum locum obtinet Baptiſmus; rectè igitur in Paſchali ſolemnitate cantamus in laudē fluminis huius, cuius inundatione per mortem Chriſti reuiximus; Vidi aquam, &c.

Verum poſt octauam Pente-

co-

coſtes cantatur in Dominicis diebus ad aſpergendum Antiph. *Aſperges me Domine, &c. Pſal.* 50. in ſignum doloris, & cordis cõtritionem, quæ à Paſcha, vſque tunc, intermittitur, propter lætitiam Reſurrectionis, & aduentum Spiritus Sãcti.

Porrò aqua cum benedicitur ſale admiſcetur, quod ab Eliſæo ſumpſit exordium, & fit hoc, ad notandum, quod populus, per aquam intellectus, vt ſanctificari poſſit, per Sacerdotis officium, verbo Dei imbuitur, quod per ſalem ſignatur, fit ter Crux ſuper aquam, & ſalẽ, quia docetur populus, Sanctæ Trinitati gratias, pro ſua eruditione, & Redemptione referre; per aquam quoque confeſſio, per ſalem amaritudo ſignificatur; ex aqua miſta ſale, geminus partus procedit, ſcilicet diuiſio, vel ſeparatio delictorum, & ortus virtutum, ac bonorum operum; benedicitur prius ſal, quam aqua, quia ſal ſignificat amaritudinem pęnitentię, aqua Baptiſmum, quia ergo cordis contritio debet præcedere abſolutionem, & pęnitentia Baptiſmum, ideò benedicitur prius ſal, quam aqua.

Quatuor ſunt ſpecies aquæ q benedictæ; prima in qua fit inditium purgationis, vel exorciſmi, quæ fortè in vſu non eſt; ſ ſecunda, quæ ſanctificat in conſecratione Eccleſiæ, & Altaris; tertia, qua in Eccleſia aſpergimur; quarta aqua Baptiſmi; & quia maius dignum trar hit ad ſe minus dignum, ideò ſi aqua non benedicta admiſcetur aquæ benedictæ, tota efficitur benedicta.

C A P. V.

Prima Pars.
De officio, ſeu introitu Miſſæ.

IN introitu prima pars Miſſę incipit; nàm Sancti Patres, & Prophetæ præconizantes, & ſuſpirantes præmiſerunt deſideria, opera, laudes, & preces; quæ ſingula figurantur in Miſſa; in introitu ergo, ſcilicet in ipſa Antiphona, vaticinia Prophetarum, & Sanctorum Patrum deſiderium, cum præconijs, filij Dei aduentum, & Incarnationem Verbi Æterni expectantium exprimuntur, in cuius rei ſignum, in prima Dominica Aduentus, cantat Eccleſia introitum, *Ad te leuaui, &c.* Chorus igitur

pſal-

t pſallentium Clericorum, qui
ſignificat Chorum Propheta-
rum, & multitudinem Sancto-
rum, Chriſti Aduentum expe-
ctantium, animam ſuam dila-
tat, & introitum in iubilo can-
tat; ex eorum igitur perſona
cantatur introitus, per quos
Chriſtus introiuit in mundum,
iuxtà illud Apoſtoli: *Et cum*
iterum introducit primogenitum
in orbem terræ, dicit, & adorent
eum omnes Angeli Dei, Hebr. 1.
v. 5. ſequitur verſiculus Pſalmi-
ſticus, qui verſionem ad opera-
tionem notat, dicitur verſus,
quia per eum reuertimur ad
v introitum, ſignificans opera, &
vaticinia; dicitur conſequẽter,
Gloria Patri, &c. ex inſtitutio-
ne Damaſi Papæ, quod ſignifi-
cat laudem, quia poſt operatio-
nem, danda eſt gloria Sanctiſſi-
mæ Trinitati, cui æqualis eſt
gloria, & coæterna Maieſtas; *in*
principio, & nunc, & ſemper, &
in ſæcula ſæculorum, ideſt in
præterito, in præſenti, & in fu-
turo tempore. Interpoſitio hęc,
gloriæ, inter primam cantatio-
nem introitus, & ipſius repeti-
tionem, captationem beneuo-
x lentiæ deſignat; repetitur in-
troitus, vt deſiderium, & multi-
plicatio ſuſpiriorum, & clamo-
ris ipſorum Sanctorum expri-
matur; Vndè Propheta: *Man-*
da, remãda, expecta, reexpecta;
modicum ibi, & modicum ibi; ſi
moram fecerit, expecta eum,
quia veniens veniet, & non tar-
dabit, Iſaia 28. Cantatur bis
introitus, in laudem diuinæ, &
humanæ naturæ, quæ in perſo-
na filij ſunt vnitæ; dicitur ſemèl
Gloria Patri, &c. ad laudem In-
carnationis.

Introitus autem ſic dicitur,
y eo quod dum ille cantatur, Sa-
cerdos miniſtraturus, ad Alta-
re intrat; ſeu quia per illam
Antiphonã ad officium intra-
tur. Cœleſtinus Papa ſtatuit, vt
Pſalmi Dauid centũquinqua-
ginta, ad introitum Miſſæ, antè
ſacrificium, cum Antiphona
canerentur; quod antea non
fiebat; ſed Epiſtola Pauli, & E-
uangelium legebantur; & po-
ſteà celebrabatur Miſſa: de illis
ergo Pſalmis, excepti ſunt om-
nes introitus regulares, gra-
dualia, offertoria, & commu-
niones, quæ cum modulatio-
z ne, primò cœperunt ad Miſ-
ſam, in Eccleſia Romana canta-
ri. Gregorius enim introitum
Miſſæ cum cantu ordinauit, &
vnum verſum de illo Pſalmo,
qui cantabatur retinuit; irre-

gulares introitus ſunt, qui ſecundum varietates ſolemnitatum inſtituti ſunt,videlic. *Puer natus eſt nobis,&c.Spiritus Domini repleuit*, *&c.* & ibi ſunt
verſus,&c. Notãdum verò eſt, a
quod quando introitus ſumitur de Pſalmo,ſi primus verſus Pſalmi eſt introitus , aliquis verſus eiuſdem Pſalmi,erit verſus illius introitus ; ſi verò non primus verſus Pſalmi , ſed aliquis alius de ſequentibus ſit introitus , tunc primus verſus Pſalmi erit verſus introitus; quod fit ad deſignandum vnionem , & connexionem capitis, cum membris ; rurſus quando cantatur introitus , non ſedetur , quoniam ad opus , & præconium Chriſti, introitus refertur ; vt prædeſtinati ad ve- b
rum Dei cultum vocentur; poteſt etiam dici , quod introitus ſit laus Eccleſiæ de Iudæis cõuerſis,ideò tria continet, videlic. Antiphonam , verſum , & Gloriam , & hoc propter tres ordines fidelium , qui fuerunt Hebraicæ linguæ , ſcilicet Patriarchæ,Prophetæ, & Apoſtoli; Introitus eſt Patriarcharum, verſus Prophetarum , Gloria Apoſtolorum; Introitus repetitio, eſt prædicationis identitas, & confirmatio, quaſi quod lõgè Patriarchę prius geſtibus figurarunt, Prophetæ prædixerunt,hoc Apoſtoli euangelizarunt.

CAP. VI.

De ingreſſu Sacerdotis ad Altare.

SAcerdos paratus , & ſacris indumentis ordinatus,de ſacra æde egreditur, & accedit ad Altare,ſignificãs,quod Chriſtus de ſecreto habitaculo Cœlorum egreſſus eſt in mundum; vel de ſecreta æde, videlic. de c
virginali vtero egreſſus eſt,tãquam ſponſus de thalamo ſuo; præcedunt primo duo ceroferarij cum candelis accenſis, quos antecedit Acolythus ferens thuribulum fumigans,deindè Subdiaconus,poſteà Diaconus, qui ſanctos noui Teſta- d
menti ſignificant . Ceroferarij, & thurriferarius, ſanctos , qui præceſſerunt nouum Teſtamẽtum . Duo candelabra cum cereis accenſis, legem , & prophetiam, quæ Chriſtum,mundi lucem, prænunciabant . Sine igne enim non debet ſacrificari, *extra de celebr.Miſſar.c.fin.* iuxtà illud *Leuit.c.6. Ignis in*

Al-

Altari meo ſemper ardebit. Cerei feruntur ſuper candelabra, quæ fundamentum ſignificant, c vt ſuper fundamentum luceat lux coram hominibus,prędicatorum, ideſt ſupra diuinam Scripturam; pulchrè ergo candelabra Diaconum,& Subdiaconum præcedunt, quia lex, & Prophetæ legem gratię præceſſerunt. In quibuſdam Eccleſijs ſunt tres cerei,quorum medius ſignificat illum, qui ait: *Vbicumque fuerint duo, vel tres in nomine meo,in medio eorum* f *ſum, Matt.* 18.in alijs ſeptem, quia gratia ſeptiformi tota Eccleſia illuminatur. Thuriferarius omnes antecedit, ad notādum, quod thuris ſignificatio, Sanctis vtriuſque Teſtamenti communis eſt; per thuribulum autem, cor hominum notatur, g quod debet eſſe apertum ſuperius ad ſuſcipiendum, & clauſum inferius ad retinendum, habens ignem charitatis, & thus deuotionis,ſiuè ſuauiſſimę orationis, ſeu bonorum exemplorum, ſurſum tendentium, quod per fumum indè reſultātem notatur;ſicut enim thus,in igne thuribuli, ſuauiter redolet,& ſurſum aſcendit,ità opus bonum, vel oratio, ex charitate, vltro omnia thymiamata fragat;adhuc thuribulum cum incenſo, corpus Chriſti ſuauitatis odore plenum, Carbones Spiritum Sanctum, thus boni operis odorem deſignant.Candelabra per acolythos h manibus tenētur,donec Kyrie ele,& Gloria intonetur, ad notandū, quod Doctor opere exercere debet, quod docet, & non debet rudem populum deſerere, donec ſciat profiteri, Domine miſerere, & laudem, Gloriamque Deo dare; quandoque incepto Kyriel. deponuntur candelabra in pauimento, tum quia poſt acta bona opera, humiliare, & eſſe puluerem recognoſcere nos debemus; tum quia Doctores in bono opere, & in prædicatione ſe terram eſſe cognoſcere debent, ſecundum Ritum Romanum deponūtur antè confeſſionem ſuper credentiam ad maiorem commoditatem acolythorum.

CAP. VII.

De confeſſione facienda in Miſſa.

PRiuſquam Sacerdos, vel Epiſcopus,gradus Altaris

aſcendat, profundè ſe inclinat antè Altare, ſignificans Chriſti exinanitionem: *Inclinauit Cœlos, & deſcendit*, *Pſal.* 17. vel profundam Chriſti inclinationem in horto, *Matt.* 26. *v.*39. & conſiderat, quod iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui, *Prou.* 8. & confidit de prophetica illa conſolatione: *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*, *Pſal.*31.*v.*5. *de pœn. d.*1. *Dixi*; de peccatis generaliter, cum aſtantibus confitetur. Pſal. illũ prȩmittens, ex inſtitut. Cœleſtini Primi, ritè ad hoc conuenientem: *Iudica me Deus*, *Pſal.* 42. vt diſcretus à gente non ſancta, & ab homine liberatus iniquo, ad Altare Dei dignus introeat; petit enim liberari à tentatione, & illuminari à gratia, vt patet in ipſo Pſal. fit ergo confeſſio, vt purior ſit, & ſine macula ingrediatur; in quo notandum eſt, quia non vt quidam, minùs prouidè, faciunt in ſpecie, nè cautherizentur conſcientiæ auditorum, ſed in genere cõfitetur peccata, eo quod confeſſio eſt manifeſta, non occulta. Nàm confeſſio occulta debet fieri antequam ad Altare accedat, vt dictum eſt, cap. 3. de manuum lotione, eò quod
i debet ſe informare per cordis contritionem, per oris confeſſionem, & operis ſatisfactionẽ; hæc autem cõfeſſio, quȩ fit antè Altare ſupponit Sacerdotẽ iuſtum, ideòque ex abundantia contritionis, vel ex feruore amoris oritur, quæ magnam humilitatem in Sacerdote manifeſtat, reputans ſe indignum ad tantum Sacramentum accedere; percutiet autem pectus, cũ peccata confitetur, exemplo Publicani, qui pectus ſuum l
k percutiebat, dicens; *Domine propitius eſto mihi peccatori*, *Lucæ* 18.*v.*13. in tuntione quidem pectoris tria ſunt, fletus, ſonus, & tactus, per quæ ſignificantur tria in pœnitente neceſſaria, videlic. cordis contritio, oris cõfeſſio, & operis ſatisfactio; quia in tribus peccamus; ſcilicet in corde, ore, & opere; deindè pro circumſtantibus orat, indulgẽtiam peccatorum implorans. Nàm Chriſtus de ſecreto Pa- m
tris, in mundum veniens, & de vtero virginali procedens, Patribus ſuſpiria multiplicantibus, pro nobis paſſurus Ieruſalem introiuit, & in Montem ſe inclinauit; cauſam ſuam cõtra

tra hominem doloſum, & iniquum Deo committens,& Patri confeſſionem fecit, dicens: *Confiteor tibi Pater Domine Cœli,& terræ, Matth.* 11. ipſe quoq;nobis indulgens,proprio corpore peccata noſtra portauit.

Sacerdos, dum facit confeſ-
n ſionem,manus iungit,quæ ma-
num iunctio, deuotionem ſi-
gnificat, vel innuit omniũ bo- p
norum à Deo fluentium, in ip-
ſo Sacerdote vnitatem, & con-
iunctionem.

Epiſcopus facta confeſſione,
accipit in læua manipulum à
Subdiacono coram Altari, pri-
o mo ad notandum, quod cõceſ-
ſa temporalia,per manum alie-
nam,puta Subdiaconi,vel alte-
rius,& non propriam recipere,
& adminiſtrare debet; ſecundo
ad deſignandum, quod non q
ſufficit oris cõfeſſio, niſi & bo-
ni operis fructus, per manipu-
lum ſignificatus,ſequatur; ter-
tio, vt videns ſe in inferioris
miniſterij ornamento, ornari,
animo humilietur; Rurſus id-
circò Pontifex poſt acceptam
caſulam, & non antè,manipulũ
recipit,quia Chriſtus, cuius ty-
pum gerit, non prius manipu-
los operum,quæ per manipulũ
ipſum deſignãtur obtulit,, quã
cæleſtem haberet conuerſatio-
nem, quæ per caſulam figura-
tur. Adhuc Pontifex poſtquam
ad Altare peruenit,manipulum
recipit,ad notandum,quod tũc
demum bonorum operum ef-
fectiuum præmium percipie-
mus, cum ad æterni Tribunal
Iudicis perueniemus.

Sacerdos verò è contra, antè indutam caſulam, manipulũ ſumit,quoniam cœleſtem conuerſationem adipiſci nequit, niſi prius ſanctorum operum manipulos portet.

§. I.

De inclinatione Sacerdotis in Miſſa.

INclinatio, reuerentiam,ſiuè cultum,& humilitatem in inclinante innuit, ideò Sacerdos duodecim inclinationes facit in Miſſa,ob reuerentiam Chriſti humilitatis, quàm in Paſſione ſua expertus eſt, tres ſunt profundæ,& nouem ordinariæ;prima inclinatio profunda fit à Sacerdote in principio Miſſæ, antequam gradus Altaris aſcendat,quando facit confeſſionem. Secunda in princi-
pio

pio Canonis, quando dicit, *Te igitur clementiſſime Pater*, *&c.* tertia in medio Canonis, quādo poſt eleuationem Sacramēti profundè inclinatus, dicit, *Supplices te rogamus*, *&c.*

Tres iſtæ profundæ inclinationes innuunt profundam Chriſti humilitatem in agonia mortis, quam Chriſtus ipſemet in horto expertus eſt; vbi per tres vices cum maxima humilitate, & mortis agone, orauit ad Patrem, vt habetur *Matth. c. 26. v. 39. Progreſſus puſillum procidit in faciem ſuā orans, & dicens: Pater mi ſi poſſibile eſt tranſeat à me Calix iſte, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Et v. 42. Iterū ſecundò abijt, & orauit, dicens: Pater mi ſi non poteſt hic Calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua. Et v. 45. Et relictis illis iterum abijt, & orauit tertiò, eundem ſermonem dicens.*

Vel tres inclinationes profundæ Sacerdotis in Miſſa, ſignificant tres actus principales humilitatis in Chriſto Domino. Primus fuit in Incarnatione. Secundus in Paſſione. Tertius in Crucifixione. De primo dicitur *Philipp. 2. v. 6. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* De ſecundo dicitur r *Matth. 26. v. 42. Pater mi, ſi nō poteſt hic Calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* De tertio *Hebr. 12. v. 2. Qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit Crucem, confuſione contempta.* Meminit etiam huius tertiæ inclinationis Sacerdotis D. Bonauentura in expoſit. Miſſæ, & inquit: *Inclinatio Sacerdotis in hoc loco ſignificat inclinationem Chriſti, quando inclinato capite tradidit ſpiritum.*

Alias nouem inclinationes t ordinarias facit Sacerdos in Miſſa. Primam in principio Miſſæ, poſt confeſſionem, dicēdo, *Deus tu conuerſus viuificabis nos*. Secundam, quando aſcendit ad Altare, antè ipſum inclinatus, dicit, *Oramus te* s *Domine per merita Sanctorum tuorum*, *&c.* Tertiam antè Euangelium, cum dicit, *Munda cor meum*. Quartam poſt primā oblationem hoſtiæ, dicens, *In ſpiritu humilitatis.* Quintam cū poſt lotionem manuum, dicit, *Suſcipe Sancta Trinitas*. Sextā, quan-

quando poſt præfationem dicit, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* Septimam cũ dicit, *Agnus Dei, &c.* Octauam quando dicit, tres orationes, vel ſaltem duas antè communionem. Et denique quando in fine Miſſæ dicit, *Placeat tibi Sancta Trinitas.*

Has nouem inclinationes facit Sacerdos in Miſſa in memoriam manſuetudinis Chriſti Domini, in nouem genera iniuriarum, quas in Paſſione humiliter ſuſtinuit.

Primo in proditione Iudæ, quàm Chriſtus humiliter ſuſtinuit, & modeſtè redarguit, dicens *Luc.22.v.48. Iuda oſculo filium hominis tradis.*

Secundo in ſui captione, dũ militibus obuians, ſpontaneè ſe eis tradidit, vt habetur *Io:18.v.4. & 8. Ieſus itàque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eũ proceſſit, & dixit eis; quem quæritis. Dixi vobis, quia ego ſum; ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire.*

Tertio in ſui accuſatione, quando falſis teſtibus, & Iudicibus ſemper modeſtè reſpondit; vndè in eodem *Ioanne cap. 19.v.19.* dixit humiliter Chriſtus Iudici Pilato: *Non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.*

Quarto in opprobrijs ſputorum, & iniuriarum, ſine murmuratione toleratis, ſicut habetur *Matt.26.v.67. Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderunt; alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit?*

Quinto in his, quæ vidit, & audiuit contra ſe, nulla ſibi, vel alijs data perturbatio, vt habetur *Marc.15.v.4. Et accuſabãt eum Summi Sacerdotes in multis; Pilatus autem rurſus interrogauit eum dicens: non reſpondes quidquam; Vide in quantis te accuſant; Ieſus autem amplius nihil reſpondit, itaut miraretur Pilatus.*

Sexto in trina diſcipuli negatione, quem miſericorditer reſpiciens, ad pœnitentiam vocauit, ſicut dicitur *Luc.22. v. 61. Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat; quia priuſquam Gallus cantet ter me negabis; & egreſſus foras Petrus fleuit amare.*

Septimo in columnæ flagellatione, & ſpinarum coronatione,

ne, quas pœnas imperturbatè ſuſtinuit,ſicut dicitur *Ioan.* 19. *Apprehendit Ieſum Pilatus, & flagellauit, & milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius.*

Octauò in Crucis patibulo, & clauorum crucifixione;quãdo pro noſtris peccatis,ex cordis feruore, liberaliter, & copiosè ſatisfecit, ſicut habetur *Ioann.*19.*v.*17.*Et baiulans ſibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum,vbi crucifixerunt eum.*

Nono,& vltimo,in oratione feruoroſa, quam ad Deum in Cruce effudit pro omnibus, iniuriam, & contumeliam ſibi afferentibus, ijſdemque peccati veniam, & remiſſionem implorando; vt innuitur *Luc.*23. *v.*34. *Ieſus autem dicebat. Pater dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt.*

Huiuſmodi inclinationes, faciendo in Miſſa, deuotus Sacerdos debet in mente memorari has mãſuetudines, & actus humiliationis Chriſti Domini; corde proponens ipſas ad debilitatis ſuę poſſibilitatem imitari. Nàm inquit D.Bonauentura de præparatione ad Miſſam *c.*9. *Tria ſunt, quæ celebraturus intendere debet, ſcilicet Deum per latriam colere, Chriſti mortem memorari,et totam Eccleſiam iuuare.*

§. II.

De genuflexione Sacerdotis in Miſſa.

DE ordine genuflectendi in Miſſa,patet in principio Miſſalis, cap. 17. vbi habetur, quod Sacerdos in Miſſa, ſiue ſolemni,ſiuè priuata ad verba aliqua quorundam Euangeliorum, Epiſtolarum, verum, & ſymboli,imò & tractus,& ante aliquas collectas,quando dicit *Flectamus genua*, debet genuflectere,propter peculiarem reuerentiam, vel ob pœnitentiã, vel orationem, vel ſolemnem luctum,vt v.g. ad verba Euangelij *S.Io:c.* 1. *Et Verbum caro factum eſt*,ſimiliter ſymboli,*Et incarnatus eſt, etc.* ob reuerentiam humilitatis Filij Dei, Sacerdos illa dicendo genuflectit,ſimiliter in Paſſione quando in maiori hebdomada legit illa verba *Emiſit ſpiritum, etc.* ob reuerentiam mortis Chriſti Domini. Inſuper cauſa orationis,pœnitẽtiæ, & communis

lu-

luctus,tempore Quadrageſimę,
& certis diebus ieiuniorum ad
verba illa tractus : *Adiuua nos*
Deus,etc. ſimiliter quando antè
collectas dicit, *Flectamus ge-*
nua,Sacerdos genuflectit,&c.
In his, & alijs genuflexioni-
z bus, quæ fiunt à Sacerdote in
Miſſa duplex eſt finis, videlic.
orationis, & adorationis; pri-
mus includit pœnitentiam, &
reuerentiam; ſecundus reuerē-
tiam, ſiuè actum Religionis
debitum,cum actione gratiarū,
vterque autem cultum latriæ
habet, qui eſt honor ſoli Deo
impenſus, tanquam Summo
Creatori, ex debito ſeruitutis,
quo obligamur non ſola no-
ſtra, ſed nos ipſos impendere
pro ſuo honore; & hoc ex tri-
plici capite, ſiuè cōſideratione.
Primo ex conſideratione
omnipotentiæ, & iuſtitiæ Dei,
a quibus nos pleniſſimo iure b
damnare poteſt,& ſaluare;ideò
eſt ſummè timendus,& ex hoc
timore oritur in nobis, dolor
de peccatis, pudor, ſuſpiria,la-
crymæ,tuntiones pectoris, ſup-
plicationes,ieiunia, diſciplinæ,
peregrinationes, & huiuſmodi.
Secundo ex conſideratione
Sapientiæ, & Maieſtatis Diui-
næ; ſummè Deus eſt honoran-
dus. Et ex hoc namque ho-
nore oritur in nobis, reueren-
tia,& veneratio circa Deum.
Et ſic fiunt à nobis ad Deum,
genuflexiones, incuruationes,
proſtrationes,orationes,purifi-
cationes,conſecrationes, mun-
ditia ſacrorum vaſorum, para-
mentorum ornatus, & decor,
feſtiuitates, celebritates, & ſo-
lemnitates luminarium,cantus,
pſalmodiæ hymnorum, lectio-
num,& huiuſmodi.
Tertio ex conſideratione
Diuinæ Bonitatis, & Clemen-
tiæ, Deus eſt infinitè amandus;
ex quo amore oriuntur gratia-
rum actiones, laudes, hymni,
benedictiones, vota ſancta, in-
cenſationes,& huiuſmodi.Quæ
omnia ſemper actum latriæ ha-
bent,eo quod circa cultum, &
honorem Dei verſantur.
Genuflexiones primi ordi-
nis, videlic. quæ ſunt ad oratio-
nem,&c. fiunt à Sacerdote in
Miſſa extra Canonem, & ſunt
in triplici genere. Nàm primo
aliquæ fiunt ad pœnitentiam,
ſiuè ad impetrandum peccato-
rum veniam; ſecundo ad reue-
rentiam,ſiuè ad recolenda my-
ſteria Incarnationis, Natiuita-
tis, Vitæ, & Paſſionis Chriſti
Domini; & tertio ad petendū

ſeruorem charitatis, & dona Spiritus Sancti; primi generis fiunt in Quadrageſima, & in certis diebus ieiuniorum infra annum; ſecundi generis in aliquibus verbis Sancti Euangelij, & alijs verbis Miſſæ, quæ reuerentiam alicuius myſterij Vitæ Chriſti Domini aſtruunt, vt ſunt v.g. in verbis illis Symboli Fidei, *Et incarnatus eſt ex Maria Virgine, & homo factus eſt*, & *Io*: 1. *Verbum caro factũ eſt*. Sacerdos genuflectit, recolens humilitatem Filij Dei, qui cum in forma Dei eſſet exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens. Similiter in Euãgelio *Matt.* 2. recolens adorationem pueri Ieſu à Magis, dicendo illa verba: *Et procidentes adorauerunt eum*, genuflectit. Et etiam in Euangelio cęci nati, dicendo: *Credo Domine, & procidens adorauit eum*; in quibus; & alijs huiuſmodi, augumentum fidei, in corde ſuo, & aſtantium; imò totius Eccleſiæ Sacerdos petit. In quatuor Euangeliſtis, quando legit in Paſſione mortem Saluatoris; ob reuerẽtiam, genuflectit, & pauſat, petendo à Sanctiſſima Trinitate fructum Dominicæ Paſſionis in Eccleſia Catholica communicari. Item quando in teſtu Pauli Apoſtoli *ad Philipp.* 2. legit illa verba: *In nomine Ieſu omne genuflectatur, &c.* ipſe etiam genuflectit, ad manifeſtandum cultum reuerentiæ, qui huic Sanctiſſimo Nomini debetur.

Denique tertij generis genuflexiones ſunt, quæ fiunt à Sacerdote in Miſſa ad reuerentiam Spiritus Sancti, petendo ſeruorem charitatis, & dona ſupernaturalia à Spiritu Sancto in Eccleſia diffundi, & fiunt præcipuè, quando in Miſſa Spiritus Sancti, Sacerdos dicit: *Veni Sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, &c.*

In his omnibus genuflexionibus, & ſimilibus, ſemper reuerentia, & cultus includitur, licet ob diuerſa myſteria, diuerſæ petitiones, & diuerſa genera gratiarum in ipſis inueniãtur, vt dictum eſt.

Genuflexiones ſecundi ordinis ſunt illæ, quæ fiunt ad reuerentiam, & habent cultum latriæ, cum actione gratiarum, vt dictum eſt ſuprà. Hæc tantum fiunt in Canone Miſſæ (ſumendo Canonem Miſſæ latè, videlic. *A te igitur, &c.* vſque ad ſumptionem corporis, & ſãgui-

guinis Chriſti) decem genufle-
xiones aſſignantur ab ordine Romano, ſcilicet quatuor in eleuatione corporis, & ſanguinis Chriſti, duæ antè orationē Dominicalem, quando Sacerdos cum corpore Chriſti ſignat cruces ſuprà calicem, duæ aliæ in fractione hoſtiæ, & aliæ duæ in ſumptione corporis, & ſanguinis Domini.

Omnes iſtæ genuflexiones fiunt à Sacerdote ad adorandū corpus, & ſanguinem Chriſti, & ob reuerentiam eius, & latriæ eſt cultus, quia Sacerdos cum iſtis genuflexionibus adorat Deum, & hominem; & humanitas Chriſti, quatenus eſt Diuinitati coniuncta, eſt adorāda adoratione latriæ.

Sacerdos ergo ob reuerentiam
d tiam Filij Dei, qui ſub velamine accidentium cum humanitate latet, quoties tangere oportet Sacramentum, ipſum prius adorat, & poſt tactum, ipſum iterum adorat, vt oſtendatur excellentia huius tanti Sacramenti. Nàm inquit D. Bonauentura c. 8. de præparat. ad c
Miſſam: *Hoc Sacramentum fontem continet gratiarum, & ſanctificationum, & auctorem continet ſalutis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; ideò dicitur* Eucbariſtia, *ideſt bona gratia; Cætera verò Sacramenta fluenta ſunt, & riuuli gratiarum, quibus ſanctificamur.* Et c. 2. *in fine: Tolle hoc Sacramentum de* Eccleſia, *& quid erit in Mundo, niſi error, & infidelitas, & populus Chriſtianus erit quaſi grex porcorum diſperſus, & idolatriæ deditus; ſicut patet in cæteris infidelibus; Sed per hoc ſtat* Eccleſia, *roboratur Fides, viret, & viget Chriſtiana Religio, & diuinus cultus: Vndè inquit Chriſtus Matth. vlt. Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Huc vſque D. Bonauentura. Meritò igitur omnis poſſibilis creaturæ, imò & totius Eccleſiæ cultus, circa hoc myſterium, ſemper indeficiens noſcitur, reſpectu amoris, & charitatis, quàm Chriſtus Dominus ob noſtram vtilitatem, & dignitatem in ipſo, ſic abbundè exhibuit.

Hæc de ordine genuflectendi ſecundùm Ritum Romanum dicta ſufficiant. De ordine aliarum Eccleſiarum particulariū non eſt hic diſcurrendum, ne fortè ex nimia prolixitate, tædio afficiatur pius Lector. Et illud D. Auguſtini aſſertum eſt

notatu dignum: *Diuina,inquit, officia diuerſorum locorum, diuerſis moribus variantur, ita ut vix, aut vnquam omninò inueniri poſſunt cauſæ, quas in eis cõſtituendis homines ſunt ſequuti,* refertur à Duranto in præfatione ſui Rationalis Diuinorũ.

CAP. VIII.

De oſculo Altaris.

SAcerdos facta confeſſione, & dicto *Dominus vobiſcũ*, aſcendit gradus Altaris, & oſculatur ipſum in medio, ſignificans, quod Chriſtus ad nos veniens, ſanctam ſibi copulauit Eccleſiam; in oſculo quidem os ori coniungitur, & in Chriſto, non ſolùm humanitas eſt vnita diuinitati, verum etiam Sponſa, ideſt Eccleſia, vnita eſt Sponſo, ideſt Chriſto, iuxtà illud *Iſaiæ* 61.*v.*10. *Quaſi ſponſum decoratum corona, et quaſi ſpõſam ornatam monilibus ſuis.* Sacerdos Altare aſcendens, oſculatur illud, & tunc à Choro, vel à Cantoribus prophetalis verſus cantatur, quia Chriſtus prophetarum teſtimonio venit in mundum, & ad paſſionem Crucis. Oſculatur Altare Sacerdos, manibus hinc, indè ſuper ipſum, æqualiter, depoſitis, ad notandum, quod charitas per oſculum deſignata, operibus ſanctis debet inniti, ac tẽporalium rerum cura depoſita, totus in Altaris miniſterio applicari debet. Oſculatur Altare in ſignum fidei, reuerentiæ, & venerationis, ideò Eſther oſculata eſt apicem virgæ Regis Aſſueri, *Eſther* 5. & quia Sacerdos Chriſtum repræſentat,
f recordetur amoris, & deſiderij ſponſæ, ideſt Eccleſiæ: *Oſculetur me oſculo oris ſui, Cant.* 1.*v.* 1. Caueat ergo Sacerdos, ne oſculum oris eius non ſit etiam cordis, & dicatur ei, ſicut dictũ eſt Iudæ: *Oſculo filium hominis tradis, Luc.* 22.*v.*28. Semper oſculatur Altare in medio, ſecũ- g
dum Ritum Romanum; nàm omnis ſufficientia Sacerdotis à Deo principaliter attendi debet, imò in medio Altaris, vbi ſunt reliquiæ Sanctorum; quia à Deo, per interceſſionem Sanctorum, indulgentia, & gratia ei tribuitur. Monet Hieronym. Cantonus in ord. officij, quod vbi non ſunt reliquiæ Sanctorum, ex diſpenſatione Apoſtolica, omitti debent verba illa, quorum reliquiæ hic ſunt; eo-

que

h que caſu oſculum Altaris fit ad illa verba *indulgere digneris*, ſicut nunc ordinariè fit ad illa verba, *quorum Reliquiæ hic ſunt*. Nunquam producitur ſignum Crucis pollice, vel manu ſuper id, quod oſculandum eſt, quia Altare, vel Ara eſt cõſecrata, liber Euangeliorum, & aliæ res benedictionibus ſanctificatæ.

Tribus temporibus in Miſſa
i Sacerdos oſculatur Altare, antè oblationem, poſt oblationẽ, & poſt communionem; prima oſcula fiunt, vt ſit dignus Miniſter in ſacrificando; ſecunda, vt ſit iuſtus in recipiendo Chriſti corpus, & ſanguinem; tertia, vt ſit efficax ad gratias agendas, vel ad deſignandum tres vniones in Chriſto, videlic. diuinitatis ad animam, diuinitatis ad carnem, & carnis ad animam, aut vnionem myſticam, videlic. Eccleſiæ ad Chriſtum. D. Bonauentura in expoſ. Miſſę antè Agnus Dei, inquit, quod Chriſtus reſurgens à mortuis triplicem pacem annunciauit, videlic. pacem temporis, pectoris, & æternitatis; ideò Sacerdos tribus temporibus oſculatur Altare, ſcilicet in principio Miſſæ, in medio, & in fine; nàm Chriſtus cum naſceretur in tẽpore pacem ſecum attulit, vt ad edictum vnius hominis deſcriberetur vniuerſus orbis, *Luc.* 2.
k Hæc pax deſignatur in primo oſculo, quod in initio Miſſę Sacerdos Altari imprimit; ſecunda pax eſt pectoris, & ſignatur in ſecundo oſculo, quod Sacerdos facit in Canone, quando dicit, *Supplices te rogamus*, & Chriſtus namque cum mortẽ pro nobis pertulit, nos Deo, & Angelis pacificauit, & pacem pectoris nobis donauit, & ad hanc pacem confirmandam, pectus, & latus aperiri voluit, & ad pacem ſui cordis nos intromiſit; tertia pax æternitatis figuratur in vltimo oſculo Altaris; Chriſtus namque conſumatis omnibus, quæ de eo ſcripta fuerunt in lege, & Prophetis, poſt in Cœlum aſcendens Patri nos reconciliauit; ſic & Miſſa peracta, pacem æternitatis nobis parauit: teneamus ergo pacem temporis cum proximis; pacem pectoris cum nobiſmetipſis, ſcilicet omnes homines in Chriſto ſinceriter diligendo, vt pacem æternitatis conſequamur in Cęlis, adiuuãte Domino noſtro Ieſu Chriſto.

§. vni-

§. Vnicum.

De Tono vocis in Miſſa.

CONſtat in Rubrica Miſſalis, id quod clara voce dicendum eſt; tamen ipſa verba Rubricæ adnotanda ſunt, videlic. Sacerdos autem maximè curare debet, vt ea, quę clara voce dicenda ſunt, diſtinctè, & appoſitè proferat, nō admodum feſtinanter, vt aduertere poſſit, quæ legit, nec nimis moroſè, ne audientes tædio afficiat, neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortaſſe in eadem Eccleſia, tūc temporis celebrant; neque tàm ſubmiſſa, vt à circumſtantibus audiri non poſſit, ſed mediocri, & graui, quæ & deuotionem moueat, & audientibus, ità ſit accomodata, vt quæ leguntur intelligant; quæ verò ſecretè dicenda ſunt, etiam pronunciet, vt & ipſemet ſe audiat, & à circumſtantibus nō audiatur, quæ omnia de Miſſa priuata intelliguntur, non de ſolemni, quæ cantatur.

Dicitur Miſſa, partim ſecretò, & partim clara voce, ne populus tędio afficiatur, & Sacerdos longo clamore deficiat, & verba Canonis in ſacrificio, potiſſima aſſiduitate vileſcant auribus, eo quod in omni Miſſa repetuntur, quod & memoriæ facilè mandarentur, vt dicetur in Canone. Item non caret myſterio, nàm per ſecretum innuitur, in hoc ſacrificio latere antiqua ſacrificia, ſicut iſtud in antiquis latuit. Inſuper ſilentiū Sacerdotis, latibulum Chriſti indicat, qui multotiès in curſu vitæ ſuæ latuit, & diſcipuli in paſſione nonniſi occultè confitebantur Chriſtum.

Vndè Gauantus in expoſit. Miſſæ, pag. 167. quinque literis (ad honorem quinque vulnerū Chriſti) debet dici Miſſa A. B. C. D. E. hoc eſt altè, breuitèr, clarè, deuotè, exactè; altè, vt audiatur; breuitèr, non vltra mediam horam, ait Scortia lib. 2. c. 19. vel paulò vltra; clarè, vt omnia verba integrè proferantur; deuotè, vt attendatur ad ea, quæ dicuntur; exactè, vt fiant omnia, quæ præſcribuntur in Rubr.

C A P. IX.

De Incenſo benedicendo, & Thuribulo ponendo.

SAcerdos poſt oſculum Altaris, incenſum cum benedictione in thuribulum ponit, re-

repræſentans, quod legalis Sacerdos ferens ſanguinem, & carbones cum thymiamate in thuribulo,orabat,donec fumus eum obumbraret; per hoc etiã illud inſinuans, quod Angelus venit, & antè Altare ſtetit, habens thuribulum aureum in manu ſua, quod impleuit de igne Altaris, & data ſunt ei incenſa multa, *Apoc.*8. *v.*3. Sanè Angelus eſt Chriſtus, thuribulum aureum, corpus Chriſti immaculatum,Altare,Eccleſia, ignis, charitas, incenſum, oratio, ſecundùm illud *Pſal.* 140. *v.*2. *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Venit ergo Chriſtus,qui ſtetit antè Altare, ideſt in conſpectu Eccleſiæ, habens thuribulum aureum, ideſt corpus immaculatum plenum igne charitatis, & data ſunt ei incenſa multa, ideſt orationes fideliũ, vt adoleret,ſiuè daret, ideſt repræſentaret eas Patri de orationibus Sanctorum; in quo notatur, quod non omnes orationes Chriſtus exaudit, quia non dicit orationes; ſed de orationibus Sanctorum,videlic.de illis tantum, quæ ad ſalutem pertinent, nàm Paulus rogauit, vt auferretur ab eo ſtimulus carnis, ſed nõ fuit exauditus,quia reſpondit ei Dominus: *Sufficit tibi gratia mea; nàm virtus in infirmitate perficitur,* 2. *Cor. c.* 12.*v.*9.Epiſcopus,vel Sacerdos thus in thuribulo apponit,quia Chriſtus omnes inſpirat in animo, vt per ipſum offeratur incenſum in odorem ſuauitatis. Sacerdos miniſter, incenſum repræſentat Epiſcopo,vel Diaconus Sacerdoti,quia lex illud prætioſum thymiama confecit, quod in odorem ſuauitatis Altiſſimo offerret, de quo Dominus ſubdit in *Exod.* 30. *Talem confectionem nõ facietis in vſus veſtros, quia Sanctum eſt Domino, & hoc quicumque fecerit ſimile,vt odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis.* Qui Textus Scripturæ intelligitur ſecundùm Expoſitores, ſi eodem modo, quo thus Deo offertur, offeratur creaturæ, idolatria eſt;& ex hoc verbo fuerũt, qui dicerẽt,quod ſi benedicto thure,& oblato ſuprà Altare, thuribulum deſcendat ab Altari ad Clericos, & laicos, tunc aliud ibi thus, ſine benedictione apponendum eſt, & omnibus, tàm Clericis,quàm laicis offerendum, tanquam illud ſpectet ad latriam, iſtud ad duliam,

ideſt

ideſt ad humanam reuerentiā.
Per concremationem thuris,ſi-
gnificatur,quod Sacerdos ora- r
tionem feruentem debet habe-
re, thus enim virtutem habet
aſcendendi, ex fumi leuitate;
conſolidandi, ſui qualitate;cō-
ſtringendi ex glutinitate; con-
ſortandi ex aromacitate ; ſic
oratio aſcendens in Dei me-
moriam, animam conſolidat,
quantum ad culpam præteritā,
impetrando medelam, cōſtrin-
git quoad committendi licen-
tiam, & confortat quoad præ-
ſentem, impetrando tutelam.

Nauicula verò in qua incē- s
ſum reponitur, deſignat, quod
per orationem,quàm incenſum
ſignificat,de huius mundi mari
magno, & ſpatioſo, ad cœleſtē
patriam ſatagimus nauigare,
vndè dicitur: *Facta eſt quaſi
Nauis inſtitoris, de longè portās
panem ſuum, Prou.c.31.v.4.*po-
teſt etiam dici per thuribulum
cor hominis, per ignem feruo- t
rem deuotionis, per incenſum
orationes offerri, quæ per An-
gelum ad Deum perferuntur.
Vaſcula, quibus ignis recipi-
tur,ſunt filij,qui corda patrum, v
pietate imitantur, & flammam
cœleſtis ſacrificij,quàm in pro-
ximorum mentibus aſpiciunt,
in ſuis accendere ſatagunt. In-
ſtrumenta quibus ignis ad Al- x
tare portatur, ſunt Prædicato-
res, qui exemplis Sanctorum
charitatis ignem portant,& in
corda fidelium transferunt,at-
que corda patrum in filios cō-
uertunt.

Diaconus miniſtrans Sacer-
doti,& porrigens incenſum in y
nauicula,oſculatur coclear, &
manum Sacerdotis, nàm vtrū-
que oſculum requiritur. Craſ.
lib. 1. c. 20. oſculum rei, quæ
porrigitur,fit ad fidem, & dici-
tur oſculum fidei,oſculum ve-
rò manus,eſt ad venerationem,
ait Hieronym.in Ruffin.

CAP. X.

De Thurificatione.

SAcerdos,vel Epiſcopus,ac-
cipiens de manu Diaconi,
vel Sacerdotis miniſtrantis E-
piſcopo,thuribulum fumigans, z
ſacrum incenſat Altare, quia
Chriſtus corpus aſſumens de
genere Prophetarum,factus ex
ſemine Dauid ſecundùm car-
nem,ſuis orationibus fouet Ec-
cleſiam, ſecundùm quod orat
in Euangelio: *Pater Sancte,ego
pro eis rogo; & non pro eis tan-*

tum,

tum, ſed pro illis, qui credituri ſunt, per verbum eorum in me, Io:17. v. 9. Primo ergo facta Cruci profunda reuerentia eam
a *ter incenſat, nihil dicens, & facta iterum Cruci reuerentia, incenſat Altare ter ducens thuribulum æquali diſtantia, prout diſtribuuntur candelabra, à medio eius vſque ad cornu Epiſtolæ. (vbi aduerte, quod non incenſantur candelabra, ſed poſterior illa pars Altaris, in qua ſunt candelabra; & ſi pauciora ea ſint, quam ſex, adhuc triplici ductu thuribuli ea pars eſt incensãda) in cornu Epiſtolæ, demiſſa manu, Sacerdos thurificat illius poſtremam partem inferiorem, mox ſuperiorem, bis ducto thuribulo; & conuerſus ad Altare, eleuans manum incẽſat eius planitiem, ſeu menſam in parte anteriori, ter ducens thuribulum, vſque ad medium, vbi facta Cruci reuerentia, procedẽdo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu, vſque ad cornu Euangelij, & pariter incenſata inferiori, & ſuperiori parte ipſius cornu Euangelij, duplici ductu, adhuc ſtans ibidem, eleuans thuribulum, ter incenſat ſuperiorem tabulæ partem verſus medium Altaris, vt fecit in cornu Epiſtolæ; Deindè manu aliquantulum demiſſa, incenſat anteriorem partem eius, ſeu frontem, ter dücens thuribulum dum procedit à cornu Euangelij vſque ad medium Altaris, & facta Cruci reuerentia, incenſat ſimiliter triplici ductu reliquam partem anteriorem vſque ad cornu Epiſtolæ; vbi reddito thuribulo ipſi Diacono, ab eo ipſe ſolus incenſatur.*

b *Si verò fuerint reliquiæ, ſeu imagines Sanctorum (non pictæ, ſed de ſtatuis) incenſata Cruce, & facta ei reuerentia, antequã diſcedat à medio Altaris, primũ incenſat eas, quæ à dextris ſunt, ideſt à parte Euangelij propè Crucem, bis ducens thuribulum, & iterum facta Cruci reuerentia; ſimiliter incenſat bis, alias quæ ſunt à ſiniſtris, hoc eſt à parte Epiſtolæ. Deindè proſequitur incenſationem Altaris, vt ſuprà.* Sic Ordo Romanus.

Reuerentia ad Crucem eſt ad cultum Crucifixi, qui latriæ eſt; quod autem per viginti,
c & quinque vices Sacerdos ducit thuribulum in Altaris incẽſatione (vt patet numeranti ductus thuribuli, ſecundum ordinem Romanum) innuit, quod Altare, & Crux in eo poſita ſigni-

gnificat Chriſtum Dominum pro nobis in Monte Caluariæ crucifixum. Quinquies quinque ducitur incenſum in honorem, & reuerentiam quirque vulnerum Chriſti, ex quibus omnis affluentia gratiarum Eccleſiæ profluxit, & etiam nunc in Cœlo vulnera Chriſti apud Patrem Æternum impetrant nobis omne bonum æternæ vitæ,ad ſignificādum iſtam abūdantiam, & effluentiam meriti, gratiæ, & gloriæ, Sacerdos quinquies quinque ducit incēſum, cum thuribulo in Altari.

Vel dicendum,quod Altare, d thronum Sanctiſſimæ Trinitatis in terris, ſignificat; ibi eſt Sancta Crux, quia cultus Sanctiſſimæ Trinitatis in mundo, per Crucem Sanctam eluxit. Thuribulum cum incēſo, Verbum innuit Incarnatum pro nobis intercedens. Quinquies quinque Sacerdos ducit thuribulum ad thurificationem Altaris, nàm Chriſtus per Paſſionem, & mortem ſuam,in quinque vulneribus ſui corporis ſpecialiter expreſſam, abundāti ſuauiſſimæ placationis dulcedine S. Trinitatem repleuit,ſatisfaciēdo pro peccatis noſtris.

Si verò in Altari fuerint reliquiæ, ſeu imagines Sanctorum, &c. c Honor, & cultus reliquiarum habetur *lib.6.Conſtitut. Apoſtol. c.* 30. approbat quoque Sanctarum Imaginum incenſationem *Synodus* 7. *Act.* 4.igitur,multò magis reliquiarum Sanctorum. Nàm vt inquit D.Baſilius, quod erga bonos conſeruos, honor erga ipſum Dominum, commune beneuolentiæ ſignū exhibetur.

Fit Sanctis in Altari reuerentia cum thure, non capitis inclinatione, ad differentiam reuerentiæ,quæ Sanctæ fit Cruci; & ſic tunc in Altari non fiunt immediatè tres capitis inclinationes. f

Diaconus, & Subdiaconus hinc indè aſſiſtunt celebranti, dum incenſat Altare,& Martyres ſignificant, qui ſanguinis effuſione, & mortis teſtimonio paſſionem, & Chriſti mortem imitati ſunt, ideòque ad Chriſti ſuauiſſimā placationis dulcedinem quodammodò cooperauerunt,& Sanctiſſimę Trinitati, ad extra, gloriam addiderunt,propterea æqualiter aſſiſtunt Sacedoti, dum incenſat Altare. Eleuatio planetæ ab vtroque non eſt ad myſterium; ſed vt brachia Sacerdotis libe- g

rius officiũ incenſationis exerceant; quod autem Diaconus, vel Sacerdos, poſteà accipit
h thuribulum,vt incenſet Epiſcopum, vel Sacerdotem, moraliter inſtruit,quod ſi dignè volumus incenſum orationis offerre, thuribulum incarnationis debemus tenere; nàm ſine fide mediatoris, homines Deo placere non poſſunt; ſed iuxta verbũ promiſſionis ipſius: *Omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis*, *Matth.* 21. *v.* 22. per thuribu-
i lum enim, Verbum accipitur Incarnatum, nàm ſicut in thuribulo pars inferior, & ſuperior, tribus catenulis vniuntur; ità in Chriſto tres ſunt vniones,quibus Diuinum Verbum,animæ,corpori,& humanitati Chriſti vnitur: quarta catenula vnionem carnis ad animam Chriſti ſignificat; thuribulum aureum, ſignificat ſapientiam, quia, vt dicitur *Coloſſ.* 2. *v.* 3. omnes theſauri ſapientiæ Dei, in Chriſto fuerunt abſconditi; argenteum innuit Chriſti carnem, ab omni labe mundam,& mũditia rutilantem: cupreum,fragilem,& mortalem; ferreum, reſurgentis fortitudinem; circulus, cui catenulæ innectuntur,innuit Deitatem, quæ nullo termino clauditur,à qua hęc omnia continentur, & operantur;adeſt, & alia myſtica ratio; quod incenſatur Altare,vt om-
k nis ab eo nequitia Diaboli propellatur. Sother Papa 23. *d.ſacratas*, ſtatuit,ne moniales incenſum circa Altare ferant. Thurificatio Altaris, vnctionẽ Domini per Mariam Magdalenam ſignificat, *Io*: 12. *Luc.*7. cuius occaſione venditus eſt à Iuda, & quia bis ab eadem vnctus eſt,bina fit thurificatio Altaris,vna in principio Miſſæ,altera in offertorio,plura autem in ea ſunt myſteria, vt videre eſt c.30.

C A P. XI.

Qualiter Sacerdos,& Miniſtri ſtare debent ad Altare.

THurificatione peracta,Sacerdos accedit ad cornu Epiſtolæ,vbi cum Miniſtris officium Miſſæ incipit, quod ſignificat tranſitum Chriſti de
l Paſſione, per Reſurrectionem ad vitam æternam,vel imitatur Chriſtum ingredientem hunc mundum; leuam enim tetigit Chriſtus, quando temporalem aſſumpſit vitam; ad dexteram

init, quando carnem aſſumptã, ad Dei dexteram eleuauit; rurſus per hoc, quod accedens ad Altare, prius dexteram illius partem petit, innuit, quod Emmanuel, in lege promiſſus, prius venit ad Iudæos; quam ad Gentiles : Iudæi ergo, propter legem, in dextera parte tunc fuerunt. Gentiles, quaſi in ſiniſtra, quia idola colebant. Rubrica Miſſalis Romani *Oſculato Altari, accedit ad cornu eius ſiniſtrum, ideſt Epiſtolæ*, Iuo Carnot.ſer.de conuent.noui,& m vet. ædif. appellat Epiſtolæ latus, dexteram partem Altaris, & ſignificare dicit Iſraelitas, qui erant à dextris Dei, ſed quod eſt ſiniſtrum ſibi, eſt dextrum reſpectu dexteræ celebrantis, idem habet Innoc. III. lib.2. c.22. cætera de hoc myſterio vide in fine, cap. 23. vbi de mutatione Sacerdotis.

Miniſtri, ſcilicet Diaconus, & n Subdiaconus, retrò illum ad Altare ſtantes, ſignificant Martyres, qui in veteri Teſtamento fuerunt, & poſt Domini Natiuitatem dignè coronantur; ad quamcumque Altaris partem Sacerdos tranſierit, ipſum retrò ſtantes ſequuntur, vt oſtendent impletum eſſe, quod Dominus admonuit, dicens : *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit, Ioan.12. v.26.* ſemper in illum ſollicitè intuẽtes, ad notandum, quod fideles, quamuis in hac vita, adhuc sũt poſiti, tamen æternitati Chriſti, ſemper intendunt. Sacerdos aliquando ſe vertit ad populũ, ſignificat, quod Chriſtus ab oratione ad prædicationem, & è conuerſo, dum viueret ſe conuertit.

Miſſali, cuſſinus, ſiuè puluinar ſupponitur molle, ad ſignificandum, quod deuotum, & molle cor, & quod facilè diuinam impreſſionem recipiat, debet habere Sacerdos, & quilibet verbi Dei præco, & auditor, ad ſupponendam ſuam voluntatem, iugo Domini, & cæleſtium præceptorum, vt in eo ſpiritus Domini requieſcat, iuxtà illud ſapientis : *Suſcipiat verba mea cor tuum, Prou.4.v.4.* De introitu autem dictum eſt cap.5. o

C A P. XII.

De Græco Idiomate. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon.

DIcto introitu,dicitur à Sacerdote, & Miniſtris ſex
p Kyrie eleiſon , & tres Chriſte eleiſon , quia antè omnem orationem , Sacerdotis , & Miniſtrorum eius eſt,diuinam miſericordiam implorare. Siquidē Kyrie eleiſon grecè,interpetratur Domine miſerere latinè;nā Kyrie ſonat, Domine, eleiſon, miſerere ; & indè Chriſte eleiſon,ideſt Chriſte miſerere ; vel Kiri, ideſt Chriſte; el, Deus,ei, miſerere, ſon, nobis : indè Kyrie eleiſon,ideſt Chriſte Deus, miſerere nobis, vndè Propheta *Domine miſerere noſtri, te enim expectauimus,Iſaia 33.v.2.*dicitur enim nouies;primo,vt ordo decimus ex hominibus re-
q paratus , nouem aſſocietur ordinibus Angelorum ; ſecundò, vt Eccleſia perueniat ad ſocietatem nouem ordinum Angelorum ; tertio contra nouem genera peccatorum , eſt enim peccatum originale,veniale, & mortale. Item peccatum cogitationis, loquutionis, & perpetrationis. Item peccatum fragilitatis,ſimplicitatis,& malignitatis ; fragilitatis , per impotentiam , ſimplicitatis , per ignorantiam , malignitatis, per inuidiam,hoc eſt,peccatum in Patrem,peccatum in Filium,& peccatum in Spiritum Sanctū.

Item dicitur ter ad Patrem
r Kyrie eleiſon , ter ad Filium Chriſte eleiſon,& ter ad Spiritum Sanctum Kyrie eleiſon;ſed ad Patrem, & Spiritum Sanctū ſub eodem vocabulo, quia Pater , & Spiritus Sanctus ſunt eiuſdem naturæ; ad Filium verò ſub alio, quia Filius, & ſi ſit eiuſdem naturæ, eſt etiam alterius , vt geminæ gigas ſubſtantiæ; proptereà dicit ter,quantū ad Patrem,ter,quantum ad Filium,ter,quantum ad Spiritum Sanctum , vt notetur Pater in Filio,& Filius in Patre, & Spiritus Sanctus in vtroque,ſed in medio,mutatur Kyrie in Chriſte,vt notetur duas eſſe naturas in Chriſto.

Eſt autem magna iſtorum
s verborū efficacia, legitur enim, quod dum B. Baſilius Kyrie eleiſon clamaſſet,portæ Ticinę, ideſt Papiæ,Eccleſiæ ſunt apertæ ; rurſus cum B.Geminianus Kyrie eleiſon clamaret, quinque Reges conuerſi dicuntur in fugam, vndè fortè ſignificat aliud, quàm Domine miſerere, quod tamen nos ignoramus. B. Gregorius inſtituit Kyrie eleiſon nouies tantum à Clero pu-

publicè in Miſſa cantari, quod prius apud Græcos, ſimùl à Clero, & populo cantabatur. Sylueſter verò Papa illud de Græcis aſſumpſit.

CAP. XIII.

De Cantico Angelico. Gloria in excelſis Deo.

Dicto *Kyrie eleiſon*, Sacer- t
dos, ex inſtitutione Teleſphori Papę, incipit hymnum, *Gloria in excelſis Deo, &c.* quem Angeli decantauerunt in Chriſti natiuitate, Sacerdos primus, & ſolus illum inchoando pronunciat, qui Angelum magni conſilij repræſentat, nàm ortū Saluatoris, ſolus Angelus, cuius typum Sacerdos gerit, primo enunciauit. *Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodiè Saluator, Luc. 2. v. 11.* & illum inchoando ſtat in medio Altaris. v
Primo innuens, quod dum medium ſilentium tenerent omnia, natus eſt in medio, ideſt pro hominibus Meſſias, quem Prophetæ prædixerant; ſecundo, quia Angelus annuncians Chriſti natiuitatem, ſtetit in medio Paſtorum; tertio, ad notandum, quod Chriſtus mediator fuit inter nos, & Deum, per cuius mediationem, Deo pacificati ſumus. Item incipiens vertit ſe ad Oriẽtem, tum quia x
Angelus ab Oriente venit, tum quia ad Orientem Dominum adorare ſolemus; Chorus verò concinnendo gerit perſonam multitudinis Angelorum; *Subitò facta eſt cum Angelo multitudo cœleſtis exercitus laudantium Deum, de conſec. d. 1. Nocte.* gaudent Angeli, quia pax eſt inter y
Angelos, & homines reformata; nàm per caſum hominis fuit impedita eorum reparatio, & ideò bellum erat inter eos; naſcitur Deus homo, quia pax inter Deum, & hominem eſt reſtaurata, naſcitur in Præſepio Bouis, & Aſini, quia pax eſt inter homines, & homines reparata; per Bouem enim, Iudai- z
cus, per Aſinum, Gentilis populus figuratur, ſecundum illud: *Non Arabis in Boue ſimùl cum Aſino, Deut. 22. v. 10. Iudæo, ſcilicet & Gentili 16. q. in noua*, & iterum. *Cognouit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus Præſepe Domini ſui, Iſa. 1. v. 3.* ideò enim canitur hymnus iſte, quia quem adorant Angeli in Cœlo, homines venerantur in ter-

ter-

terris; in hoc quoque hymno notatur ſpes Eccleſiæ, quoniã
a cum Angelis ſperat cantare, vndè iàm illorum canticum aſſumit; ſequitur, laudamus te, ſcilicet inenarrabilia opera tua prædicando, quæ verba, & ſequentia, ab Hylario Pictauienſi aſſeruntur appoſita fuiſſe, & præcedentia ſolùm antiquitùs dicebantur in Miſſa. Innoc. tamen III. dixit, illa à Teleſphoro Papa addita; alij verò à Sim-
b maco Papa, qui conſtituit, tàm in Dominicis diebus, quàm in natalitijs Martyrum, Gloria in excelſis in Miſſa cantari, quia Sanctos per Dominicam Reſurrectionem in gloria Angelorum aſſociatos eſſe recolitur. Cantatur etiam in feſtis Apoſtolorum, Confeſſorum, & Virginum, & illorum Sanctorum, in quorum honorem quæcumque Eccleſia dedicata eſt, & generaliter in feſtis, quę ſolemnitatem cœleſtem nobis repræſentant. In diebus verò luctus, & ieiuniorum non dicitur, præterquam in duobus Sabbatis ſpecialibus miniſterijs ornatis, ſcilicet Paſchæ, & Pentecoſt. Dictus quoque Teleſphorus præcepit illum cantari in Miſſa nocturna Natalis Domini; quidam dicunt, non eſſe cantãdum in Miſſa, niſi in hora ter-
c tia; quia tunc Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos deſcendit, & eos gloria, & exultatione repleuit. Innocentius III. ſtatuit, vt quando in diebus profeſtis celebratur in honorem Beatæ Virginis, vel Spiritus Sancti, vel Sanctæ Crucis, nec hymnus Angelicus, nec Symbolum dicatur; nec etiam Te Deum laudamus in laudibus Matutinis, nunc autem ſemper dicitur quando in Matutinis laud. cantatur Te Deum, &c. & in Sabbato quando dicitur Miſſa de Beata Virgine, & in Miſſa Angelorum, Epiſcopus Bethlemitanus ex ſua conſuetudine omni die, & in omni Miſſa, etiam pro Defunctis Gloria, &c. decantat, pro eo, quod Luca teſtãte, in Bethlemitana regione, primo ab Angelis cantatus eſt.

CAP. XIV.

De Salutatione ad Populum.

ANgelico hymno finito, Sacerdos ad populum ſe voluens, ſalutat, dicens: *Dominus vobiſcum*, quod ſumptũ eſt ex *lib. Ruth. 2. v. 4.* ſic enim legi-

legitur, Booz ſalutaſſe Meſſo-
res ſuos, & Prophetam in *Pa-
ralipp.2.c.15.v.2.* Aſa Regem, d
& eos, qui cum eo erant; &
Angelus ſalutans Gedeonem,
dixit, *Dominus tecum*, *Iud.6.v.
12.*Booz quidem,figuram Sal-
uatoris expreſſit, qui Ruth
Moabitidem duxit vxorem, &
Chriſtus humanitatē ſibi ſpon-
ſauit,& hæc ſalutatio ſignificat
ſalutationem Chriſti ad diſci-
pulos poſt Reſurrect.cum enim
per dictam ſalutationem teſte-
tur Dominum eſſe cum popu-
lo,qui eſt in eodem per ſpiritū
gratiæ ſeptiformis;ideò Eccle-
ſia ordinauit ſepties in Miſſa
populum ſalutari; in prima ſa- e
lutatione ſpiritus ſapientiæ in-
telligitur, quia ſapientia intra-
uit in hunc mundum, vt ſalua-
ret nos; in ſecunda ſpiritus in-
tellectus,ideò enim prædicauit,
vt doceret nos; in tertia ſpiri-
tus conſilij, hoc enim ſecreto
Dei conſilio, ſe paſſioni obtu-
lit,vt redimeret nos; in quarta
ſpiritus fortitudinis, quia pen-
dens in Cruce, Diabolum ex-
pugnauit,vt redimeret nos; in
quinta ſpiritus ſcientiæ, quia
reſurgens, diſcipulos ſalutauit,
& eis ſenſum aperuit,vt erudi-
ret nos; in ſexta ſpiritus pieta-
tis,quia ſola pietate humanita-
tē noſtrā ſuper aſtra leuauit, vt
exaltaret nos; in ſeptima ſpiri-
tus timoris, quia Angeli tre-
ment cum venerit ad iudicium,
vt glorificet nos; verum ſecun-
dum Ritum Romanum nouies
ſalutatur populus in Miſſa,
quia in qualibet ſalutatione f
mutatur officium Miſſæ, & de
vno officio ad aliud tranſit Sa-
cerdos; quare meritò ſalutatio
præmittitur; cum enim ad ope-
rarios nouiter ingredimur, eos
ſalutare ſolemus; & licet eis,
quos ſalutamus, faciem regu-
lariter repræſentamus, in qua-
tuor tamen hoc fit,eo quod Sa-
cerdos nullum habet ad hoc
impedimentum, vt in alijs ac-
cidit, nàm prima ſalutatione
intentus eſt ad Deum,petendo g
ab eo auxilium, & purgationē
ſuorum peccatorum; in tertia
ad Euangelium annunciādum,
in quinta ad ſacrificium Alta-
ris tractandum, in ſexta habet
cor ſuum ad Deum, quia cum
Sacramento in manibus, reue-
renter illud tangit; ſalutando
populum vertit ſe ad dexterā,
& per eandem ſe ad Altare re- h
uoluit,tum quia hic motus na-
turalis eſt,tum etiam quaſi iſto
facto dicat: *Dextera Domini*
ſe-

fecit virtutem, dextera Domini
exaltauit me, dextera Domini
fecit virtutem, Pſal. 117. *v.16.*
& per hoc innuitur, quod Sa-
cerdos rectã debet habere in-
tentionem pro ſe, & populo ad
cœleſtem patriam, quæ per de-
xteram ſignificatur, iuxtà illud
Dextera eius amplexabitur me,
Cant.2.v.6.

i Septem ſalutationes nume-
rantur in Miſſa ab Innoc.III.
lib.2.cap.24.vel quia ſuo tem-
pore non dicebatur poſt con-
feſſionem *Dominus vobiſcum,*
vel quia ſecundum ipſum Miſ-
ſa præciſè ab introitu incipit.
Sicut etiam poteſt dici de ſalu-
tatione in fine Miſſæ in Euan-
gelio S.Ioannis.

Sacerdos orationibus præ-
mittit *Dominus vobiſcum*, vt
k populum reddat attentum, vt
mens eius ad Deum, & ei per
intentionem ſedulam coniũga-
tur, & eſt ſenſus *Dominus vo-*
biſcum, ideſt in vobis maneat,
& vos præmio vitæ æternæ re-
muneret,& petitionibus veſtris
effectum tribuat, ſeu gratiam
Dei impetretis, perſeuerantes
in illa; chorus verò, & popu-
lus reſp. *Et cum ſpiritu tuo*,
quod ſumptum eſt ex Epiſt. ad
Timoth.cap.6.vbi dicitur: *Do-*
minus Ieſus Chriſtus, cum ſpiri-
tu tuo; huiuſmodi enim mutuæ
ſalutationes notant, quod Sa-
l cerdotis,& populi, vnus debet
eſſe affectus, & effectus, & eſt
ſenſus; tu facturus pro nobis
preces ad Deum, & quia Do-
minus Deus preces illas tantũ
approbat, & exaudit, quæ ex
bono corde procedũt, oramus,
& nos ſimiliter pro te, vt ille,
ſine quo nullum eſt bonum, ſit
cum ſpiritu tuo,vt qui tecum
eſt in ore,ſit, & in corde,& in
te maneat. Deindè Sacerdos
reuoluit ſe ad Orientem, quaſi
parum de ſua bonitate confi-
dens,vniuerſalem ad ſe colligit
m Eccleſiã, dicẽs, vt omniũ Syn-
dicus; *Oremus*, quaſi dicat,ora-
te omnes ſimùl mecũ, vt quod
poſtulamus,citiùs impetremus,
quoniã impoſſibile eſt, multi-
tudinem non exaudiri; oratio-
ne finita, chorus reſp. *Amen,*
quod eſt hebraicum verbum,
q. d. fiat nobis, ſicut oraſti, ſeu
n feliciter acta ſit oratio tua, &
eſt ſumptum ex *Apoc.* 10. D.
Ambroſius exponit *Amen, ideſt*
verum eſt, quod ſermo ſonat, af-
fectus ſentiat, de conſec.d.2. re-
uera in fin.38.d.ſedulo in q.5.et
hoc autem, quandoque ponitur
pro verè,vt ibi, *Amen, Amen,*

dico vobis.extrà de iure iura, *& ſi Chriſtus*. Et nota, quod præmiſſa ſalutatio, ſcilicet *Dominus vobiſcum*, ad minores pertinet Sacerdotes. Epiſcopus verò, qui perfectus eſſe debet, & expreſſam Chriſti ſimilitudinem gerit, vt ſe Vicarium o
Chriſti oſtendat; oraturus, prima vice, vtitur verbo Domini, dicentis: *Pax vobis*, quæ fuit prima vox Domini ad Diſcipulos poſtReſurrect.quaſi dicat in præſenti, detur vobis pax tẽporis, & in futuro pax æternitatis, poſteà verò ad inſtar cæterorum Sacerdotum dicit,*Dominus vobiſcum*,vt ſe eſſe vnum ex ipſis oſtendat, 95. *d.olim*, *& c.ſe in fin.*,& eſt aduertendum, quod tunc *Pax vobis* dicitur, quando *Gloria in excelſis* cantatur,vt correſpõdeat ei, quod ibi dicitur,*Et in terra pax*, *&c.* & quia hæc ſalutatio à Chriſto facta fuit in die lætitiæ, qua plenus eſt Angelicus hymnus, Ordo Romanus ſolum excipit Miſſam pro defunctis.

CAP. XV.

De Oratione, *ſiuè Collecta*.

ORatio enim dicitur ab orando, eo quod per eam à populo bona corporis,& animæ orando petuntur; licet enim Dominus ſciat, quibus p
indigemus; orare tamen debemus pro bonis, vt adſint, pro malis, vt abſint, nàm Chriſtus pro nobis ſemper orabat, & exauditus eſt in omnibus pro ſua reuerentia, *Hebr.* 5. *v.* 7. orandum eſt tamen breuibus verbis,non in multiloquio,vndè & Græci parum,& frequenter orant; ſed in lacrymis, & in puritate cordis, non in voce clamoroſa,ſed in mentis deuotione; ſic enim in conſpectu Dei, & Angelorum oportet nos eſſe, vt mens noſtra voci concordet, iuxtà illud *Pſal. 6. v.9.Exaudiuit Dominus vocem fletus mei*. Et iterum. *Sacrificiũ Deo ſpiritus contribulatus*, *Pſal.* 50. Dum autem Sacerdos altè dicit orationem, alij non debẽt verbis orare; ſed illam orationem attendere, & ad eam re- q
ſpondere, *Amen*,licet alij aliter dicant; nàm omnes orationes in vnum tendunt finem. ſanè Sacerdos cum orat, ad dexterã conſiſtit Altaris, iuxtà illud *Deprecabitur Aaron ſuper cornu Altaris*, *& placabit ſuper eo in generationibus veſtris*, *Exod.* 30. *v.*10. Regulariter autem; omnis quaſi oratio ad Patrem

di-

dirigitur , & terminatur in no-
mine Filij; non enim per aliam
viam,ad nos æterna Dei bene-
ficia poſſunt decurrere, quàm
per eum,qui eſt *Mediator Dei,
& hominum homo Chriſtus Ie-
ſus.* Vndè Apoſtolus *Rom.*5.*v.*
11. *Gloriamur in Deo per Do-
minum noſtrum Ieſum Chriſtũ.*
Et alibi: *Nemo venit ad Patrẽ,
niſi per me*, *Ioann.* 14.*v.*6.*Vt
quodcumque petieritis Patrem
in nomine meo det vobis*, *Ioann.*
15.*v.*16.Nulla autem ad Spi-
ritum Sanctum oratio dirigi-
tur, quia Spiritus Sanctus eſt
donum Patris, & Filij; igitur à
r dono non petitur donum,ſed à
largitore doni,qui eſt Pater, &
Filius; petitur ergo à Patre, &
Filio,& ad eos ſermo dirigitur,
tanquam ad donatorem.Si au-
tem ad totam Trinitatem diri-
gatur ſermo,tunc dicitur in fi-
ne, *Per Dominum noſtrum Ie-*
s *ſum Chriſtum,&c.* vel *Per Chri-
ſtum Dominum noſtrum*, *&c.*
breuitatis cauſa; vel concludi-
tur ſine aliqua perſonarum di-
ſtinctione, videlic. *Qui viuis,
& regnas in ſæcula,&c.* vel cõ-
uertat ad ipſum, dicens, *Quod
ipſe præſtare dignetur,&c.*

In exorciſmis verò ad ex-
pellendum Dœmonem aliter
dicitur,videlic. *Per eum,qui vẽ-
turus eſt iudicare viuos,& mor-*
t *tuos, & ſæculum per ignem*. Si-
militer in Cathecumenis; Dia-
bolus enim quam citò audit
Chriſtum eſſe venturum, iudi-
care ſæculum per ignem, fugit,
timens iudicium ignis,quia ſcit
ſe poſt diem iudicij , æterni
ignis, acriori pœna præmendũ.

Orationes enim,etiam colle-
ctæ vocantur , quia Sacerdos,
v qui fungitur legatione ad Deũ
pro populo, in eis petitiones
omnium , in vnum colligit , &
concludit,vt eas ad Dominum
referat ; propriè tamen dicun-
tur collectæ,quæ ſuper collectũ
populum dicuntur,puta in pro-
ceſſionibus, vel dum colligitur
populus ad ſtationem facien-
dam , vt de vna Eccleſia pro-
cedat ad alteram, 59. *diſt. quo-
niam de conſec.d.*5.*conuenit.*In
x Vrbe, quælibet Eccleſia ſtatio-
nis habet aliquam Eccleſiam
ſibi vicinam , in qua colligitur
populus,die ſtationis, & ibi di-
citur collecta, ſuper collectum
populum , & indè omnes ſimùl
in Eccleſia,in qua fit ſtatio ac-
cedunt,& eſt ſumptum hoc no-
men de Leuitico , vbi Sceno-
phegia, quæ eſt vltimum feſto-
rum legalium , collecta voca-

tur; pro eo, quod in fructuum
collect ione fiebat, & figurabat
futuram operum noſtrorum
collectionem, cum dicetur *Ec-
ce homo, & omnia opera eius cū
eo.* Orationum, ſiuè collectarū, y
varij, & multi fuerunt Aucto-
res, quorum numerus, & varie-
tas, in tātum excreſcebat, quod
octauum Africanum Conciliū
conſtituit, vt nullatenus, pre-
ces, vel orationes, vel Miſſæ, vel
præfationes, vel commendatio-
nes, vel manuum impoſitiones
dicantur, niſi in Concilio fue-
rint approbatæ. Gelaſium Pa-
pam, tàm à ſe, quàm ab alijs cō-
poſitas preces, dicitur ordinaſ-
ſe, D. Gregorius ſecluſis ijs, quę
nimia, vel incongrua videban-
tur, rationabilia coadunauit,
congrua multa, nihilominus
per ſe neceſſaria ſuperaddens;
ſeptenarium numerum tamen, z
orationes in Miſſa non exce-
dant; Nàm Chriſtus ſeptem
petitionibus omnia corporis,
& animæ neceſſaria compræ-
hendit in illa oratione Domi-
nica; quia verò impari numero,
Deus gaudet, quidam obſer-
uāt, vt impares dicātur in Miſ-
ſa orationes, vel vna, ad ſigni-
ficandum vnitatem Fidei, vel
tres propter Myſterium Trini-
tatis, vel quia Chriſtus, ter in
paſſione orauit, vel quinque
propter quinque plagas, vel ſe-
ptem propter ſpiritum gratiæ
ſeptiformis, vel ipſius ſeptem
dona. Vndè cum cæterorum
dierum operibus benediceret;
operibus tamen ſecundæ diei
benedixiſſe nō legitur, eo quod a
binarius numerus, primò ab
vnitate recedebat, & ab eo cæ-
teri diuiſibiles numeri originē
ſortiuntur, & impar numerus
mūdus eſt, 32. *q.* 1. *nuptiæ.* Et no-
ta, quod in sūmis feſtiuitatibus
tantummodò dicitur vna colle-
cta, niſi fortè eadem die aliud
feſtum occurrerit; & quia finis
ſuo principio correſpondere
debet: ideò tot collectæ ſunt b
poſt communionem, & in ſe-
cretella, quot præceſſerunt in
exordio antè Epiſtolam; eadē
ratione ſi collecta pro defun-
ctis intermiſceatur in Miſſa pro
viuis, non finalis, ſed pęnultima
eſſe debet, quia finis ad ſuum
principium retorqueri debet,
de conſec. d. 1. *Epiſcopus.* Sed in c
Miſſa pro defunctis, collecta
pro viuis intermiſceri non de-
bet, quia ipſi non poſſunt viuis
æternam vitam implorare, niſi
indirectè, licet ipſi defuncti
iuuari poſſint ab vtriſque, ſcili-

cet

cet à Sanctis, qui ſunt in Ec-
cleſia triunphanti,& qui in Ec-
cleſia militanti. In Eccleſia la-
tera; & in alijs quibuſdam Ec-
cleſijs particularibus, tàm in
d Miſſa, quàm in horis Canoni-
cis, dicitur pro collecta oratio
Dominicalis; eo quod in pri-
mitiua Eccleſia ſic fiebat; ſanè
Sacerdos, dum orationem di-
cere incipit, manus eleuat, ex-
tenditque, iuxtà illud *Ierem.*
12. *Manus remiſſas erigite, & genua debilia roborate*, & Ro-
mano Pontifici,& alijs Epiſco-
pis in multis Eccleſijs, miniſtri
aſtantes eleuatas manus ſub-
e ſtentant, & hoc à lege ſumpſit
exordium,*Exod.16.*et habetur
d.36. ſi quis, quod cum Iſrael
pugnaret aduerſus Amalech in
Deſerto, Moyſes aſcendit ſu-
per verticem collis. Cumque
eleuaret manus, vincebat Iſ-
rael; ſi verò paululum remiſiſ-
ſet, Amalech populum ſupera-
bat. *Aaron autem, & Hur ſu-
ſtĕtabant manus eius ex vtraq; parte.Exod.*17.*v*12.Itē *3.Reg. c.8.v.22.Salomon ſtetit antè Al-
tare Domini in cōſpectu Eccleſiæ
Iſrael; & expandit manus ſuas
in Cœlum;*et *Geneſ.14.v.22.Le-
uo manum meam ad Dominum
Deum excelſum*,eleuatio autem

ipſa repręſentat,quod Chriſtus
*Eleuatis manibus ferebatur in
Cœlum, Act.*1. vel eleuat ma-
f nus, ad inſtar Saluatoris pen-
dentis in Cruce, vndè illud E-
*leuatio manuum mearum ſacri-
ficium veſpertinum, Pſalm.*140.
*v.*2. extenſio verò manuum
ideò fit; nàm Chriſtus cum
expandiſſet manus in Cruce,
pro perſequentibus orauit, di-
cens: *Pater ignoſce illis, quia
neſciunt quid faciunt, Lucæ* 23.
moraliter inſtruēs, quod Chri-
ſtus ſemper paratus eſt recipe-
re pœnitentes, iuxtà illud *Io:
6. Omnis qui venit ad me non
eijciam foras.*

CAP. XVI.

De Epiſtola.

ORatione finita dicitur E-
piſtola, quæ ſignificat
doctrinam Apoſtolorum,elegā-
ter illam præcedere debet ora-
tio, quia legitur *Lucæ cap.*10.
g *Rogate Dominum meſſis, vt
mittat operarios in meſſem ſuā.*
ſanè Epiſtola Græcè,Latinè ſu-
permiſſio, ſiuè ſupererroga-
tio dicitur ab Epi, quod eſt
ſuper, & ſtolon, ideſt miſſio.
Miſſa enim eſt ab Apoſtolis
ſi-

ſuper legem Moyſi, ſuper Pſalmos, & Prophetas; ſuper Euãgelia enim, ſicut & prophetiæ ſuper legem. Vndè, & literæ de vna perſona ad aliam, Miſſæ appellantur. Epiſtolæ ſcilicet ſuper Miſſæ, quaſi Miſſæ ſupra, ſeù præter id, quod refert Nũcius viua voce, ſicut Apoſtolus ſupra id, quod dixerat Epheſijs, Corinthijs, & alijs, Epiſtolas mittebat, legi debet in h dextera parte Eccleſiæ, quia Chriſtus primò venit ad Iudæos, qui dicebantur in dextera eſſe; dicitur quoque in loco inferiori; Euangelium in ſuperiori, vt dicetur in cap. de Euãgelio; præmittitur autem Epiſtola, Euangelio, nam Epiſtola deſignat officium, quod Ioannes antè Chriſtum exercuit, qui præiuit *Antè faciem Domini parare vias eius*, *Lucæ* 1. Sanè Subdiaconum Epiſtolam i lecturum, vnus tantum comitatur acolythus, quia prædicationem Ioannis, pauci ſequuti sũt, quoniam lex neminem ad perfectionem ducit; ſed Diaconũ Euangelium lecturum, tàm Subdiaconus, quàm acolythi, & cæteri comitantur, quia prædicationem Euãgelij, quæ perfectionem facit, plurimi ſuſceperunt; facies autem legentis Epiſtolam, reſpicere debet Altare, quod Chriſtum ſignificat, quia Ioannis prædicatio, ſe, & alios dirigebat in Chriſtum, *De cuius vultu, iudicium, & æquitas procedunt. extra*, *vt Eccleſia bene*, *vt noſtrum*; Is verò, qui præcedit Subdiaconum k euntem legere, non vertit faciẽ ad legentem, quia Ioannes non ad ſe audientes, ſed potiùs ad Chriſtum dirigebat, ſed qui Diaconum euntem legere præcedunt, reſpiciunt ad Euangelium, & ad faciem recitantis. Primò, vt ex mutua vtriuſque inſpectione, amor, & charitas Chriſti notetur, qui in Euangelio prædicatur; ſecundò, vt ſe eſſe conteſtes euangelicæ doctrinæ oſtendant, ſicut dicitur *Iſa*. 44. *Vos eſtis teſtes mei, dicit Dominus*.

Ioannes fuit limes præcedẽtium, & ſubſequẽtium, medius l inter Apoſtolos, & Prophetas; Nàm lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem, & ex eo Regnum Dei euangelizatur, ideò Epiſtola, nec ſemper legitur de Prophetis, nec ſemper de Apoſtolis; ſed interdum ſumitur de veteri Teſtamento, interdũ de nouo; Ioãnes enim, cuius vocẽ

re-

repræſentant Epiſtolæ,cum antiquis prædixit Chriſtum futurum, dicens: *Qui poſt me venit antè me factus eſt*, *Ioann.*1., & cum modernis Chriſtum præſentem oſtendit, dicens: *Ecce Agnus Dei,Ioann.*1.

Notandum,quod populi inſtructio fit per verbum Dei, quod quidem à Deo, per eius miniſtros ad populum peruenit,ideò ea, quæ ad plebis inſtructionem pertinent, non à Sacerdote, ſed à miniſtris dicuntur. Miniſterium autem verbi Dei triplex eſt,primum auctoritatis, quod competit Chriſto, qui miniſter dicitur, *Matt.*7.*Erat enim ſub poteſtate docens*. Secundum manifeſtè veritatis, quod competit Prædicatoribus noui Teſtamenti, de quibus dicitur 2.*Corinth.*3. *Qui, & idoneos nos fecit miniſtros.* Tertiū,figurationis,quod competit Prædicatoribus veteris Teſtamenti; ideòque doctrinam Chriſti proponit Diaconus. Doctrina verò veteris Teſtamēti prædicatur per Subdiaconum. cum autem dicitur Epiſtola ſedemus, quia doctrina in ſilentio,& quiete audienda eſt, & quia ad nouum Teſtamentum non pertinet; vſus autem ſedendi à veteri Teſtamento aſſumitur,ſicut in *Eſdra* legitur, *c.* 10. *v.*9. *Sedit omnis populus in platea domus Dei.*

Prophetias, voce inferius deflexa; Euangelium verò, ac Epiſtolam,vocem exaltando,finimus, quia Synagoga, quæ prophetia figuratur, iàm inclinata eſt, & cecidit;ideòque inclinando, & quaſi cadēdo prophetia finitur. Hinc etiam eſt, quod Synagoga depingitur, quaſi fracta haſta vexilli; per Euangelium verò, & Epiſtolā, Eccleſia militans repræſentatur,quæ exaltata eſt,& ideò illa cum exaltatione vocis finiuntur. Præterea in veteri Teſtamento temporalia, & caduca promittebantur; in cuius figura, lectiones in grauem accentum terminantur.In nouo verò Teſtamento,ſpiritualia,& ęterna, in cuius ſignum, Euangelium, & epiſtola in accentum acutum finiuntur; lectiones de veteri Teſtamento, quæ in Miſſa pro epiſtolis leguntur, in acutum terminantur accētum, quia ſub tono epiſtolarum leguntur, & in locum epiſtolæ ſuccedunt, meritò, & quo ad hoc,& quo ad nomen,illarum debent imitari formam. Cætera

ra

ra verò, quæ ad tonum vocis ſpectant, vide cap. 8. §. vnico, vbi de tono vocis.

CAP. XVII.

De Reuerentia poſt lectam Epiſtolam facienda.

SVbdiaconus lecta epiſtola ſimùl cum acolytho ad Sacerdotem accedit, inſinuans; quod Ioannes in vinculis miſit duos ex diſcipulis ad Chriſtum non credentes ipſum eſſe Meſſiam, vt interrogarent eum: *Tu es, qui venturus es*, *Matt.* 11. *v.* 2. Quia verò peruiſa miracula cognouerunt hunc eſſe, de quo Magiſter eorum prædixerat, *Qui poſt me venturus eſt, antè me factus eſt*, *Ioann.* 1. *v.* 27. Ideò pronus ad pedes, calceamentũ Romani Pontificis Subdiaconus oſculatur. Præterea, quia *Dextera Domini fecit virtutem*, *Pſal.* 17. Subdiaconus in alijs Eccleſijs oſculatur dexteram Sacerdotis; adhuc lecta epiſtola, Subdiaconus librum clauſum Epiſcopo repræſentat, ipſe verò ſuprà illum manum ponit, quã Subdiaconus oſculatur; Epiſcopus Chriſtum pręfigurat, qui ſolum clauſum librum aperire potuit, & ſoluere ſignacula eius, in quo, & ipſe Chriſtus, & eius myſteria clauſa erant, donec cœpit ab ipſo Chriſto per prædicationem Euangelij aperiri. Chriſtus autẽ legem, in qua clauſus tenebatur, opere impleuit: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*, *Matt.* 5. *v.* 17. quod ſignificat manus impoſitio ſupra librum, manus enim opus ſignificat; ipſa quoque manus poſitio ſignificat deſiderium, & promiſſionem credendi, & opere implẽdi, quæ lecta ſunt: quia verò nemo accipit benedictionem in lege promiſſam, niſi qui cum amore (qui per oſculum deſignatur) opere perficit, quod alios ſermone facere docet; ideò ad hoc deſignandum, Subdiaconus benedictionem accepturus, manum Epiſcopi, vel Sacerdotis oſculatur, ſubſequenter Epiſcopus, vel Sacerdos Subdiacono benedicit, quia Chriſtus commendauit Ioannem, dicens: *Inter natos mulierum, non ſurrexit maior*, *Matt.* 11. Subdiaconus poſt finem; Diaconus antè principium ad Sacerdotem accedũt, & exhibent reuerentiam, quia lex finem accipit in Chriſto; ſed

Euan-

Euangelium ab ipſo originem ſuſcipit. In Miſſa defunctorum non oſculatur manus, quia ibi quælibet ſolemnitates ſubtrahuntur.

CAP. XVIII.

De Seſſione Epiſcopi, Sacerdotis, & Miniſtrorum in Miſſa.

FInita oratione Epiſcopus ſedet in Throno, & ſignificat, quod Chriſtus ſedit in Templo, in medio Doctorum, audiens, & interrogans illos, vt
t habetur *Lucæ c.2.v.47.* Verum Epiſcopus ſtat in Throno poſt primam Altaris incenſationem ab introitus Miſſę, vſque ad offertorium excluſiuè, & ibi aliquandò ſedet; & hoc fit, non ſolùm ad maiorem ſolemnitatem, vt per hoc à minoribus Sacerdotibus ſecernatur, verum etiam, quia Epiſcopus repræſentat Chriſti dignitatem, & excellentiam; ſiquidem Chriſtus ſecundùm diuinitatem eſt Patri coæqualis, & ad dexteram eius ſedet; ſed quia Chriſtus factus eſt pro nobis hoſtia in ara Crucis, Epiſcopus eius humilitatem repræſentans ab offertorio Altari totaliter inhęret; nàm Altare aram Crucis innuit, vt dictum eſt c.1. §.3.

Thronus Epiſcopi non antè Altare, ſed ab illo ſemotus aliquantulum ex cornu Euangelij
v ponitur, tanquam in parte digniori, & innuit, quod ex latere Chriſti, qui per Altare ſignificatur, fuit initium noſtræ Redemptionis.

Thronus ipſe eminentior eſſet debet, nàm Epiſcopus ſtās in ipſo eſt quaſi vineator, qui
x vigilanter vineam ſuam cuſtodit, & ſuperintendit populo. Sedens in Throno ad populum eſt conuerſus, vt oſtendatur ſibi datam poteſtatem eſſe à Deo, vt poſſit ſpeculari, & ſuperintendere, qui ſtant in Eccleſia humiliter, & qui ſuperbè; animæ enim ſunt ei commiſſæ, & de illis eſt rationem redditurus Deo.

Porrò oratio, quę dicitur antè epiſtolam ſignificat ſpecialiter illud tempus, quo Chriſtus
y in Cœlum aſcenſurus, Apoſtolis benedixit; ſeſſio verò, quæ ſequitur, innuit ſeſſionem Chriſti poſt Aſcenſionem ad dexteram Patris, ſedes enim victoris eſt, ideò victoriam Chriſti ſignificat.

Miniſtri verò cum Epiſcopo ſedent, per quos Chriſti membra in pace iàm quieſcentia intelliguntur, vt inquit Apoſtolus, *Epheſ. 2. v. 6. & conſedere nos fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu;* vel ſeſſionem ipſorum innuit, quibus *Matt. 19. v. 18.* dicitur: *Sedebitis, & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim Tribus Iſrael.*

Anacletus Papa *de conſec. d. 1. Epiſcopus* ſtatuit, quod Epiſcopus Deo ſacrificans, ſecum teſtes habeat, Diaconos, qui oculi eius dicuntur, & Subdiaconos, reliquoſque Miniſtros, qui ſacris induti veſtibus, & Presbyter à regione, ideſt à parte dextera, omnes humiliato ſpiritu, ac prono vultu ſtent cuſtodientes ipſum, & conſenſum præſtantes ſacrificio. Lucius verò Papa *de conſec. d. 1. iubemus. eum non deſerant, quia propter maleuolos oportet illum habere bonum teſtimonium ab his, qui foris ſunt.* Statutum eſt etiam, vt habeat à tergo vicini ſolaminis coadiutorem.

Sacerdos autem in Miſſa ſolemni, medius inter Diaconum, & Subdiaconum ſedere poteſt, ſecundum ordinem Romanum iuxtà Altare, à cornu epiſtolæ, in ſcamno oblongo parato, & decenter ornato in plano Cappellæ, tempore, quo à Choro
z cantatur Kyrie eleiſon, Gloria in excelſis Deo, Symbolum Nicœnum, et ex decreto Sacr. Rit. Congregat. dum cantatur à Subdiacono epiſtola, et à Choro Graduale, vel ſequentia, ſi tempus detur; ſemper cũ Miniſtris cooperto capite ſedet.

Multa enim, quæ ſeſſioni Epiſcopi, et Miniſtrorum conue-
a niunt, etiam ſeſſioni Sacerdotis,
et Miniſtrorum eius competũt, c
paucis exceptis, vtpotè iuxta Altare eſt ſeſſio, tàm Epiſcopi, quàm Sacerdotis, vt oſtendatur, quod ex Chriſto, qui per Altare innuitur, vel ex latere Chriſti fuit noſtra Redemptio, per quem habetur in cœleſtibus noſtra conſeſſio. Vtriuſque ſeſſio, victoriam Chriſti innuit; conſeſſio ſimiliter Miniſtrorũ, cœleſtem conſeſſionem, in omnibus oſtendit. Cooperto capite cum Miniſtris ſemper ſedet, vt appareat, quod Sacerdos eſt Doctor populi, et Miniſtri eius ſunt coadiutores; in ſcamno
b oblongo parato, et decẽter ornato, vt Sacerdotis ſedes ab Epiſcopi Throno ſecernatur, nã

ip-

ipſe eſt inferior Epiſcopo, quã-
tum ad epiſcopalem dignitatē.
Sedet in temporibus ſupracita-
tis,quia tunc non habet neceſ-
ſariam inhærentiam ad Altare.

Acolythi nequaquam ſedēt,
d dum cantatur epiſtola, quando
autem vna cum celebrante ſe-
dent, ſuper Altaris gradus ſe-
deant in cornu epiſtolæ, facie
verſa ad celebrantem, non ad
populum.

Non ſedent, dum cantatur
epiſtola, hoc non ſolum, quia
Subdiacono miniſtrant, vt pa-
e tet in cap.16. vbi de epiſtola,
verum propter myſteriũ,quia
acolythi repræſentant Prædi-
catores, qui laborare debent
propter prædicationem, tàm
veteris, quàm noui Teſtamen-
ti, quæ Teſtamenta per epiſto-
lam, et euangelium ſignifican-
tur; ad gradus Altaris ſedent
verſa facie ad celebrantem, ad
cuius doctrinam debent atten-
dere, et innuunt illud *Lu-
cæ* 10. *v.39. Sedens ſecus pedes
Domini audiebat verbum illius.*
Seſſio ad gradus Altaris in-
nuit requiem animarum San-
ctarum,de quibus *Apoc.9. v.9.*
dicitur : *Vidi ſub Altare* Dei
*animas interfectorum propter
verbum* Dei, et *v.* 15. *& datæ
ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, &
dictum eſt illis, vt requieſcerēt.*

Dum Sacerdos, vel Epiſco-
pus cum Miniſtris ſedent, qui
f cantant in Choro, et alij de po-
pulo nequaquam ſedent, ſed
ſtantes dicuntur, per quos mē-
bra Chriſti, adhuc in certami-
ne poſita intelliguntur, et in
mundo hoc peregrinantur.

CAP. XIX.

De Graduali.

POſt epiſtolam, Graduale
cantatur,ſeù reſponſoriũ,
quod pertinet ad opera actiuæ
g vitæ, vt notetur nos operibus
reſpondere eis, quæ in lectione
audiuimus, dicitur autem gra-
duale, vel gradale, à gradibus,
ſcilicet humilitatis, ſignificans
aſcenſus noſtros de virtute in
virtutem; ſicut filij Iſrael de
manſione in manſionem pro-
ceſſerunt, vt tamen videatur
Deus Deorum in Sion. Vndè
in *Deut.c.*11.*v.* 10. *Terra enim
ad quam ingredieris montuoſa
eſt, & campeſtris, de Cœlo expe-
ctans pluuiam,*hæc terra eſt cę-
leſtis Ieruſalem, quæ per cogi-
tationes cœleſtium habetur.

Conuenit poſt epiſtolam

Graduale, quod pœnitentiæ lamentum inſinuat; propter quod in diebus Paſchatis, & Pentecoſtes de officio Miſſæ tollitur.

Cantatur Graduale, quia prædicationes prædicantium h ſequutæ ſunt gaudium Eccleſiæ, & Dei laudes, & præconia de credentium conuerſione; quia per graduale conuerſio de Iudæis; per verſum conuerſio de gentibus; per alleluia vtriuſque in fide lætitia; per ſequentiam, canticum victoriæ figurantur; poteſt etiam dici, quod per epiſtolam Ioannis, per graduale Apoſtolorũ prædicatio intelligitur; per allel. deuotio, & lætitia.

Reſponſorium verò dicitur, i quod verſui, vel epiſtolæ correſpondere debet, vt ſi in epiſtola agatur de gaudio, & in reſponſorio ſimiliter, & è contra, ne poſſit nobis improperari, quod Dominus dicit: *Cantauimus vobis tibijs, & non ſaltaſtis; lamentauimus, & non ploraſtis*, *Lucæ* 7. *v.* 32. Vndè Apoſtolus: *Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus*, *Rom.* 12. *v.* 15. Dicitur etiam reſponſorium: quia Choro reſpondente illud incipientibus cantatur, per quod ſignificatur vita actiua, in qua Sancti ſe ad inuicem hortantur, vt ad æternam perueniant vitam.

Rurſus graduale bonum K opus, & vitam præſentem, in qua ſeminamus, & à Domino peregrinamur ſignificat; verſus autem adiutorium; & canitur poſt graduale, quia adiutorium nobis eſt neceſſarium quamdiù in hoc ergaſtulo detinemur. Gregorius, Ambroſius, & Gelaſius compoſuerunt Gradualia, Tractus, et Alleluia, et ad Miſſam ea cantari ſtatuerunt.

CAP. XX.

De Allel.

QVia poſt luctum ſequitur conſolatio: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*, *Matth.* 5. ideò poſt graduale, cantatur I allel. quod lætitiæ canticum eſt ab Angelis decantatum *Apoc.* 19. eſt enim laus Angelica; ſententia quidem breuis, magnum continens iubilum, ſiuè ad iubilum incitans. Hebraicũ nomen etiam indicatur, exprimens ineffabile gaudium. Variæ

riæ Sanctorum Patrum expoſitiones de eo dantur, vt videre eſt in alijs Doctoribus, & quia futuræ gloriæ proprium eſt vocabulum, magis tempore Paſchali Eccleſia eo vtitur, quo Chriſtus reſurgens ex mortuis, eiuſdem gloriæ nobis ſpem certam tribuit. Hieronymus inquit, quod allel. dicatur in Miſſa ab Eccleſia Romana tractum eſt de Eccleſia Hieroſolymitana; iubilantes potiùs, quàm canentes, vnamque breuem, digni ſermonis ſyllabam, in plures Neumas protrahimus. Neuma enim, ſeu iubilus, qui fit in fine exprimit gaudium, & amorem credentium, vt iucundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur illuc, vbi ſemper erit vita ſine morte, & dies ſine nocte. Poteſt etiam referri ad exultationem eorum, qui de miraculis Chriſti gaudebant laudantes Dominum: *Quia vidimus mirabilia hodiè, & quia viſitauit Dominus plebem ſuam*, *Luc.* 5. tunc enim cantabatur in iubilo allel. *Quia omnis plebs, vt vidit, dedit laudem* Deo. *Lucæ* 18. *v.* 43. nã gaudebãt de vniuerſis, quæ glorioſè fiebant ab eo.

A tempore Septuageſimæ, vſque ad Paſcha non cantatur allel. quia tempore pœnitentiæ, & triſtitiæ non debet decãtari carmen lætitiæ. Porrò, quod allel. interpoſito verſu repetitur, ſignificat æternæ vitę gaudium, & quod interiecta lætitia, Sancti geminam glorificationis ſtolam accipiant, videlicet animæ, & corporis, nàm ſecundum ſtolam mentis, videlicet animæ, *exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*, *Pſal.* 149. Secundum ſtolã carnis *fulgebunt, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*, *Sap.* 3. Verſus ergo nihil ſiniſtrum, aut triſte, ſed totum iucundum, & dulce debet ſonare; nàm verſus dicitur à reuertendo, eo quod per ipſum reuertimur ad allel. quia ſignificat operationem, quæ laudi coniungi debet, nàm non benè Deum laudat, qui benè operari ceſſat.

CAP. XXI.

De Tractu.

A Dominica Septuageſimæ vſque ad Vigiliam Paſchatis, ex inſtitutione Teleſphio-

ſphori Papæ, loco allel. dicitur tractus, & in omnibus etiã officijs luctus, &c. Dicitur autem tractus à trahendo, quia tractim, & cum aſperitate vocum, & prolixitate verborum canitur; eò quia miſeriam, laborem præſentis vitæ, & incolatus inſinuat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*, *Pſal.* 119. in tractibus enim repræſentatur longa Sanctorum Patrum expectatio, & Iudæorum captiuorum mœror, & afflictio, qui tempore Babylonicæ captiuitatis: *Sedentes ſuper flumina Babylonis, & flentes, in ſalicibus ſua organa ſuſpenderunt*, *Pſal.* 136. Quod tempus Eccleſia repræſentat à Septuageſima Cantica lætitiæ ſubticendo, & tractus dicendo, eo quod tractus dicitur, quia Sancti ſuſpirantes ab imo pectoris gemitum trahunt. Nàm licet gaudeant, vt monet allel. Tamen hic in valle lacrymarum commorantes habent irriguum ſuperiùs, & inferiùs, quod tractus myſticat; gemunt enim flebiliter pro dilectione ſupernæ Patriæ, & ſuper flumina Babylonis ſedentes, patriæ ſuæ memores, interim lacrymas fundunt pro ſuis, aliorumque exceſſibus, dum ex vicinitate Babylonici fluminis, ſeipſos vident ſæpè aſperſos, & alios penitùs immerſos n ipſius fluuij rapiditate ferri deorſum, ideò tractus aliquando eſt de ſuperiori, aliquando de inferiori irriguo, & ſignificat, quando leuis, vel grauis culpa committitur à fidelibus. De quo Diuus Gregorius 3. Dialogor. c. 34.

A Dominica Septuageſimæ vſque ad feriam quartam Cinerum o dicitur tractus, ſolùm Dominicis diebus, eo quod populus tunc melius conuenit in Eccleſia, qui indiget edoceri qualiter captiuitatem diabolicam, per Babylonicam figuratam, debet deplorare; Tractus enim tempus Babylonicæ captiuitatis repræſentant, ſed poſt dictam feriam quartã Cinerum, quæ caput ieiuniorum eſt, magis frequentatur, quia tunc magis eſt tempus mœroris.

In feria quarta, & ſexta maioris hebdomadę p dicitur tractus immediatè poſt epiſtolam, ad maiorem luctum inſinuandum, quem tractus, ſiuè graduale inſinuat. Nàm graduale cum tractu, vel cum allelaia cantatur, tractus verò nunquã

cum alleluia, niſi in Sabbato Paſchali ob ſpecialem cauſã, quæ eſſe poterit,quia gaudium non eſt plenum; eſt ergo lætitia in ſpe proxima.

CAP. XXII.

De Proſa, ſeù Sequentia.

Secundum Iſidorum, proſa eſt producta oratio à lege metri reſoluta, ſic dicta ex eo, quod ſit profuſa: ſequentia verò dicta eſt, quod neumam iubili ſequitur; & poſt alleluia,proſa,ſeu ſequentia dicitur, quæ ſimiliter Canticum exultationis appellatur,ad notandũ geminam glorificationis ſtolã, quam Sancti accipient, animæ ſcilicet,& corporis.

Cantatur ſequentia ab omnibus ſimùl in Choro, vt notetur concordia charitatis; Talis enim laus Deo placet;Vndè in *Cant.c.4.Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, in vno oculorũ tuorum*; Ideò dicitur in vno, vt notetur concordia, & voluntas vniformis; Quia laus ſic facta eſt cibus delicatiſſimus Deo; hæc eſt tunica illa inconſutilis, quàm Deus non patitur ſcindi *16.q.2.ſicut.*

Quando enim non dicitur alleluia, non debet etiam ſequentia cantari, quoniam loco neumæ eius dicitur,& idem ſignificat, quod neuma, ſcilicet æternæ vitæ gaudium, quod nullo modo explicari poteſt, & ideò per neuma,quæ eſt vox nõ ſignificatiua,intelligitur, & indè eſt,quod quædam ſequentię antiquæ ſolent verba noua, & incognita habere,& inuſitata; Tum quia Cœli gaudium ſecretum, & incognitum mortalibus eſt; Tum etiam, quia nobis notus non eſt modus laudandi Deum in patria, neque iubilus cordis in præſenti eſt ad plenum. Hodiè verò ſequẽtiæ cum voce ſignificatiua dicuntur, ad notandum,quod in illa magna feſtiuitate vitæ æternæ,iubilus plene ſcietur, ſequentiæ verò,æternæ vitæ myſticant laudes,iuxtà illud *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*, *Pſal.83.v.1.* habent enim verba laudiflua, & dulcẽ, ac ſuauem cantum: quia ibi omnia erunt plena lętitię: *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te*, *Pſal.86.v.7.* Rurſus,quia laudes ęternitatis,verbis humanis plenè non reſo-

nantur, ideò quędam Eccleſię myſticè neumatizant ſequentias ſine verbis, aut ſaltem aliquos verſus earum. Nulla enim erit ſignificatio verborū neceſſaria, vbi ſingulorum corda patebunt ſingulis intuentibus librum vitæ; & vbi idem erit, teſtis accuſator, & Iudex, 11.*q.3. eorum.* Nocherius Abbas Sancti Galli, in Theutonia, primo ſequentias, pro neumis t
ipſius alleluia compoſuit, & Nicolaus Papa ad Miſſam cantari conceſſit, Hermanus Theutonicus *Alma Redemptoris Mater, &c.* S. Petrus Compoſtellanus Epiſcopus *Salue Regina Mater miſericordiæ, &c.* Robertus Rex Galliæ, *Veni Sancte Spiritus, &c.* & alij alias. antiquitus mos erat, vt ſemper alleluia caneretur cum neuma; ſed poſteà dictus Papa inſtituit, vt loco illius neumæ, in præcipuis ſolemnitatibus ſequentias dici.

CAP. XXIII.

De mutatione Sacerdotis.

Dicta epiſtola, & Choro graduale pſallente, Sacerdos tacitus ad dexteram partem Altaris ſedebit, inſinuans, quod Ioanne prædicante Chriſtus quodammodò tacebat, quia non prædicabat apertè, & quoniam ſedes victoris eſt, ſeſſio Sacerdotis victoriam Chriſti rectè ſignificat, v
qui poſt ieiunium, vicit Diabolum, poſt dictam ſequentiam ſurgit, quia, vt Euangeliſta tradit, *Matth.* 14. *v.*2. poſtquam Ioannes traditus eſt, venit Ieſus in Galilæam, prædicans Euangelium Regni Dei; ad ſiniſtram Altaris partem vadit; ibi pronunciat Euangelium, ſignificans, quod Chriſtus non venit vocare iuſtos, ſed peccatores, quia non indigent, qui ſani ſunt Medico, ſed qui malè ſe habent, *Matt.*9.1. *q.*1. *multi*; per dexteram iuſti, per ſiniſtrā peccatores ſignificantur, propter quod Dominus in iudicio, *Statuet quidem oues à dextris, hædos verò à ſiniſtris, Matth.* 25.

Quidam tamen dixerunt, x
quod ideò Sacerdos in principio Miſſæ conſiſtit ad dexterā; cum verò pronunciat Euangelium conuertitur ad ſiniſtram, & circa finem Miſſæ, iterum redit ad dexteram; quia cultus Dei primo fuit in populo Iudæorum, & Iudæa tunc erat ad de-

dexteram; deindè Iudæis non credentibus,& verbum Dei reſpuentibus, cultus Dei tranſiuit ad gentes,ad quas Apoſtoli tranſierunt, & tunc Iudæa fuit in ſiniſtra parte, & gentes ad dexteram, ideò pars dextera Altaris fit ſiniſtra, reſpectu Sacerdotis, & pars ſiniſtra fit dextera;& circa finem reuertetur iterum ad Iudæos ad præ-
y dicationem Enoch,& Eliæ,qui conuertent corda Patrum in Filios: Apoſtolus enim ait, *Rom.9. v.17. Si fuerit numerus filiorum Iſrael, tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.* qui enim primo dixerat, *In viam gentium ne abieritis, Matth.*10. *v.* 5. poſteà præcepit dicens: *Euntes in Mundum vniuerſum prædicate Euangeliũ omni creaturæ, Marci 16.v.15.*

CAP. XXIV.

De Euangelio.

EPiſcopo, vel Sacerdote cũ Miniſtris celebrantibus, cuncta ſolemnius peraguntur.
z Vndè Diaconus benedictionẽ poſtulat, & ſimùl librum euangelij de Altari accipit*, &c. Deindè cum Subdiacono à ſiniſtris comitante per dexteram partem chori procedit cum textu euangelij antè pectus,præcedentibus thuripherario, & ceropherarijs cum faculis accenſis; & antè omnes, in quibuſdamEccleſijs,vexillum crucis, ſicque pulpitum aſcendit, vt fiebat antiquitùs, & nunc etiam fit in quibuſdam Eccleſijs Regularium; euangelium incipit, quo dicto ad Epiſcopum, vel Sacerdotem redeunt.

a Euangelium, bonum nunciũ ſonat,ab eu.quod eſt bonum, & Angelus, quod eſt nuncius; eſt enim euangelium,Chriſti,& Apoſtolorum eius prædicatio; nunciat quidem vitã poſt mortem, requiem poſt laborem, Regnum poſt ſeruitium,& ſicut caput præeminet cæteris corporis membris, & illi, cætera membra ſeruiunt: ſic & euangelium principale eſt omnium, quæ ad officium Miſſæ dicuntur, & toti præeminet officio Miſſæ, & quæcumque ibi cantantur, & dicuntur illi conſentiunt, in intellectuali ratione.

b Diaconus ergo,petita benedictione,manum dexteram Sacerdotis oſculatur, ad ſignificandum,quod Prędicator euãgelicus debet annũciare æter-

nam gloriam, de qua Sponſa dicit: *Dextera illius amplexabitur me*, *Cant.* 2. & Angelus, qui Chriſti reſurrectionem nũciauit, in dextera ſedebat, ſtola candida coopertus. In quibuſdam Eccleſijs non oſculatur manum Sacerdotis, ſed tantum inclinatus, benedictionem petit.

Verum, tàm Diaconus, quã Subdiaconus, non manus, ſed c pedes Summi Pontificis oſculantur, ad notandum, quod Sũmo Pontifici, ſumma exhiberi reuerentia debet, eo quod illius eſt Vicarius, cuius pedes oſculabarur mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix: *Adorandum eſt enim ſcabellum pedum eius, quia ſanctum eſt*, *Pſ.* 109. Cuius etiam reſurgentis à mortuis pedes mulieres tenentes adorauerunt, *Matth.* 28.

Generaliter enim nemo debet manũ Sũmi Pontificis oſ- d culari, niſi cum de manibus eius aliquid accipit, vel cum ad manus eius aliquid tribuit, vt oſtendatur, quod ex vtroque debemus ei gratias agere, qui ſicut ſemper dat propria, ſic nunqam recipit aliena.

Diaconus textum euangelicum ſumit de Altari: *Quia de Sion exhibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem*, *Iſa.* 2. *v.* 3. & in hoc notatur, quod euange- e lium eſt verbum Dei, quod per Altare ſignificatur, iuxtà illud *Exodi* 20. *v.* 24. *Altare de terra facietis mihi*, ideſt fidem incarnationis Filij Dei habebitis, exponit Gloſſa interlinearis. Cõſequẽter benedictionẽ poſtulat: quia nullus debet prędicare, niſi mittatur, iuxtà Apoſt. *Rom.* 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur. extra de hær. cũ ex iniuncto*; & hoc prȩfiguratur in Moyſe, qui aſcendens in Montem accepit tabulas, & benedictionem, & mandata populo propoſuit, *Exod.* 27. & Dominus etiam bendixit ordini Diaconali, quando dedit Spiritum Sanctum, & miſit ad prȩdicãdum per Vniuerſum Mundum.

Sacerdos viſibiliter benedicit Diacono, qui lecturus eſt f euangelium, quod non fecerat Subdiacono lecturo epiſtolam: quia Chriſtus inuiſibilis manens, legem, & Prophetas, qui per epiſtolam ſignificantur, inuiſibiliter miſit; ſed poſtquam *In terris viſus, & cum hominibus conuerſatus eſt*, *Baruch.* 3. Apoſtolos, & Euangeliſtas viſi-

viſibiliter miſit,& docuit:*Euntes autem prædicate . Dicentes appropinquauit Regnum Cęlorũ, Mat.*10.*v.*7.*egreſſi autẽ circuibãt per Caſtella, euãgelizãtes,& curantes vbique, Luc.*9.*v.*6. lecto Euangelio, Subdiaconus quaſi ſufficienter edoctus, pręcedit referens euangelium,

g quoniam mercedem euangelij de ſua miniſtratione reportat, ſecundum illud ; *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet* , *Matth.* 10. *v.* 41. quem ideò pręmittit Diaconus ad Epiſcopum,vel Sacerdotem, vt oſtendat ſe fructum prædicationis referre, de quo Dominus : *Poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis , & fructus veſter maneat,Ioann.*15.*v.*16. Diaconus quando procedit ad cantandũ euangelium , thuribulum cum incenſo præmittit: quia Chriſti

h opera præceſſerunt eius doctrinam: *Cœpit Ieſus facere , & docere, Act.* 1. Thuribulum cum thure,ſignificat orationem cum deuotione,quàm tunc maximè debent fideles habere , in audiendo diuinum verbum.

Rurſus Diaconus præmittit thuribulum : quia prædicator

i debet odorem bonæ opinionis ex ſe mittere : *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco,* 2.*Cor. cap.*2. *v.*15. Nàm *Cuius vita deſpicitur reſtat , vt eius prædicatio contẽnatur , inquit Gregorius. extra de ſacra vnctione, cap.*1.Thuribulum præcedit,vt ipſius Diaconi oratio, ſicut incenſum in conſpectu Domini dirigatur.

Antè thuribulum pręmittit duos ceropherarios cum faculis accenſis. Primò, quia debet

k deſiderium,& gaudium in cordibus auditorum accendere, quatenus & libenter audiant, & gratanter obediant ; in quibuſdam Eccleſijs thuribulum cereos præcedit,& maximè in ordine Romano,quoniam opera, & virtutes per feruorẽ orationis,famam, lucem, & ſigna accipiunt, iuxtà illud *Luceat lux veſtra coram hominibus , & videant opera veſtra bona , & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt, Matth.*5. *v.*16. *& virtus de illo exhibat , & ſanabat omnes,Luc.*6.*u.*19.vel ſignificant duo acolythi cum cereis, & thuribulo, quod Chriſtus præmiſit binos nuncios . *Antè faciem ſuam , in omnem Ciuitatem, & locum,quo erat ipſe uenturus, Luc.*10.*u.*1. præfe-

rentes coruſcationes miraculorum, & odorem virtutum; vel quia doctrinam Chriſti, virtus, & fama præibant, Euangeliſta teſtante: *Et regreſſus eſt Ieſus in virtute ſpiritus in Galilæam; & fama exijt in uniuerſam regionem de illo, & ipſe docebat in Synagogis eorum, Luc.4.u.14.*

Rurſus duo cerei accenſi, l Doctores, per quos Sancta Eccleſia illuminatur, ſignificant; hinc eſt, quod ipſi cerei plerumque diuerſorum colorum lineis decorantur; ad notandũ, quod per Doctores ipſos, Sacra Scriptura diuerſis ſenſibus exponitur.

Si verò lineæ ipſæ aureæ, vel m argenteæ ſint, deſignant, quod in ipſis Doctoribus eſt aurum ſapientiæ, & argentum eloquẽtiæ; vel cerei ipſi deſignãt duo teſtamenta, quibus genus hominum illuminatur.

In quibuſdam Eccleſijs in diebus profeſtis vnus puer cũ n vno tantum cereo Diaconum præcedit, per quod ſignificatur, quod primum Chriſti aduentum, qui humilis fuit, & occultus, præuenit tantum vnus Præcurſor Sanctus Ioannes Baptiſta, qui fuit lucerna verbi. In diebus verò feſtiuis duo cerei præcedunt: quia in ſecundò aduentu, qui ſolemnis erit, & manifeſtus, duo præmittentur Præcones, ſcilicet Elias, & Enoch, qui interficientur ab Antechriſto in Ieruſalem, vt habetur *Apoc.* 11. quod ſignificatur per extinſionem cereorum in fine euangelij.

Antecedit quoque vexillum Crucis in quibuſdam Eccleſijs, o primo ad notãdum, quod Diaconus debet prædicare Crucifixum; ſecundo, quod qui eum intuetur ſanatur per fidem à morſu Serpentis antiqui; Ipſum enim vexillum Crucis eſt Serpens in palo; tertio Crux præcedit Euangelium in ſignum, quod Prædicator ſequi debet Crucifixum, vndè Dominus Petro ait: *Sequere me, Io:* 21.

Poſt hæc Diaconus ſuper ambonem aſcendit; dicitur autem ambo, ambonis, pulpitum, P vbi legitur euangelium, quia locus ille gradibus ambitur, ſũt enim in quibuſdam Eccleſijs duo paria graduum, ſiuè duo aſcenſus, vnus à ſiniſtris, videlicet verſus Orientem, quo fit aſcenſus; alter à dextris, ſcilicet verſus Occidentem, quo fit deſcenſus; vel aſcendit auſtruali parte, nàm Chriſtus à Be-

Bethel,ideſt Bethleem, quæ eſt Auſtrum, venit in Ieruſalem, vndè *Deus ab Auſtro ueniet, Abac.* 3. aſcendit enim ambonem, ad notandum, quod Chriſtus ambit omnes, qui cuſtodiunt verbum euangelij, & vt poſſit ambiri, & ſic meliùs ab omnibus intelligi; vel quia doctrina euangelica dilatata fuit vbique terrarum: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, Pſalm.* 18. quod etiam ſignificat eius aſcenſus, & deſcenſus, vt ſuprà dictum eſt.

q Epiſtola verò in loco inferiori dicitur, quia lex, & Prophetę, qui p illã figurantur clauſi fuerunt in Iudæa; Vndè *Notus in Iudæa Deus, Pſal.* 75. In Miſſa autem pro defunctis iuxtà Altare euangelium, & epiſtola leguntur, ad notandum, quod quantum ſpectat ad defunctos, non proſunt prædicationes, quæ viuis publicè fiunt; ſed magis ſunt pro ipſis orationes, per quas ad Chriſtum, qui per Altare ſignificatur, appropinquantes, eis poſſumus releuationem aliquam obtinere.

r Locus, in quo euangelium legitur in diebus feſtiuis aliquo panno lineo, vel ſerico cooperitur, ad ſignificandum mollitudinẽ cordium Chriſtianorum: *Ecce dabo uobis cor carneum, & ſcribam legem meam in cordibus ueſtris, Zacchar.* 11. locus in quo epiſtola legitur, non cooperitur, ad ſignificandum duritiam cordium Iudęorum.

s Iuxtà Ritum Romanum, lecturus euangelium, tranſit ad partem ſiniſtram Altaris, prout dictum eſt de mutatione Sacerdotis, & opponit faciem ſuam Aquiloni, iuxtà illud *Iſa.* 43. *u.* 6. *Dicam Aquiloni: da, & Auſtro, noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ,* vt oſtẽdatur nos doctrinam euangelicam debere amare; & prædicationem Chriſti contra illum ſpecialiter dirigere, qui ait: *Sedebo in Monte Teſtamenti, in lateribus Aquilonis, Iſa.* 14. *uer.* 14. Nàm ſecundùm prophetias *Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ, Iſa.* 1. *u.* 14. Rurſus verſus Aquilonem euangelium legitur, iuxtà illud *Cãt.* 4. *v.* 16. *Aquilo ſurge*, ideſt Diabolus fugiat, *& ueni Auſter*, ideſt Spiritus Sanctus accedat; Rectè enim contra Diabolum euangelium legitur, vt illum ſua virtute expel-

pellat. Quoniam Diabolus nihil tantùm, quantùm euangelium odit. Siquidem Aquilo, ventus frigidus, Diabolum ſignificat, qui flatu tentationum corda hominum à Dei timore congelat, & amore refrigerat. Cum ergo Fides in euangelio contineatur, quæ eſt armatura noſtra contra Diabolum, iuxtà illud 1. *Petr.* 5. *Cui reſiſtite fortes in Fide*, meritò legitur contra illum.

Quandoque etiam verſus meridiem legitur: quia doctrina euangelica, quæ primò fuit inter Iudæos,& nunc inter Gétiles; ad eos in fine redibit.

In Sabbato Sancto Paſchali non portantur luminaria in euangelio, ſed tantum incenſum, vt ſignificentur aromata mulierum ad monumentum, ſine lumine fidei, quia putabant Chriſtum hominem mortuum; deuotio aderat, fides obſcura erat.

Primo Diaconus ſalutat populum, dicendo: *Dominus vobiſcum*, vt reddat ipſum beneuolum, & attentum; populus reſpondet, *& cum ſpiritu tuo*, ſupplè, & dignè poſſis euangelium legere, ac ſi dicat, tecum ſit ad dicendum, & ſic mutuò ſe ſalutant. Euangelium ſtando, & non ſedendo auditur. Sicut ſtatuit Anaſtaſius Papa *de conſec. diſt.* 1. *Apoſtolica*, vt ad prælium, pro Chriſti fide ſeruanda, promptitudo notetur, vndè *Lucæ* 22. *v.* 36. *Qui non habet gladium vendat tunicam ſuam, & emat illum*; & quia doctrina euangelica ad contemptum mundi, & amorem cœleſtium dirigit mentes noſtras, ad huiuſmodi t promptitudinem deſignandam, quidam, dum euangelium legitur, clamides deponunt; Reclinatoria ergo, tunc relinquuntur, vt notetur, quod non de- v bemus confidere in principibus, nec ſubſtentari in terrenis, ſubauditur comparatione Dei, in quem curam noſtram iactare debemus, & ſecundùm ipſum Anaſtaſium, ſtantes curui manere debemus, vt humilitatem, quàm à Domino docemur, etiam corpore demonſtremus; auditur etiam capite nu- x dato: Primò, vt attentio adeſſe monſtretur. Secundo, vt quinque y ſenſus patuli ſint ad audiendum. Tertiò ad notandum, quod omnia, quæ ſub velamine, & figura in lege, & Prophetis continebantur, in euangelio

lio ſunt manifeſtata; in Chriſti enim Paſſione: *Velum Templi ſciſſum eſt, Matth.* 27. deponuntur etiam tùnc baculi, & arma.
z Primò, ne imitemur Iudæos in conſpectu Crucifixi, arundines, & arma ferentes. Secundò, ad notandum, quod Chriſto prædicante omnes legales obſeruantiæ, quæ per baculos ſignificantur, depoſitæ ſunt. Tertiò, ad notandum humilitatē Chriſtianorum, qui non ſe vindicare, ſed Domino reſeruare vindictam tenentur, iuxtà illud *Mihi vindictam, & ego retribuam, Rom.* 12. *v.* 19. *& qui te percuſſerit in vna maxilla præbe ei, & alteram, Matth.* 5. 23. *q.* 1. §. 1. auditur etiam in ſilentio, quia omnia ſoluta ſunt in
a euangelio, quæ in lege, & Prophetis præmiſſa erant. Sacerdos verò dum euangelium legitur faciem vertit ad illud, ad notandum, quod Chriſtus Prędicatores euangelij ad adiuuādum reſpicit; ſtans ſuper ſcabellum, ad ſignificandum, quod per huiuſmodi prædicationem omnis poteſtas debellatur, & Chriſti pedibus ſubmittitur, & ſic impletur, quod in *Pſal.* 109. dicitur: *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.*

Poſtquam reſponſum eſt, *& cum ſpiritu tuo*, ſubdit Diaconus ſequentia, &c. ſignans librum, & ſe in fronte, in ore, & in pectore. Et poſteà ipſum librum thurificat; per incenſi autem fumum, bona prædica-
b tionis opinio intelligitur; ſignū Crucis verò in fronte, in ore, & pectore Diaconi expellit Diabolum, ne tollat ei, per erubeſcentiam, deuotionem de corde, & ſermonem de ore, quaſi dicat, ego Chriſti Crucem non erubeſco; ſed eam ore prædico, & corde credo, quia *Corde creditur ad iuſtitiā, ore autē cōfeſſio ſit ad ſalutem, Rom.* 10. *v.* 10. ſignum Crucis ſuper librum, oſtēdit ipſum eſſe librum Crucifixi, quem prædicat. populus
c verò reſpondit: *Gloria tibi Domine*, quaſi dicat, Gloria, quæ nobis in euangelio prædicatur, nobiſcum ſine fine maneat, & ſemper creſcat, & hęc dicendo, ſigno Crucis in fronte, in ore, & in pectore ſe ſimiliter muniunt, ne eos impediat Diabolus in audiendo: in fronte, quia ibi eſt locus pudoris, ſiuè verecundiæ, vndè per hoc, quod Crucem fronti imprimūt, oſtēdunt ſe non erubeſcere credere Crucifixum, cuius liber legi-

tur,

tur, & eum habere Deum, & Dominum. Per hoc, quod in ore ſignant, ſignificatur Crucē Domini audacter prædicare, & per hoc,quod in pectore,oſtendunt ſe libenter compati pro nomine Chriſti.

Rurſus nos in ore ſignamus, ad deſignandum,quod de verbis d euangelij debet eſſe loquutio noſtra. In pectore verò, & in fronte, quod verba euangelij debent nos percutere in corde, & in mente; mox verò poſt factum ſignum Crucis, verſus Diaconum, audituri euangelium ſe conuertunt,vt attentionem ad ipſum manifeſtent, Sacerdos oſculatur librum finito euangelio, ad notandum charitatem,& amorem erga euangelium. Populus verò ſigno Crucis ſe munit contra Diabolum,ne ſemen verbi ſuffocetur in eis, quaſi dicant, Deus nos faciat in doctrina Chriſti perſeuerare,& in corde habere, quod ore expreſſum eſt.

Finito euangelio,iuxtà Ritū Romanum, reſpondetur *Laus* e *tibi Chriſte*: quia ex prædicatione euangelij,laus,& gloria refertur Chriſto. Cerei extinguuntur: quia Doctores per eos figurati, Chriſto in eis loquente,poſſunt Eccleſiam illuminare; eo autem tacente,ideſt Spiritú Sancto,per illuminationem,ab eis recedente, hoc nequeunt, Subdiaconus codicem euangelij refert; Diaconus verò vacuus redit, vt oſtendat, prædicatione finita, ſe contemplationi vacare; veniens priùs ad legendum euangelium, librum ferebat, ad notandum non ſolum, quod ipſe debebat docere; ſed & facere, redit etiā ad Epiſcopum,vel Sacerdotem: Quia omnis doctrina à Deo eſt, & ad ipſum reuertitur. *Ad locum vndè exeunt flumina reuertuntur,vt iterū fluant*, *Eccl*.1.*v*.7.Apoſtoli quoque prędicatione peracta,ad Chriſtum reuerſi ſunt, referentes ei gratias de miraculis, & prædicationis profectu.

Epiſcopus verò, vel Sacer- f dos thure adoletur, & euangelium oſculatur. Primò ad notandum, id quod Chriſtus inſpirauit, & docuit, hic approbat,& acceptat, Deus enim nihil accipit,niſi quod efficit, nec remunerat,niſi id, quod donat: quia ſicut cuncta,quæ facit,bona ſunt; ſic nulla ſunt bona, niſi quæ facit: *Nàm vidit Deus*

cun-

cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona, *Geneſ.* 2. Secundò apertum codicem oſculatur, ad ſignificandum, quod ſcire debet; nuda, ac aperta ſibi eſſe debent, quæcumque ſunt in lege, vndè dicitur: *Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei*, *Luc.* 8. & alibi: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius*, *Malach. c.*2. ideſt ſubditi, *extra de hær. cum ex iniuncto*. Tertiò, quia huiuſmodi oſculum ſignificat affectum amoris ad euangeliũ, qui præcipuè in Epiſcopo, vel Sacerdote vigere debet, adeò vt paratus ſit mortem pro eo ſubire, 25.*q.*1.*Violatores*.

Poſt libri oſculum, Epiſco- i
g pus, vel Sacerdos incenſatur, ad oſtendendum, quod Sacerdotis maximè officium eſt orationis ignitum ſacrificiũ (quod per incẽſum ſignificatur) Chriſto offerre, non ſolum in expiationem delicti; Verum etiã in gratiarum actionem, prout in *Leuit.* habetur, & omnia hæc ſumuntur ex capite 8. Nehemiæ, vbi congregato populo Eſdra Scriba attulit librum legis, *Eſdra c.*9.

h Euãgeliorum duæ ſunt prẹfationes, ſcilicet, initium Sancti Euangelij, in quo non ſubditur in illo tempore, quia in ipſis principijs agitur, & determinatur certum tempus; Vndè eſſet nugatio, & ſuperfluerent verba illa. Secunda verò prẹfatio, quæ præmittitur omnibus alijs euangelijs eſt ſequẽtia Sancti Euangelij: quia verba, quæ legenda ſunt, ſequuntur poſt initium; ſeù poſteriora ad quæ præcedunt in euangelio, vndè ſumpta ſunt.

C A P. XXV.

De Symbolo.

Lecto Euangelio, alta voce cantatur Symbolum Nicœnum, ex condicto vniuerſalis Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Damaſo Papa, quamquam Marcus Papa Primus ſtatuiſſet illud cantari alta voce, vt omnes illud dicant, & addiſcãt; omnis enim Chriſtianus tenetur publicè fidem Catholicam profiteri; vel quia hodiè fides Catholica liberè prædicatur, & docetur. Cantatur poſt euangelium, quia poſt prædicationem euangelij oſtẽditur fides credentium, iuxta illud *Io*:8.*v.*30. *Hæc eo loquẽ-*

te,multi crediderunt in eum. Sanè Epiſcopus,vel Sacerdos illud incipit, ad deſignandum, quod omne bonum à Chriſto procedit: *Omne datum optimũ, & omne donum perfectum deſurſum eſt, Iac.* 1. Ne autem muſicus ille cœleſtis dicat: *Cãtauimus vobis, & non ſaltaſtis, Luc.7.v.32.* Chorus euangelicæ doctrinæ, conſona voce,reſpondet,& ſolemni tripudio,fidem Catholicam profitetur, dicens, *Patrem omnipotentem, &c.* Sacerdos,illud incipiens, manet ereptus antè medium Altaris, manibus extenſis, & ſurſum eleuatis, quas,poſtquã inceperit, iungit; antè Altaris medium,quia non eſt perſonarum acceptator,ſed quantum in ipſo eſt omnibus æqualiter influit, neque enim angulum diligit, neque ſinum; manibus quoque extenſis,ad deſignandum, quod paratus eſt omnibus benemeritis abbundanter largiri; Surſum tamen eleuatis,quaſi ipſo facto oſtendens, quod quæ ſurſum ſunt quærere,atque à Deo miſericordiam poſcere, & in eo ſolo ſperare debemus; Deindè poſtquam incœperit,manus iungit:Quia ei ſoli de perceptis bonis gratias agere,& nos humiliare debemus;& quoniam ſymbolum verbum eſt euangelicum, quo ad ſenſum; ideò ſtando illud audire,ſicut euangelium, & illo dicto,ſignum crucis facere debemus,vt in euangelio dictũ eſt; ad illa verba, *Et Incarnatus eſt*, vſque *Homo factus eſt* incluſiuè, Sacerdos, & omnes adſtantes genuflectunt, ob reuerentiam tantæ humilitatis Filij Dei. Symbolum autem Græcè;latinè ſonat iudicium, vel ſignum,vel collatio: Tum quia regulam fidei plenam indicat,& perfectam; Tum quia ſimùl in vnum fidei continet articulos,& dicitur à ſia, quod eſt con,& bolos, quod eſt ſententia,ſicut pueri in feſtiuis cõuenientes,ſolent afferre bolos, ideſt fruſtrà carnium,& panes, quæ in vnum collecta vocantur ſymbolum, ideſt collectio minutiarum, 43. *diſt. cap.* 3. Symbolum,quod nunc in Miſſa cantatur, non eſt purè Nicœnum, ſed ex Nicœno compactum in Synodo Conſtantinopolitana,& fortè Auctor eſt Gregorius Nanzianzenus. K

CAP.

C A P. XXVI.

De Prædicatione.

QVoniam, vt præmiſſum
eſt, euangelium prædi-
catio eſt,& ſymbolum
fidei profeſſio , ideò poſt illa
l fit populo prædicatio, quaſi
euangelici verbi , & ſymboli,
ſiuè noui,& veteris Teſtamen-
ti expoſitio, qui modus ſum-
ptus eſt ex 2. *lib. Eſdræ, cap.*8.
*v.*8. vbi ſic legitur: *Et legerũt*
in libro legis Dei diſtinctè , &
apertè ad intelligendum ; & in-
tellexerunt cum legeretur.

Prætereà monebantur anti-
quitùs , qui in fraterno odio
erant, vt ad concordiam veni-
m rent , priuſquam communica-
rent,& mundi eſſent, priuſquã
coram ſuo Saluatore (cui nota
ſunt ſecreta córdium) appare-
rent , ex quo prædicandi vſus
in Eccleſia inoleuit, qui cum
priuilegiatus ſit, nullus prædi-
care debet , niſi cui committi-
tur,aut cui,ex officio ſibi iniũ-
cto,incumbit,iuxtà illud Apo-
ſtoli, *Quomodò prædicabunt,ni-*
*ſi mittantur,Rom.*10.*extra de*
hæret. cum ex iniuncto; & ideò
prædicaturus licentiam petit,
dicens, *Iube domne benedicere*;
debet autem Prædicator loco
eminentiori eſſe, nàm & *Ieſus*
videns Turbas aſcendit in Mõ-
tem , & aperiens os ſuum doce-
*bat eos,Matt.*5. *v.*1. & Eſdra
fecit gradum ligneum ad lo-
quendum, *Eſdra* 2.*c.*8.*u.*4.*Ste-*
tit autem Eſdras Scriba ſuper
gradum ligneum , quem fecerat
ad loquendum.

Præter illa , quæ dicta ſunt
de euangelio , &c. Debet ta-
men Prędicator humiliter pro-
n ferre,quæ docet,ne, ſecundùm
Gregorium, 46. *diſt. q. in fine.*
Illum elatis moribus prædicet,
quem in cordibus audientium
ſacris ſermonibus inſectatur. &
ſecundùm Ambroſium. *Prædi-*
catio Chriſtiana non indiget põ-
pa , nec cultu ſermonis. Debet
quoque ſecũdùm Gregorium,
prædicator eſſe diſcretus in ſi-
lentio , vtilis in verbo, *Ne,aut*
tacenda proferat, aut proferen-
da reticeſcat. 43. *diſt.ſit rector.*
Sunt tamen huius ſanctæ do-
ctrinæ obliti,qui,ſicut ait Beda
2. *q.* 1. *Sequuti ſunt. Auditores*
ſuos in præcipitium mergunt ,
quibus non ſalutaria , quæ cor-
rigant , ſed quæ illos delectent,
erronea prædicant . Alij verò
ſecundùm Gregorium,49.*diſt.*

Hinc, & n.8. q.1.oportet.3.43. diſt. 5.fin. dum extimari ebetes nolunt, ſæpè, ex immoderata ſubtilitate, ſe in quibuſdam Inquiſitionibus, pluſquam expediat, exercent, ſecreta myſteria, ſua prædicatione, non intelligentibus, reſerando. Oportet o enim eum, qui docet, & inſtruit, pro ingenio diſcentium, ſemetipſum aptare, & verbi ordinem, pro audientium capacitate, dirigere, quoniam qui docet ea, quæ ab auditoribus intelligi nequeunt, nō ad eorum vtilitatem; ſed ad ſui oſtentationem facit, vt plura ſcire videatur; vel adulatione, vt eis placeat, quibus ſecreta reuelat, iuxtà quod Apoſtolus ait: *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare: non in ſapientia verbi, vt non euacuetur Crux Chriſti,* 1.*Cor.*1.*v.* 17. in Concilio Carthaginenſi *de conſecratione diſt.* 1.*Sacerdote.* Statutum eſt, vt Sacerdote p verbum, ſcilicet prædicationis in Eccleſia faciente, qui egreſſus de auditorio fuerit, vt contēdens, excommunicetur. poſt prædicationem fit confeſſio, & indulgentia pro commiſſis, & omiſſis conceditur, quod epiſcopale eſt munus, vt ſic conſcientijs emundatis, iuxtà illud propheticum dictum: *Scopebā ſpiritum meum, Pſal.* 76. *v.* 6. accedant ſinguli ad communionem Sacramēti, quod mox in Miſſa, vel ſacramentaliter, vel ſpiritualiter recepturi ſunt, quæ ſpiritualis communio fit per fidem operantem dilectionem, iuxtà illud Auguſt. *Crede, & manducaſti, de conſec. diſt.* 1. *vt quid.*

CAP. XXVII.

Secunda Pars Miſſæ.

De Offertorio.

SEcunda pars Miſſæ in offertorio, ſiuè in Dominus vobiſcum incipit, quæ in tres q ſubdiuiditur particulas, Prima dicitur ſecretella, ſecunda prefatio, tertia canòn; Sanè ordo conueniens eſt, vt poſt prædicationem, ſequatur fides in corde, laus in ore, et fructus in opere; prædicatio quidem eſt in euangelio, fides in ſymbolo, laus in offertorio, vel in præfatione, fructus in ſacrificio; Quapropter offertorium, & præfatio cantantur, quia ſacrificium laudis offertur: *Circuiui, & immo-*

molaui in Tabernaculo eius hoſtiam vociferationis; cantabo, & pſalmum dicam Domino, *Pſal. 26. v.6.* Sacerdos dicturus *Oremus*, præmittit *Dominus vobiſcum*, quaſi dicat, niſi Dominus ſit vobiſcum, orare non poſſumus ad ſalutem noſtram,
r ſubijcit ergo, *Oremus*, monens populum orare, vt fidem, in ſymbolo recitatam, credat, & in ea ſtabilis permaneat, quia Chriſtus Diſcipulis dixit: *Orate, ne intretis in tentationem*, *Luc. 22. v. 40.* monens etiam vnumquemque ad ſe redire, conſciẽtiam diſcutere, & ſeipſum in holocauſtum iuſtum Deo offerre: Nàm offertoriũ, canticum offerentium eſt. offertorium verſus, cum multa diligentia ab antiquis Patribus inuenti ſunt; ſed hodiè vniuerſaliùs omittuntur; Tum breuitatis cauſa, vt tàm miniſtri, quàm populus oblationi-
s bus, orationi, & Sacramento Altaris, liberiùs vacent: Tum etiam, quia ſicut ait Hieronym. *de conſec. diſt. 5. Non mediocriter. Melior eſt quinque Pſalmorum, cordis in hilaritate, decantatio, quàm totius Pſalterij, cum anxietate, modulatio verborum. Etenim multitudine, Deus flecti non poteſt*. Solum ergo in offertorio, quod dicitur in Miſſa pro defunctis, verſus ipſi hodiè dicuntur: quia officium illud in multis conſequitur normam alterius officij.

In offertorio namque quiſ-
t que credentium tacitè dicit. Credo, & Fidem, quàm in ſymbolo profeſſus ſum, opere cõpleo, & orationi Sacerdotis conſentio, vndè Sacerdos ſtatim offert dona conſecranda.

Aduertendùm tamen eſt, quod licet Sacerdos præmittat *Oremus*, non tamen imme-
v diatè orat. Immò thurificat oblata, & Altare, oblationes recipit, & alia agit, quaſi ipſo facto dicat, non ceſſat orare, qui non ceſſat benè agere.

Dum autem offertorium cãtatur, & incenſum portatur, inſtãte memoria Dominicæ Paſ-
x ſionis ſilentium obſeruatur, vſque dum dicitur, alta voce, *per omnia ſæcula ſæculorum, &c.* illud inſinuans, quod Ieſus, poſt ſuſcitationem Lazari, non palàm ambulabat apud Iudæos, cum cogitarent eum interficere; ſed abijt in Ciuitatem, quę dicitur Effrem, ibi morabatur cum Diſcipulis ſuis, *Io: 11.*

CAP. XXVIII.

De Palla, & Corporali.

DE palla, & corporali habetur *de conſec. diſt.* 1. *cap. Conſulto. Ex conſulto enim* y *omnium conſtituimus, vt ſacrificium Altaris, non in ſerico panno, aut intincto, quiſque celebrare præſumat, ſed in puro lineo ab Epiſcopo conſecrato.* Terreno ſcilicet lineo, ideſt de terra procreato, atque conteſto; ſicut Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti in Syndone munda linea ſepultum fuit, *Matth.* 27. & Chriſtus veram carnem paſſibilem, & mortalem, de terreno virginis corpore aſſumpſit. De lino igitur candido, non intincto, ex inſtitutione Xiſti, & Euſebij Pontificum, fit corporale.

Significat corporale paſſionis intentionem, ſeu Corpus z Chriſti doloribus attritum, Quia ſicut linum multò labore, ac multis tuntionibus acquirit candorem, ità Chriſti caro multò certamine ad reſurrectionis gloriam peruenit; Significat etiã Eccleſiam, (per quam Corpus Chriſti myſticum intelligitur) quæ multis paſſionibus, & præſſuris ad cãdorem æternæ vitæ perducitur. Tertiò, ſignificat ipſum Chriſtum, cum enim ſic complicetur, vt nec initium, nec finis eius appareat, ſic eius Diuinitas initio caret, nec finem habebit, & ſicut oblata coniungitur corporali, & ponitur in Altari, ſic Chriſti caro iuncta Diuinitati affigitur Cruci. Quatuor eius plicaturæ in longum, quatuor ſignificant virtutes Cardinales, ſcilicet iuſtitiam, prudentiam, temperantiam, & fortitudinem, per quas innatæ nobis paſſiones reprimuntur.

Duplex autem eſt palla, vna ſcilicet, quàm Diaconus extẽdit ſuper Altare, altera quàm a ſuper Calicem plicatam ponit, ſignificantes duo linteamina, quibus Ioſeph Corpus Chriſti inuoluit; extenſa repræſentat Syndonem, qua Corpus fuit in ſepulcro inuolutum, & inde *corporale vocatur*, quia Corpus Chriſti inuoluit, plicata ſuper Calicem poſita, ſudarium, quo caput eius fuit ſeparatim inuolutum; ſiquidem extenſa, quæ corporale, ſignificat fidem, plicata, quæ ſudarium vocatur, intellectum; hoc enim myſterium

rium corporis , et ſanguinis Chriſti credi debet,ſed cōpræhendi nequit, *Vt fides habeat meritum, cui humana ratio non præbet experimentum, de pœnit. diſt.*4. *in domo.* Secundò, corporale, ſiuè Syndon ſubſiſtens ſignificat Chriſti humilitatem in paſſione, ſudarium verò laborem; Tertiò, corporale ſignificat linteum, quo Chriſtus erat præcinctus, ſudarium, laborem in perſecutionibus; adhùc palla ſuper Calicem poſita aliquam, ſcilicet ſuperiorem eius partem, non totum tegit, in quo datur intelligi, quod ſudarium aliquam partem capitis Chriſti tegebat, & aliquā non; ſicut mos eſt Iudæis facere; quædam tamen Eccleſiæ non habent, niſi vnum corporale, pro eo, quod in euangelio legitur, quod Ioſeph Corpus Ieſu inuoluit in Syndone mūda, non enim dixit Syndonibus, in plurali, & hoc ad ſignificandum Sacramenti vnitatē, & innuit Syndonem, qua Chriſti Corpus fuit inuolutū. Palla autem dicitur, eo quod palliat, vel abſcondit in ſe myſterium
b ſupradictum. Munditia pallę, & corporalis, ſiuè albedo deſignat munditiam mentis, quàm habere debet Corpus Domini ſumens. Sother Papa 22. *diſt. ſacratas*, ſtatuit, ne fœminæ ſacratæ, vel moniales ſacra vaſa, puta Calicem, vel patenam, vel ſacras pallas, & corporalia tāgant. Ipſæ tamen huiuſmodi ornamenta Altaris, & miniſtrorum, facere poſſunt, exemplo Mariæ, quæ talia fecit, & texuit in vſum Tabernaculi fœderis.

CAP. XXIX.

De Oblatione Sacerdotis, & officio Miniſtrorum circa illam.

HIc ergo de triplici oblationis genere dicēdum eſt, ſcilicet Sacerdotis, miniſtrorum, & populi; Sacerdos
c itàque primò offert ſeipſum, (offerri debent, quæ ſunt Dei Deo, ideſt animæ habentes ſimilitudinem Dei impreſſam) deindè, quæ ſunt in ſacrificio neceſſaria, ſcilicet panem, & vinum aqua mixtum, & alia ſacrificio apta; Hoſtia autem formatur rotunda, quia *Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo, Pſal.* 23.*v.* 1.8.*diſt.quo iure*; vt ipſa ſui forma ſignificet il-

illum, qui principio caret, & fine, quamuis ipſe ſit *Alpha,& Omega, principium, & finis, Apocal.*1.Rurſus, cum figura rotunda formetur à puncto ad punctum, per hoc innuitur, quod ab ipſo ſunt omnia,& ad ipſum omnia retorquentur,vndè dicitur *Pſal.*88.*Veritas tua, in circuitu tuo.*

Cæterùm duo ſunt, quæ offeruntur,donum ſcilicet,& ſacrificium;donum dicitur quidquid auro,vel argẽto,vel qualibet alia ſpecie offertur; aliud tamen eſt donum,& aliud munus, prout dicetur in prima particula Canonis ſuper verba, *Hæc dona,hæc munera.*

Sacrificium eſt victima, & quæcumque in ara cremantur, ſeù ponuntur, in ſignum ſacrũ, prece myſtica conſecranda. Hoſtiæ apud veteres dicebantur ſacrificia, quæ fiebãt priuſquam contra hoſtes pergerent; victima verò, ſacrificia, quæ poſt victoriam, de victis hoſtibus immolabant; vel victima dicebatur,quia vincta ducebatur ad aras, holocauſtum illud eſt, vbi totum, quod offerebatur,puta Agnus, vel Vitulus in Altari,igne conſumebatur. Olon enim Græcè, dicitur totũ, cauſtos, incenſio.

Porrò circa oblationem Sacerdotis, miniſtri ſua officia exequuntur; Diaconus enim ſuper Altare explicat, & corporale diſponit, in quo oſtenditur,quod euangelium, Chri- f
ſtum, ſeu Corpus Chriſti, immò totam ſuam humanitatem plenè deſcribit. Corporale enim Corpus Chriſti ſignifi-
d cat; deindè Subdiaconus inprimis Calicem præparat panem,& vinum diſponens,à Sacerdote poſtmodum conſecrãda: quia nimirum lex,quæ per Subdiaconum hic congruè deſignatur,huiuſmodi oblationis myſterium præſignauit, quando *Geneſ.* 14. *v.* 15. Melchiſe-
e dech obtulit panem de frumẽto,& vinũ de racemis, à Chriſto poſtmodum exhibenda, & in veritate conſecranda; oblatio panis,& vini, ſignificat pia deſideria fidelium,ſiuè pro immolatione,ſiuè pro hoſtia viua, nàm in pane, Corpus Chriſti, in vino,sãguis eius,& in aqua, populus repræſentantur, & dicitur panis,à pan,quod eſt totum,quoniam hic, & in futuro eſt tota vita noſtra; Vinum verò à vite,cui Dominus in euãgelio ſe comparat;aqua autem

ab æqualitate, quia per hoc Sacramentum æquari Angelis debemus. Licet autem duæ ſint ſpecies, non tamen duo ſunt ſacrificia, vel Sacramenta, vnitas enim Verbi, ſiuè Chriſti, vnitatẽ efficit ſacrificij, & Sacramẽti; hoc eſt enim illud palliũ, quod Noè filij contexerũt, *Geneſ.9. v.28.* quo Chriſtiani, ebrietatẽ Saluatoris, ideſt paſſionem, ſub ſacrificio tegunt.

Dicto à Sacerdote *Oremus*; Diaconus, & Subdiaconus ac- i
g cedunt ad Altare in cornu epiſtolæ; Diaconus amouet calicem, ſi eſt in Altari, vel ſi eſt in credentia, vt magis decet, accipit illum de manu Subdiaconi, qui illum cum patena, & hoſtia, coopertum palla, & velo ſibi à collo pendente, manu ſiniſtra tenens, & alteram manum ſuperponens, ne aliquid decidat, de credentia detulit, comitatus ab Acolytho ampullas vini, & aquæ portante, &c. per quod innuitur, quod materia ſacrificij nouæ legis ſub velamine, in veteri lege includebatur.

Subſequenter Diaconus ipſe patenam cum hoſtia, ex in-
h ſtitutione Concilij Anchirit. *l. d. Presbyteros 25. diſt. perlectis.* Pontifici, vel Sacerdoti repræſentat, ad notandum, quod per euangelicam traditionem, quã Diaconus præfigurat, ad Altare, ideſt ad ſolemnem Ritum peruenit Eccleſia: quia lex, quę per Subdiaconum ſignatur, hoc noſtrum ſalutis ſacrificium ſolummodò præfigurauit, vt præmiſſum eſt.

Sacerdos, vel Pontifex ipſe ſolus offerens hoſtiam, dicit.

Suſcipe Sancte Pater omnipotens æternæ Deus hanc immaculatam hoſtiam, quàm ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo, viuo, & vero pro innumerabilibus peccatis, & offentionibus, & negligentijs meis, & pro omnibus circumſtantibus; ſed & pro omnibus fidelibus Chriſtianis, viuis, atque defunctis; vt mihi, & illis proficiat ad ſalutem in vitam æternam. Amen.

Deindè faciens crucem, cum eadem patena, deponit hoſtiam ſuper corporale. Diaconus infundit vinum, Subdiaconus aquam in calice, quàm Sacerdos
K *benedicit ✝ dicens.*

Deus, qui humanæ ſubſtantię dignitatem mirabiliter condidiſti, & mirabilius reformaſti: da nobis per huius aquæ, et

vini myſterium, eius Diuinitatis eſſe conſortes, qui humanitatis noſtræ fieri dignatus eſt particeps Ieſus Chriſtus filius tuus Dominus noſter, qui tecũ viuit, & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus; per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

In Miſſis pro defunctis di- l
citur prædicta oratio; ſed aqua nõ benedicitur, quia in ipſis ceſſant ſolemnitates.

In Miſſis priuatis aquam, & vinum Sacerdos infundit in calicem; & tàm in ſolemni, quàm in priuata Miſſa accipiens calicem in manibus offert, dicens.

Offerimus tibi Domine cali- m
cem ſalutaris, tuam deprecantes clementiam: vt in conſpectu Diuinæ Maieſtatis tuæ, pro noſtra, & totius Mundi ſalute cum odore ſuauitatis aſcendat. Amen.

Deindè facit ſignum crucis cum calice, & illum ponit ſuper corporale. Diaconus verò palla eum cooperit. Sic Ordo Rom.

Sacerdos hoſtiam collocat n
ſuper Altare, calicem cum vino, & aqua ipſe Diaconus retinet, circa quod notandum eſt, quod hoſtia ſignat Corpus Chriſti, non ſanguinem, Sacerdos Chriſtum; Solus ergo Sacerdos abſque cuiuſque adiutorio illam offert, dicens: *Suſcipe Sancte Pater, &c.* quia Chriſtus in Ara Crucis ſeipsũ obtulit Deo Patri, & illam in Altari ſuper corporale, quaſi ſupra Syndonem mundam diſponit, innuens, quod ipſemet Chriſtus hoc ſacrificium inſtituit, & Eccleſiæ tradidit obſeruandum, dicens *Luc. 22. v. 19. Hoc eſt Corpus meum, hoc facite in meam commemorationem*; diſponit etiam, & collocat hoſtiam cum ſigno crucis, quia ſicut Chriſti oblatio in Cruce facta fuit, ſic & oblatio Sacerdotis, quæ in illius memoriam fit, cum ſigno crucis fieri debet; collocat etiam directè illam ſuper crucem in conſecratione Altaris cum Chryſmate facta, quia Chriſtus carnem ſuam in cruce afflixit.

Vinum in calice, ſanguinẽ
Chriſti deſignat, & ideò ſolus o
Diaconus abſque Sacerdote, qui Chriſtum præfigurat, calicem tenet, ad notandum, quod in Chriſti immolatione, ſanguis fuit à corpore ſeparatus; non tamen ſolus, ſed vna cum Sacerdote illum offert, dicens: *Offerimus, &c.* ex quo cla-

clarè deducitur, quod ambo, pariter debent ipſa verba proferre : Diaconus ergo vna cum Sacerdote calicem offert, quia nõ ſolùm Chriſtus ſeipſum Deo Patri obtulit; Verũ etiam per euangelium ſuum, cuius Diaconus eſt figura, & baiulus, huius ſacrificij Ritum inſtituit, & Eccleſiæ commendauit, quàm inſtitutionem, & commendationem ipſe Diaconus, tanquam prędicator euangelij, annunciare, & manifeſtare debet, ex ſuo officio, ab iſta militanti Eccleſia obſeruandam, ideòque participare debet cum Sacerdote in calice offerendo, non tamen in conſecrando, quod ſolius eſt Sacerdotis.

Commiſtio aquę vino in calice, ſignificat vnionem populi
p cum Chriſto, cuius ſanguine redimitur, quæ commiſtio ex
inſtitutione Alexandri Papæ q
Primi facta eſt, ad notandum, quod de latere Chriſti exiuit ſanguis, & aqua, quatenus nec Chriſtus ſit ſine populo, nec populus ſine Chriſto. Cum ergo aqua vino miſcetur, tunc populus Chriſto adunatur, *de conſec. diſt. 2. cum omne propè finem*. hoc quoque myſterium, lex moſayca præfigurauit, ſicut Apoſtolus exponit dicens, 1. *Cor. c. 10. v. 4. Bibebant de ſpiritali, conſequente eos Petra; Petra autem erat Chriſtus, de conſec. diſt. 2. reuera*. Quapropter Sacerdos in calice aquam infundit, vt ſicut aqua nõ ſeparatur à vino, ſic populus non ſeparatur à Chriſto. Item, vt diuinitas, & humanitas in vna perſona coniunctæ eſſe intelligatur, *de conſec. diſt. 2. cap. 3. 4. & 5.* Nàm per vinum diuinitas, per aquam humanitas intelligitur. Qui ergo in Altaris officio vinum ſine aqua offert, quantum in ſe eſt, diuinitatem ab humanitate ſeparat. Sanè Sacerdos, vel miniſter miſſurus vinum, & aquam in calicem, priùs effudit modicũ in terram, non ſolùm, vt meatus, ſiuè locus vaſis, per quem effluere debet, mundetur, & ſiquidem in ſuperficie vini, vel aquę emittatur aliqua immunditia; verum etiam ad oſtendendum, quod ſanguis, & aqua ex latere Chriſti, vſque in terram fluxerunt, ad quod myſterium ſe præparat peragendum; Eſt autem plus de vino, quàm de aqua ponendum, arbitrio Sacerdotis, ità tamen quod

aqua à vino aſſorbeatur, & vini ſaporem retineat. *extra de celebrat. Miſſæ, pernicioſus*; & hoc in ſignum, quod Eccleſia debet incorporari Chriſto, nō r
Chriſtus Eccleſiæ. Prædictus Alexandet Papa ſtatuit, oblationem ex azimo, ac in modica quantitate fieri, dicens: *Hæc oblatio quantò rarior, tantò pretioſior.* Ponitur hoſtia inter Sacerdotem, & calicem. Primò ad notandum, quod Chriſtus eſt mediator Dei, & hominum, 10. *diſt. quoniam*, & ſecundùm s
hoc, Sacerdos Deum Patrem, hoſtia Chriſtum, aqua in calice populum ſignificat, quia nō niſi Chriſto mediante, ad reſurrectionis gaudium poſſumus peruenire. Secundò propinquior eſt Sacerdoti hoſtia, quàm calix, quia priùs conſecrata legitur, quàm ſanguis, & Apoſtolis priùs data.

Sacerdos accipiens patenā cum hoſtia, format ſignum crucis cum ipſa, ſimiliter accipiēdo calicem cum vino. Inſuper vinum, & aquam, & incenſum t
benedicendo, ſemper efficit crucis ſignaculum, iuxtà ordinem Rubricæ, vt per crucis virtutem, omnis conatus diabolicæ fraudis, & malignitatis effugiat, ne cōtra Sacerdotem, vel ſacrificium aliquo modo præualeat, D. Bonauēt. inquit.

Hoſtia iuxtà calicem locatur: quia Chriſtus pro Eccleſia immolatur. Hoſtia etiam de multis granis conficitur, cum v
aqua adunatur. Similiter & vinum ex multis racemis liquatur, per quæ datur intelligi, quod Chriſtus cum multis membris, per aquæ Baptiſmum, ſibi coniunctis, vnum corpus efficitur; Vndè Apoſtolus ſuper hæc verba, & erunt duo in carne vna, inquit, Sacramentum hoc magnum eſt, ego dico in Chriſto, & Eccleſia.

In ampullis, in quibus vinū, & aqua continentur pro ſacrificio; ſpiritualiter conſiderañ- x
dum eſt, quod in parua ſubſtātia, incomprehenſibilia continentur, & infinita Sacramenta. Dicitur autem ampulla, quaſi ampla bulla, ſignificans hominum cor, quod amplum debet eſſe latitudine charitatis; rurſus ampullæ, ideſt vaſa ad offerendum vinum, ſunt Prædicatores mordaciter increpantes, vel quilibet Spiritus Sācti gratia inebriati, & alios inebriantes; Idriæ verò, ideſt aquatica vaſa, ſunt Doctores aqua ſapien-

pientiæ ſalutaris potati, & vitalibus aquis repleti.

§. I.

De Miſteryſ Patenæ.

PAtena, quæ à patendo dicitur, cor latum, & amplum ſignificat; ſuper hanc pa-
y tenam, ideſt ſuper latitudinem charitatis, ſacrificium iuſtitiæ debet offerri, vt holocauſtum animæ pingue fiat, *Pſ.* 19. ideò ſuper patenam offertur hoſtia, & poſt orationem Dominicam reponitur Corpus Chriſti, quia cor hominis rectum, & diuina gratia formatum, ſedes Chriſti eſt, & quodammodò dulce reclinatorium eius euadit. Hãc cordis latitudinem habebant Apoſtoli; cum Petrus dicebat, *Matth.* 26. *v.* 35. *Et ſi oporꝛtuerit me mori tecum, non te negabo; Similiter, & omnes Diſcipuli dixerũt.* Sed latitudo cordis ab eis aufugit, & latuit, cũ omnes, Magiſtro relicto, fugerunt, & latuerunt; ad quod ſi-
z gnificandum, poſt ſuſceptam indè oblatam, Sacerdos abſcõdit ſub corporali patenam, vel eam, ab Altari remotam, Subdiaconus retrò continet inuolutam; per hoc ergo Diſcipulorum fuga, vel latibulum, vel infidelitatis excœcatio ſignificatur, quia dum verum ſacrificium offerebatur, Chriſto relicto, fugerunt, & latuerunt, ſicut eis ipſe prædixerat: *Omnes vos ſcandalũ patiemini in me in iſta nocte, Matth.* 26. *v.* 31. aliquanta particula patenæ non abſconditur ſub corporali, vt
a oſtendatur, quod Beata Virgo, & Beatus Ioannes Euangeliſta non fugerunt, nec latuerunt, & ideò Sacerdos dicturus, *Pax Domini*, quaſi Dominicę reſurrectionis annunciaturus elogium, reſumit patenam: quia vbi erant Diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Ieſus, & ſtans in medio, dixit, *Pax vobis, Ioann.* 20. *ver.* 19. reſumens oues, quæ trepidantes aufugerant. Rurſus patena, propter ſui formam, diui-
b nitatem, quæ initio caret, & fine, ſignificat; vſque ad Dominicam orationẽ abſcondita tenetur, ad deſignandum, quod diuinitas nobis abſcondita, & velata eſt in hoc mundo; ſed quando in oratione Dominica dicitur à Sacerdote, *Panem noſtrum, &c.* manifeſtatur, ad oſtendendum, quod quando

ad panem noſtrum,qui in Cœlis eſt peruenìemus, tunc diuinitas,quæ in hoc mundo eſt abſcōdita,& velata,manifeſtabit ſe nobis, & videbimus ipſum, ſicuti eſt,per ſæcula ſæculorum, quod in rotunditate patenæ æternitatem ſignificāte,quæ principio caret, & fine, manifeſtè intelligitur. Diaconus tradit Subdiacòno patenā tenēdam,ſignificat,quod Chriſtus contulit Diſcipulis poteſtatem prædicandi Regnum Dei. Dextera manu, & velata patena tenetur à Subdiacono, quia dextera, vitam æternam ſignificat, & patena rotunda, æternitatem, velata tenetur, quia myſteria eius adhùc nobis abſconduntur; vel quia latibulum Diſcipulorum, propè paſſionem, innuit, vt dictum eſt.

§. II.

De Oblationibus Pepuli.

CIrca oblationem populi notandum eſt, quod populus Deo offerre debet,iuxtà illud: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus, Exod.23.verſ.15.de conſec.diſt.1.omnis*. Nàm in veteri Teſtamento populus fidelis ter in anno conueniebat Ieruſalem ad offerendum Domino, ſcilicet in Paſcha, Pentecoſte,& Scenophegia; & offerebant ſacrificium legale, & voluntarium, pro peccato, & pro gratiarum actione, dona, vota,& holocauſta,ſicut innuitur *Deut.cap.*12. Sacrificium legale ſunt decimæ, & primitiæ,vel ea,quæ lex iuſſit offerri. Voluntarium eſt, quod ſpontè pro peccato, & pro legis tranſgreſſione offerebatur. dona ſunt, quæ in Templi ornatum; Vota, quæ pro periculis,infirmitatis, belli, &c. offerebantur. de holocauſto iàm dictum eſt in principio huius capitis, vbi de victima, & holocauſto. Vndè dicitur in *Paralip.2.c.31*. quod obtulerunt Principes pro votis, pro ſpōtaneis, pro peccato, pro Regno, proSāctuario,pro Iuda,&c.Ritus igitur Synagogæ trāſiuit in Religionem Eccleſię,& ſacrificia carnalis populi mutata ſunt in obſeruantiam populi ſpiritualis; nàm ſicut populus ille Moyſi deſcendenti de Mōte, diuerſa dona ad faciendum Tabernaculum offerebat, ſic Epiſcopo venienti de pulpito, chri-

c

d

chriſtiani deuotas offerunt oblationes; Alius offert aurum, imitando Magos, qui aurum Domino obtulerunt; Alius argentum, ſequutus illos, qui pecuniam gazophilatio poſuerunt; Alius verò aliquid de ſua ſubſtantia, vt aſſocietur illis, qui per Paulum, & Barnabã neceſſaria pauperibus tranſtulerunt, nec eſt curandum, quod quantitas, vel ſpecies offeratur; ſed potiùs mens attenditur offerentis. Vndè *Prou.* 3. *Honora Dominum de tua ſubſtantia.* Et *Tobiæ* 4. *Ex tua ſubſtantia fac eleemoſynas*. Nã inquit Gregorius, *Nec offerens à muneribus, ſed munera ab offerente placent.*

Offerunt quoque legale ſa-
e criſicium in decimis, & primitijs; Voluntarium in ſpontaneis oblationibus; pro peccato, dum pęnitentias eleemoſynis redimunt; pro gratiarum actione, quãdo pro collatis à Deo beneficijs aliquid offerunt; dona, dum in ędificia Ecclesiarum, vel vtẽſilia bona ſua expẽdunt. Vota, dum quod in infirmitatibus, vel in periculis vouerunt, exoluunt. quæ omnia non ad obſeruantiam Rituum legalium à Chriſti fidelibus exercentur; ſed propter plenitudinem charitatis, & gratiæ, quæ à Chriſto Eccleſiæ ſuæ data eſt, adimplentur. Holocauſtum offerunt, qui ſæculum derelinquũt, & ſua pauperibus diſtribuunt. offerens autem manum Sacerdotis oſculatur, per quod fides cum opere deſignatur. Offerentes panem, & vinum, ſignificant
f Diſcipulos, qui pręueniunt parare neceſſaria Paſchæ. Verùm Clerici, & Monachi, etiam adminiſtrationem habentes, non offerunt, niſi in officio mortuorum, & in noua celebratione Sacerdotis, & in quibuſdam præcipuis ſolemnitatibus, *de conſec. diſt.* 1. *alia*. Cum enim ipſi de oblationibus viuant, ac ſua Deo oblati ſunt, non tenẽtur offerre. viri antè mulieres offerunt; ipſi enim fortes Chriſto deſignantur, ſcilicet Martyres, qui in primitiua Eccleſia plures contumelias paſſi, Chriſto victimam obtulerunt, dum
g pro eo occubuerunt: Deindè mulieres, quæ cum fragiliores ſint, deſignantur Confeſſores, qui tempore pacis, Domino laudis hoſtias obtulerunt; Prętereà vir, caput eſt mulieris, & ideò à capite ratio eſt reddenda,

da, ff. *de edendo, argentarius.* Subdiaconi autem, vel Acolythi recipiunt oblationes, quæ ad manum Epiſcopi deferuntur, ad notandum, quod ipſe non ſua, ſed aliena manu debet temporalia miniſtrare. h

Romanus Pontifex nullam oblationem manibus tãgit, niſi illam pro defunctis, (quàm ideò manibus accipit, vt ſigillet errorem Dogmatizantium, eleemoſynas non prodeſſe defunctis) & oblationem panis, quem tangit, tum propter reuerentiam ſacrificij, quod ex pane conficitur, tum quia eſt Vicarius eius, qui de ſe dicit: *Ego ſum panis vitæ, Io:6.v.35.* Cæteras oblationes ad pedes accipit, propter illud, quod in *Actibus Apoſtolorum 4. v. 34.* habetur: *Quoniam offerebant prætia eorum, quę vendebantur, & ponebant antè pedes Apoſtolorum.* Sacerdos oblationes manu tangit, iuxtà illud *Leuit. 1. v. 4. Ponetque manum ſuper caput hoſtiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem proficiens.* Pro defunctis panis, & vinum offertur, iuxtà illud *Tobiæ 4. v. 18. Panem tuũ, & vinũ tuum ſuper ſepulturam iuſti cõſtitue*, ideſt diſtribue; & pecuniam, ſiuè argentum, exemplo Iudæ Machabæi, qui miſit offerri duodecim millia dragmas argenti pro peccatis mortuorum, 2. *Machab. cap. 12.* i k

In nonnullis locis, Parochiani in die Natalis Domini offerunt panes Sacerdotibus, quos Kalendarios vocant, propter illud, quod legitur *Leuit. 22. Offeretis panes duos Sacerdoti, qui cedunt in vſum eius, & vocabitis hunc diem celeberrimum, & ſanctiſſimum.* ſuſceptis itàque populi oblationibus, & choro offertorium cãtante, Epiſcopus, vel Sacerdos ad Altare reuertitur: quia Chriſtus ſuſceptis votis fidelium, cantantibus Turbis, *Oſanna in excelſis*, in proximo immolandus, intrauit in Templum, vt habetur *Matt. 21.* l

CAP. XXX.

De ſecunda Thurificatione.

OBlatione myſtica ſuſcepta, ſtatim adoletur incẽſum, per quod illud innuitur: quod à *Ioan. cap. 12.* dicitur: *Maria ergo accepit libram vnguenti Nardi piſtici prætioſi, & vnxit pedes Ieſu; & impleta eſt*

eſt domus, ex odore vnguenti. Sacerdos in modum crucis ter
m ſuperducit, & ter circumducit incenſum ſuper ſacrificium, ideſt oblata, vt & crucis ſignaculo, & thuris incenſo diabolicæ fraudis malignitas extricetur, & effugatur; quod verò tertiò ſuperducit, et circumducit incenſum, deſignat, quod Maria ter exhibuit, et adhibuit vnguentum circa corpus Ieſu. Primò enim vnxit pedes illius in domo Simonis Phariſæi, *Lucæ 7. v. 37.* Secundò cum in domoSimonis leproſi ſuper caput eius vnguentum effudit, *Ioann. 12. v. 3.* Tertiò quando emit aromata, vt veniens vngeret Ieſum, iàm poſitum in monumento, *Mar. 16. v. 1. Voluntas enim reputatur pro facto 17. q. 1. & ſi ergo.* Cum per ipſam non ſteterit, quominùs expleuerit, quod incepit. Quod verò poſtmodum, vndique to-
n tum incenſatur Altare, deſignat, quod poſt, factum illud totam repleuit Eccleſiam, ſicut Dominus ipſe teſtatur: *Amen, amen dico vobis. Quod vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium, in toto Mundo dicetur, quod hæc fecit in memoriam eius, Matth. 26. v. 13.*

Poteſt etiam dici, quod Altare thurificatur in figuram Angeli, qui ſtetit iuxtà Aram Templi habens thuribulum
o in manu ſua, de quo fumus aromatum in conſpectu Domini aſcendebat, *Apocal. 8. ver. 3.* Chriſtus enim magni conſilij Angelus carnem immaculatã igne Sancti Spiritus plenam, pro nobis in AraCrucis obtulit Domino, in odorem ſuauitatis: fumus aromatum ſunt orationes Sanctorum, quæ per ardorem charitatis, ex Paſſione Domini propagatæ, ad Deum Patrem aſcendunt, & nos ad coronam Trinitatis prouehũt; ideòque Sacerdos thurificat oblata, in modum crucis, & coronæ, & thurificans Altare, ait: *Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo, Pſal. 140. v. 2.* moraliter
p incenſum deuotionis adolendum eſt thuribulo cordis, & igne charitatis, vt odorem ſuauitatis emittat, & tàm nos, quàm oblatio noſtra ſimus bonus odor Deo, hoc enim incẽſum Sacerdos accipit (ideſt Chriſtus acceptat) & incenſat, ex eo, ſacrificium, & Altare (ideſt Deo Patri offert) poteſt etiam dici, quod thuribulum,

quod oblationi Sacerdos ſuperponit,ſignificat Chriſtum, per quem petit, vt ſibi propitietur Deus. Sanè omnibus defertur incenſum, vt oſtendatur, quod omnia à Sacerdote facta pertinent ad omnes. in Concilio Rothomagenſi in Bruchardo *lib. 3. c.vt tempore*, ità legitur: *in tempore quo legitur Euangelium,finito Euangelio, ſuper oblationem incenſum in mortem videlicet Redemptoris noſtri, poni decreuimus*, Leo etiam Papa Primus hoc decreuit.

D. Bonauentura: *In feſtis prȩcipuis,Calix,& hoſtia, ſimùl & Altare, cum thuribulo incẽſantur, per quod ſignatur,quod fidelis populus vna cum Sacerdote,orationes ſingulas, vel ſpeciales ad Sanctos facere debent, quorum ſolemnitatem ſpecialiter peragunt. Sacerdotes enim in ſolemnitatibus,collectas,præfationes,communicantes, in Canone mutare ſolent; ſicut populi circumſtantes ſpeciales orationes Deo, & Sanctis mittere debent, de his dicitur in perſona Eccleſiæ Pſal.* 140. *Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* De thurificatione Altaris, et Chori dictum eſt etiam cap. 10.

§. Vnicum.

De manuum ablutione.

PEracta thurificatione,lauat manus Sacerdos ad dextrum cornu Altaris: nàm dextera proſperitatem deſignat; ſiniſtra aduerſitatem: quia igitur pluries peccatur in proſperis, quàm in aduerſis, iuxtà illud *Pſal.90.Cadent à latere tuo mille*, ideſt in aduerſis, *& decẽ millia à dextris tuis*,ideſt proſperis, meritò magis lauandũ eſt ad dexteram,quàm ad ſiniſtram. Sacerdos igitur hoſtiam oblaturus, lauat manus, ad ſignandum,quod lauare,ac mũdare debet conſciẽtiam lacrymis pœnitentiæ, & compunctionis, iuxtà illud *Lauabo per ſingulas noctes lectum meũ: lacrymis meis ſtratum meum rigabo, Pſal.6. v.7.* & ideò dicit, *Pſal.25.v.6.Lauabo inter innocentes manus meas*,ideſt opera, *& Iſa.1.v.16. Lauamini mundi eſtote*. Nàm & Chriſtus priuſquam verum, & vnicum ſacrificium in Ara Crucis offerret,in reſuſcitatione Lazari lacrymas miſeratus effudit, *Io:*

11.La-

11.Lauat etiam manus,ne reus
t ſit corporis, & ſanguinis Domini, iuxtà illud *Innocens ego sũ à ſanguine iuſti huius,Matt.* 27.*v.*24.et vt mundus ſit à terreno pane, iàm in populi oblatione recepto, vel à terreno deſiderio,&c.Diuus Bonauentura: *Sacerdos poſt incenſationem lauat manus, per quod intelligi datur, quod ſolum loti, ideſt baptizati intereſſe debent*
y *conſecrationi Corporis Chriſti.*

C A P. XXXI.

De inclinatione Sacerdotis, & oſculo Altaris; ac oratione ſecreta poſt primam oblationem.

ANtè, & poſt expletam Altaris,& oblatæ thurificationem, Sacerdos antè Altare ſe inclinat, & in prima inclinatione dicit.

In ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ſuſcipiamur à te Domine, & ſic fiat Sacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodiè, vt placeat tibi Domine Deus.

Verba enim hæc ſumuntur ex *cap.* 3.*Daniel.v.*40. quibus Sacerdos Diuinæ Maieſtatis beneuolentiam captare cupit, ideò inclinatus, humiliat ſe in
v contritione ſui cordis; Nàm Deus, *Qui in altis habitat, humilia reſpicit in Cœlo, & in terra, Pſal.*112.*v.*5. Conciliata, per humilitatem, Diuinæ Maieſtatis beneuolentia, ſubdit.

Veni ſanctificator omnipotens æterna Deus, & benedic ✝ hoc ſacrificium tuo ſancto nomini præparatum.

Benedictionem Dei omnipotentis ſuper oblata petit, & ipſemet, crucis ſignum formā-
x do, benedicit, tanquam miniſter eius, cuius vicem gerit, nā in ſua ordinatione hanc à Deo accepit poteſtatem, vt quidquid benedicit, benedictionibus repleatur. Signum crucis format, vel quia ſemper in benedictionibus crucis ſignum ab ipſo formatur; vel quia per illud,omnis malignitas diabolicæ fraudis à pane, & vino arcetur,ſicut dictum eſt ſuprà in principio capitis præcedentis.

In ſecunda verò inclinatione, quam facit Sacerdos, poſt thurificationem,dicit.

Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quàm tibi offerimus ob memoriam Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Ieſu

Chriſti Domini noſtri, & in honorem Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & B. Ioannis Baptiſtæ, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & iſtorum, & omnium Sanctorum; vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem: & illi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Chriſtum, &c.

Oratio hæc habetur ab Eccleſia, in qua Sacerdos orat, vt Diuina Maieſtas dignetur acceptare oblationem ab ipſo factam panis, & vini in proximo, in corpus, & ſanguinẽ Chriſti conſecrandam, in honorem totius Curiæ triunphantis, & ſalutem totius Curiæ militantis.

Memorat in ea ſpecialiter Paſſionem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem Chriſti Domini, y
quia in Miſſa de his tribus myſterijs fit ſpecialis memoria, nàm Paſſionis mentio fit in toto Canone, imò in tota Miſſa; Reſurrectionis verò, quando particula hoſtiæ conſecratæ, in eius fractione, mergitur in ſanguinem, vbi ſignatur vnio animæ Chriſti ad corpus, in ipſius Reſurrectione, vt dicetur cap. 36. §. 5. de fractione hoſtiæ circa finem; ac denique poſt communionem memoratur Aſcenſio Chriſti; nàm penè omnia, quæ tunc peragũtur, myſteria Aſcenſionis innuunt, vt ſuo loco dicetur.

Beata Virgo Maria, Sanctus z
Ioannes Baptiſta, & Petrus, & Paulus Apoſtoli, ibi memorãtur, propter ſpecialem excellẽtiam meritorum, & quia in Curia triunphanti locum obtinẽt principalem inter omnes Sanctos.

Sequitur, & iſtorum, & omnium Sanctorum, videlicet illorum Sãctorum, quorum merita in illo die, vel miſſa, Eccle- a
ſia colit, vel celebrat, & omniũ aliorum Sanctorum, qui in Cęlo Dei viſione fruuntur, vt illis proficiat ſacrificium, ad honorem, & nobis, qui in Eccleſia militanti ſumus, ſit ad ſalutem mentis, & corporis, indè inquit Venerabilis Beda de Euchariſtia, cap. *Sacerdos non legitimè impeditus, celebrare omittens, quantùm in eo eſt, priuat Sanctam Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos ſubſidio, & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, & Eccleſiam ſpirituali Chriſti beneficio,*

cio, & ſeipſum medicina, & remedio.

Iſtæ duæ inclinationes Sacerdotis, innuunt in ipſo, du-
b plicem humilitatem, vt dignus inueniatur Dei Maieſtatem in proxima præfatione allóqui, exemplo Abrahæ Patriarchæ, qui Deum allocuturus, pro indulgentia peccantium in Sodomis, duplici humilitate imbutus; dixit *Geneſ. cap.* 18. *verſ.* 27. *Loquar ad Dominum meũ, cum ſim puluis, & cinis.*

Circa verò Chriſti Paſſionẽ, prima inclinatio, quæ fit antè
c thurificationem, oſtendit manſuetudinem Chriſti in opprobrijs, à Iudæis acceptis. Poſterior autem ſignificat Chriſti manſuetudinem in tranquilla imperturbatione ſui cordis, in omnibus, quæ vidit, et audiuit contra ſeipſum, factis, et dictis à perfidis Miniſtris, Iudicibus, et Pontificibus, vt dictum eſt ſuprà cap. 7. §. 1. de inclinatione Sacerdotis.

Poſteà verò ſe erigit Sacerdos, et oſculatur Altare, ad no-
d tandum, quod per Paſſionem Chriſti, populus liberatus eſt, et Deo Patri recõciliatus. Vndè Apoſtolus *Epheſ.* 2. *verſ.* 15. *Faciens pacem; & reconciliet ambos in vno corpore Deo per Crucem.*

Conſequenter Sacramentũ incepturus, orat primò pro ſe, deindè pro populo, et voce aliquantulum eleuata, vt oratio
c omnium auxilietur ei, quaſi nõ præſumens, quod ſolus poſſit tãtùm myſterium exequi, monet illum, dicens: *Orate fratres, vt meum, ac veſtrum ſacrificiũ acceptabile fiat, &c.* in quo ſignatur, quod Chriſtus Diſcipulis dixit. *Orate, ne intretis in tentationem, Luc.* 22. populus reſpondet, vel miniſter in perſonam populi: *Suſcipiat Dominus ſacrificium, &c.* Debemus enim inuicem orare, vt ſaluemur, *Iacob.* 5. Orauit enim Chriſtus primum pro ſe: *Pater,* inquit, *venit hora, clarifica filiũ tuum, vt filius tuus clarificet te:* Deindè pro populo, dicens: *Pater Sancte ſerua eos, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos, Ioann.* 17. *extra de ſumma Trinitate, cap.* 2. dicens *Orate fratres,* ad populum ſe conuertit Sacerdos, quia ipſum diſtinctè alloquitur, ſed dicens, *Oremus;* poſt *Dominus vobiſcũ,* ſe ad Altare conuertit: quia tunc non diſtinctè, ſed per modum conceptionis ad deuotio-

tionem ipſum excitat . dicit orationem, quàm intermiſerat ab offertorio citrà,quando dixit *Oremus*,ad notãdum, quod Chriſtus iterum rediјt Ieroſolymam. ad domum orationis, quàm ad tempus deſeruerat,cũ ſeceſſerat in Ephrem , *Ioann.* 11. *v.*54. *Luc.*19. *v.* 45. inſtat enim Sacerdos orationibus, ne indignus inueniatur, vt Oza , qui tetigit temerè Arcam Domini, & percuſſus eſt à Domino, 2. *Reg.* 3. nec legitur aliud feciſſe , niſi vxorem propriam in nocte præcedenti cognouiſſe ; Bethſamitæ ſimiliter propter irreuerentiam circa Arcam adhibitam,percuſſi ſunt de populo ſeptuaginta viri ; de plebe verò quinquaginta millia, 1.*Reg.cap.*6. prætioſa Arca eſt calix Domini.Deindè orat voce demiſſa, ad excitandam deuotionem, quia Dominus eſt elongatus à Diſcipulis,quantum continet iactus lapidis, vt oraret,*Luc.*22.*verſ.*41.Inſuper dicitur oratio in ſecreto : quia Chriſtus poſt ſuſcitationem Lazari, ſe abſcondit in Ciuitatem Ephrem, *Ioann.* 11.Nàm Iudæi quęrebant eum ad mortem , ideò tacuit à prædicatione , & miraculorum operatione , vſque in Sabbatum in ramis , poſteà venit domum

f Simonis leproſi,& tunc prędicauit apertè, ad quod deſignãdũ Sacerdos in fine ſecretę eleuat vocem , iterum dicens palàm : *Per omnia ſæcula ſæculorum*. Et quia quærit aſſenſum populi , & confirmationem omnium,quę ſecretè dixerat, nàm eius legatus eſt , ideò populus h

aſſentiens voci eius,dicit *Amen*, quia ſæculum, per ipſum creatum eſt ; adhuc dicturus *Per omnia ſæcula,&c.* Ponit manus ſuper Altare, ad notandum , quod omnem cogitatum temporale deponit , & ſe totaliter Deo committit , immolationi dumtaxàt tota mente intendens . Secundò manus eleuat , dicendo: *Surſum corda*.

g quod eleuationem cordis , & i

boni operis exercitium deſignat ; & quia de operatione bona gratias referre debemus ei , qui nobis incipit opus bonum,vt perficiat,ſicut dicit Apoſtolus; idcircò manus iungit Sacerdos,dicẽdo:*Gratias agamus Domino Deo noſtro.*

CAp.

CAP. XXXII.

De Præfatione.

IN præfationibus omnibus, conueniunt homines, & Angeli, ad concinnendum prȩconia Regis; Vndè, & alta, & delectabili voce cantãtur, quia in eis Angelorum prȩconia repræſentantur; & coram Altari, à ſolo Sacerdote, iuxtà illud *Apocal.* 14. *verſ.* 3. *Cantabunt, quaſi Canticum nouum, antè ſedem, & nemo poterat dicere Canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra.* hæc
K oratio dicitur præfatio, quia præcedit ſacrificium principale; eſt enim quaſi prȩloquutio, ideſt ad miniſterium præparatio; præloquutio videlicet totius orationis ſequuturæ à *Te igitur*, vſque ad *Agnus Dei*; in hac enim præloquitur Sacerdos gratias, & laudes Deo, vt meliùs ad conſecrandum corpus Chriſti valeat peruenire: Vocatur etiã præparatio, quia præparat mentes fidelium ad futuræ reuerentiam conſecrationis; Dicitur etiam hymnus Angelicus, quia Angelicis laudibus eſt plenus; Verumtamē, ſacrificium vocatur in ſecretella, oblatio; ſed à *Dominus vobiſcum*, vſque ad *Sanctus*, vocatur hymnus. Sacerdos alta voce dicit, *Per omnia ſæcula, &c.* quod quidem eſt finis ora-
l tionis, & initium præfationis, per quod Sacerdos inſinuat, quod Chriſtus eſt lapis angularis, qui facit vtraque vnum, Iudæos continens, & Gentiles, vt ſit *Vnum Ouile, & vnus Paſtor*, *Ioann.* 10. dicturus ergo Sacerdos rem attentione digniſſimam, ſalutat populum dicens, *Dominus vobiſcum*, optans nos tales exiſtere, cum quibus Dominus manere di-
m gnetur, & illud nobiſcum celebrare conuiuium. Populus reſpondet, *Et cum ſpiritu tuo*, & ſic mutuo pro ſe orant: Nàm in veteri Teſtamento, 2. *Machab.* 1. *verſ.* 23. dicitur: *Orationes autem faciebant omnes Sacerdotes, dum conſumaretur ſacrificium. Ionatha inchoante, cæteris autem reſpondentibus.* Deindè Sacerdos eleuans manus, propter rationes ſupradictas in titulo de oratione, & in fine cap. prȩcedentis, dicit *Surſum corda* (vt incitet fideles ad deuotionem) ideſt in cœleſtibus,

bus,non in terrenis;chorus reſpondet,*Habemus ad Dominũ*, ideſt habere debemus ; Nàm tunc plebs ſancta nihil quàm Dominũ cogitare debet : *Gratias agamus Domino Deo noſtro*, quia pro omnibus beneficijs,quæ nobis contulit, gratias referre debemus , chorus reſpondet:*Dignum,& iuſtum eſt* . Et quoniam gratias omnipotenti Deo referre debemus, ſequitur,*Per Chriſtum Dominũ noſtrum*, confitentes, & credẽtes,quod per Chriſtum, Maieſtatem eius laudant Angeli, &c. Hoc ſacræ confeſſionis præconium,ità rectè concludit Eccleſia,vt cum Angelis,& hominibus decantet hunc deuoti pectoris hymnum: *Sanctus,Sãctus,Sanctus Dominus Sabaoth, &c.*

Vel refertur præfatio ad illud *Matthæi 26. verſ. 30. Et hymno dicto exierunt in Montem Oliuarum* : ergo per verba illa *Dominus vobiſcum* oratio, quam pro Diſcipulis fecit accipitur: *Surſum corda*, aſſenſus ad Cœnaculum , *Gratias agamus Domino Deo noſtro* , gratiarum actio, quàm Chriſtus in Cœna , vel poſt Cœnam fecit . Chorus reſpondet , *Dignum , & iuſtum eſt*, dignum, quantum ad Deum: *Quia ipſe*
n *eſt Dominus Deus noſter*, iuſtum, quantum ad nos : *Quia nos ſumus populus eius, & oues paſuæ eius,Pſal.94.* Dignum quoque, & iuſtum eſt . quantum ad vtrumque, vt ſcilicet, populus ſimùl cum Sacerdote , gratias agat Deo , à quo omnia bona ſuſcepimus; ſubſequenter ſubiungit Sacerdos, *Verè dignũ,& iuſtũ eſt,æquũ,& ſalutare*,ſecũdũ Magiſtrũ Petrũ Antiſiodorẽſẽ, incipit hic præfatio, ideſt prologus , vel præloquurio ſequentis Canonis,captans Do- p
mini beneuolentiam , dicens : *Verè dignum,&c.* Dignũ, quia bonus eſt, iuſtum , quia beneficus,æquum, quia miſericors, ſalutare,quia ſalus; vel dignũ, quia nos mera voluntate feciſti: Iuſtum, quia nos pura miſericordia redemiſti, æquum,
o quia gratuite nos iuſtificas, ſalutare, ideſt ſalute plenum , nã perpetuò nos glorificas . *Nos tibi ſẽper,& vbiq; gratias agere*: quia,vt dicitur *Pſ.102.v.22. In omni loco Dominationis eius benedic anima mea Domino* . Et *Pſal.33.verſ.2.Benedicam Do-* q
minum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo . Sequitur.

Per

Per Chriſtum Dominum noſtrũ,
quia dicitur 1.*Io*:.2.*v*.1.*Aduo-
catum enim habemus apud Pa-*
r *trem Ieſum Chriſtum,iuſtum,*
*& ipſe eſt propitiatio pro pecca-
tis noſtris*. Et *Heb*.5.*v*.7.*Cum
clamore, & lacrymis offerens,
exauditus eſt pro ſua reueren-
tia*. Per eum ergo, quaſi per
mediatorem,laudes offerimus;
per eum, quaſi per Aduocatũ,
gratias exhibemus. *Per quem*
s *Maieſtatem,&c.*Maieſtas dici-
tur,quaſi maior ſtans, vel ma-
ior poteſtas, quia maior eſt
eius poteſtas,quàm hominum:
*Laudant Angeli,&c.*quia per
Chriſtum,per quem omnia fa-
t cta ſunt, Patrem laudant An-
geli, et adorant Dominatio-
nes: *Omnia per ipſum facta
ſunt, & ſine ipſo factum eſt ni-
hil.Ioann.*1. Et *Pſal*.32.*Verbo
Domini Cœli firmati ſunt*:cho-
ros Angelorum nominat, quia
Angelos huic officio non du-
bitatur adeſſe, & Eccleſia An-
gelis eſt aſſimilanda, adhoc,vt
placeat Deo:*Tremunt Poteſta-*
v *tes*; Vndè *Iob 26.verſ*.11.*Co-
lumnæ Cœli contremiſcunt, &
pauent ad nutum eius*; Treme-
re verò dicuntur,nõ metu for-
midinis,cum ſint perfectè Bea-
ti, ſed adminiſtrationis affectu,
vel obedientiæ famulatu, cum
ſecundùm Apoſtolum,*Hebr*.1.
v.14.*Omnes sũt adminiſtrato-
rij ſpiritus, in miniſteriũ miſſi,*
vel *Tremunt Poteſtates*; non
quia ordines Angelorum cor-
porales ſint; ſed ideò dicitur,
vt intelligamus omnia cœle-
ſtia,terreſtria, et infernalia ãtè
conſpectum Dominicæ Maie-
ſtàtis, tremere, atque timere
per reuerentiam, ſicut tremere
nos antè Dominos noſtros ſo-
lemus, & hoc proportionaliter
x intelligitur. Sequitur *Cœli Cœ-
lorumque, &c.* Per Cœlos,hic,
Throni accipiuntur, quia Do-
minus ait: *Cœlum mihi ſedes
eſt*, & dicuntur Cœli laudare
Deum: quia laudis materiam
præbent; Vndè Propheta *Pſal.*
148. *Cœli Cœlorum, & aquæ
omnes, quæ ſuper Cœlos ſunt,
laudent nomen Domini*. Cœli
quidem diuinæ iuſſioni obe-
diunt, quia ſe oſtendere ſere-
nos, & nebuloſos poteſtatem
y non habent, ſcilicet ex arbi-
trio. Verum cum ſint nouem
ordines Angelorum; quare nõ
omnes in præfatione nominã-
tur, nàm per Cœlos, Throni
accipiũtur, vt dictum eſt.Reſp.
per Diuum Gregorium ſuper
homiliam, *Erunt ſigna in Sole,*

&c. per virtutes Cœlorum,
omnes ordines Angelorum
compræhendi. Vndè *Pſal.* 32.
Verbo Domini Cœli firmati sũt,
& ſpiritu oris eius omnis virtus
eorum.

S. Dionyſius verò de cœle-
ſti Hyerarchia tres eſſe tra-
didit Hyerarchias Angelo- z
rum, tres ordines in ſingulis
ponens, vt ſimilitudo Trinita-
tis in eis inueniatur impreſſa;
dicitur hyerarchia ab hyrar,
quod eſt ſacrum, & archos,
quod eſt Principatus, ideſt ſa-
cer Principatus; ſunt enim tres
ordines ſuperiores, & princi-
pales, tres inferiores, & tres
medij. Superiores ſunt Sera-
phim, Cherubim, & Throni;
medij ſunt Dominationes,
Principatus, & Poteſtates. In-
feriores ſunt Virtutes Archã-
geli, & Angeli, de quorum ſin-
gulis aliquandò ſubtrahitur in
pręfatione, vt oſtendatur, quod
comparatione Trinitatis æter- a
næ, omnis alia Trinitas dimi-
nuta reperirur; *Nàm quis in*
nubibus æquabitur Domino;
Quis ſimilis erit Deo in filijs
Dei. Pſal. 88. Deus namque
duas edidit rationales creatu-
ras, Angelicam ſcilicet, & hu-
manam, quæ laudibus diuinis
inſiſterent, & ei gratiarum
redderent actiones, quas dum b
pari voto concelebrant, tan-
quam ſuperiores cum inferio-
ribus, corde, in cœleſti cythara
ſociantur, de qua *Apocal.* 14. *v.*
3. *Et audiui vocem cytharedo-*
rum cytharizantium in cytharis
ſuis, & cantabant quaſi Canti-
cum nouum. Ideò ſubiungitur.
Socia exultatione concelebrant,
quoniam omnes prędicti ordi-
nes, & etiam humana creatu-
ra Maieſtatem Dei Patris, per
Chriſtum, ſocia exultatione,
ideſt æqualiter, concelebrant; c
Supplici confeſſione, ideſt non
ſuperba pręſumptione, ſed hu-
mili laude, dicentes: *Sanctus,*
Sanctus, Sanctus, &c.

Gelaſius Papa tractus, hym-
nos, atq; pręfationes cõpoſuit,
iubilãti voce quidẽ, & nõ eli-
mato ſermone cantari iuſſit.
Pelagius Papa *de conſec. diſt.* 1. d
inuenimus, inquit: *Has nouem*
præfationes in ſacra Cathalogo
tãtũmodò recipiẽdas mãdamus,
vnã in Reſurrectione, & in albis
Paſchalibus, aliam in die Aſcẽ-
ſionis, tertiam in die Penteco-
ſtes, quartam in Natali Domi-
ni, quintam in Epiphania Do-
mini, ſextam de Apoſtolis, ſep-
timam de Sancta Trinitate,
octa-

octauam de Cruce, & nonam de ieiunio, in Quadrageſima tantummodò dicendam. Vrbanus quoque Papa 7. *diſt. Sanctorum.* adidit decimam de Beata Virgine Maria, &c. ex conſuetudine Eccleſiæ dicitur vndecima præfatio, quæ communis appellatur, ideſt ad omnes Miſſas dicitur, quæ particularem præfationem non habent.

CAP. XXXIII.

De Cantico, ſiuè Hymno Seraphinorum Sanctus, &c.

SAncta Eccleſia Angelis, & Archangelis, cæteriſque
c ordinibus ſpirituum Beatorũ, de quibus mentio fit in præfatione, cupiens aſſociari; ſtatim poſt illam, Angelico cantui cõformatur, cantans hymnum illum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt Cœli, & terra gloria tua Hoſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine Domini Hoſanna in excelſis*: Sixtus Papa Primus inſtituit decantari Hymnum iſtũ, qui partim Angelorum, & partim hominum verba complectitur, prima enim pars laudem continet Angelorum; vltima hominum. Legitur enim *Iſa.6. ver. 4. Quod Seraphim clamabant, alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius*; legitur quoque in Euangelio *Mat.* 21. quod Ieſus intrans Ieroſolymam, ſedens ſuper aſinam, turba plurima eum comitabatur. *Et qui præibant, & qui ſequebantur clamabant, dicentes Hoſanna filio Dauid, Benedictus, qui venit in nomine Domini*; Vox Angelorum Trinitatis, & vnitatis in Deo commẽdat arcanum. Vox hominum: *Hoſanna filio Dauid*. Diuini-
f tatis, & humanitatis in Chriſto, perſonat Sacramentum; Meritò autem Cantica Angelorum in Eccleſia cantamus, quia per hoc ſacrificium, terrena cœleſtibus iungi non dubitamus, & ideò cum eis in excelſis ſaluari clamamus. Dici-
g tur autem *Sanctus*, quaſi hoſtię ſanguine tinctus: Nàm in veteri Teſtamento nihil Sanctum dicebatur, niſi quòd fuerat sãguine hoſtiæ aſperſum, vel vnctum; vel dicitur *Sanctus* à verbo ſancio ſancis, ſancire,

quod eſt firmare,ſtatuere,con-
ſecrare. Sic homines,quia fide h
firmati, Sancti dicuntur; & le-
ges ſanctæ , quia iuſtè ſtatutæ,
& decretæ , & mores Sancti,
quia conſecrati,& honeſti. Ter
dicitur *Sanctus* , vt notetur
Trinitas , ſeu diſtinctio perſo-
narum; ſed ſemèl tantùm dici-
tur, *Dominus Deus Sabaoth*, vt
notetur Diuinæ vſiæ vnitas.
*de conſecratione diſt.2.ego.*vt ſic
Trinitatis , & vnitatis myſte-
rium comprobetur . Item ter
dicitur in ſingulari,Sanctus,nõ
Sancti , vt vna ſanctitas in tri-
bus perſonis , & vna æternitas
intelligatur . Dicitur autem
Deus Sanctus,ideſt ſanctificãs,
non autem ſanctificatus.Vndè i
*Leuit.*19.*Sancti eſtote, quoniam
ego Sanctus ſum,Dominus Deus
veſter.* Dicitur Pater Sanctus,
dicente filio. *Ioann.* 17. *Pater
Sancte ſanctifica eos in verita-
te, quos dediſti mihi* : Dicitur
Filius Sanctus , Angelo prote-
ſtante. *Lucæ* 1. *Quod naſcetur
ex te ſanctum,vocabitur Filius
Dei* . Dicitur Sanctus Spiritus
Sanctus,Chriſto dicente. *Ioan.*
20. *Accipite Spiritum Sanctum
quorum remiſeritis peccata.*Di-
citur quoque Dominus Deus
Sabaoth, ideſt Dominus exer-
cituum, videlicet Angelorum,
& hominum, quorum *Terribi-
lis eſt , vt caſtrorum acies ordi-
nata.Cant.6.verſ.3.* De quo in
Pſal. 23. dicitur ab Angelis.
*Quis eſt iſte Rex gloriæ , Domi-
nus virtutum , &c.* Tot enim K
exercitus habet Deus in ter-
ra,quot ſunt ordines in Eccle-
ſia; Tot habet in Cœlis, quot
ibi ſunt ordines Angelorum ;
Nomine ergo Cęlorum,& ter-
ræ,Angeli,& homines diuina
pleni gratia hic perhibetur;vel l
ad litteram;Cœli, & terra gra-
tia diuina replentur:quia Dei-
tas eſt vbique. *Pſalm.*138. *Si
aſcendero in Cœlum tu illic es, ſi
deſcendero in Infernum ades,
&c. Pleni ſunt Cœli , & terra
gloria tua,*hoc eſt, vt eius glo-
ria,Cœli,& terra repleantur,&
qui in Cœlis , & qui in terra
ſunt glorificent , & honorent m
nomen Sanctum eius.Cœli au-
tem ſunt pleni gloria,re,terra
verò, ſpe, tunc verò,re, plena
erit terra , cum adimplebitur
illud . *Fiat voluntas tua , ſicut
in Cœlo, & in terra* . Dum au-
tem dicimus *Pleni ſunt Cœli,* n
&c. agimus gratias Creatori
de omnibus beneficijs. Dum
verò dicimus , *Benedictus, qui
venit,&c.* agimus gratias ſpe-

cialirer de beneficio Redemp-
tionis.
Dum ergo Sanctus inchoa-
o tur, inclinati ſtare debemus:
quia tunc incarnationẽ Chriſti,
Maieſtatemq; Diuinã per An-
gelorum, hominumque cantũ
recognitam, veneramur. Cum
dicitur *Benedictus, &c.* ſignan-
dum eſt ſigno crucis, quia
Chriſtus per crucem triunpha-
p uit, & nos triunphare facit. Se-
quitur *Hoſanna* verbum hæ-
braicum eſt, quod ſignificat s
ſalua, obſecro. Componitur
enim ex oſi, quod interpetra-
tur ſaluifica; & Anna, quod eſt
apud Hebræos interiectio ob-
ſecrantis, motum animi ſignifi-
cans, ſub depræcantis affectu; t
dicitur autem bis Hoſanna,
propter duas partes ſalutis, quę
q ſunt ſtola mentis, & ſtola car-
nis, quibus Sancti beatifican-
tur in gloria. dicens *Benedictus*
qui venit, &c. ſignat ſe à fron-
te ad pectus ſigno crucis Sa-
cerdos; nàm ad celebrandum
r myſterium Paſſionis Chriſti in-
diget tutela, & munimine eiuſ-
dem contra nequitiam inuiſi-
bilium poteſtatum, quæ per ſi-
gnum ſanctæ crucis vincuntur,
& fugantur.

CAP. XXXIV.

De Secreta, vel Canone Miſſæ.

POſt acclamatum præconiũ ſequitur ſecretum ſilentium, in quo Miſſæ Canon dicitur, & deuotè ſacrum myſterium peragitur, quod fit per ſolum Sacerdotem, quoniam ſecundùm Matthæum, Chriſtus ſolus orauit. & ſecundùm quoſdam hic incipit Miſſa, & ſecunda pars eius, in qua ſunt obſecrationes, & oblationes, quoniam cætera ſunt de ſolemnitate; *de conſecrat. diſt.* 2. *panis eſt.* Canon autem Miſſæ, & oblatio, vt dictum eſt, ſub titulo de oblatione, cap. 29. Et actio, & Canon, & ſacrificium, & ſecreta vocatur, actio dicitur, propter ſacra myſteria, quę in eo aguntur; & quia tunc cũ Deo agitur cauſa noſtra, vndè in capite illo *Communicantes, &c.* & in illo *Hanc igitur, &c.* certis diebus, vltra ordinaria Canonis, ſeu actionis, verba quædam adduntur, & dicuntur, ideò inſcribitur talis titulus, infrà actionem; eo quod in medio ipſius actionis, ſiuè Canonis dici debet. Canon

ve-

verò, Græcè dicitur regula,
Latinè; dicitur etiam Canon,
quia regulariter Chriſtus ve-
rus Sacerdos in eo repræſen-
tatur, ſeu per hunc, regulari-
ter fit conſecratio Sacramenti;
Sacrificium autem dicitur à
ſua parte digniori, de quo di-
ctum eſt ſub titulo de oblatio-
ne; ſecreta dicitur, quaſi nobis
occulta, quia humana ratio
nequaquam tantùm myſteriũ
plenariè capere poteſt, ad
quod ſignificãdum meritò ſub
ſecreta voce celebratur; Chri-
ſtus enim poſtquam honorificè
à turbis receptus, & honorifi-
catus fuit, abijt, & abſcondit
ſe, non vtique trepidantis for-
midine; ſed diſpenſationis of-
ficio: quia nõ dum venerat ho-
ra eius, quę poſtquam aduenit,
ſpontaneus ad paſſionem ac-
ceſſit. Illud ergo Chriſti lati-
bulum, hoc ſecretum ſilentium
repræſentat, in quo ſolum ad
Deum dirigitur intenta deuo-
tio. Tunc enim Sacerdos in-
trare debet in cubiculum cor-
dis ſui, & oſtio ſenſuũ corporis
clauſo; Deum Patrem orare,
qui exauditor eſt clamoris
cordis, non oris, vel vocis. Vn-
dè Anna. 1. *Regum*, typum ge-
rens Eccleſiæ, non petitione
clamoroſa, ſed tacita deuotio-
v ne, quod petiuit, impetrauit, &
Moyſi *Exod.* 14. *verſ.* 15. Do-
minus inquit: *Quid clamas ad*
me. Cum tamen ipſe taceret; &
Pſalmo 4. *Dicite in cordibus*
veſtris, & in cubilibus veſtris
x *compungimini*; Vndè Diuus
Bonauentura in expoſitione
Miſſæ, inquit: *Eccleſia ſtatuit,*
vt Canon deuotè, & ſub ſilentio
legatur, quod ſilentium humili-
tatem Chriſti in ſua Paſſione
indicat: quia coram Præſide
ſtans, diù iudicatus nihil dice-
bat, & ſicuti Agnus coram Tõ-
dente, ſic non aperuit os ſuum.

Canon dici debet expedi-
tè, non moroſè, ne auditoribus z
tædium generetur; Vndè in *E-*
xodi 12. *verſ.* 11. dicitur, *Et co-*
medetis feſtinanter; quod de
immolatione Agni dictum eſt;
ſed nec nimis feſtinanter: quia
non debet ſacrificium ſine ſa-
le, ideſt diſcretione, & deuotio-
y ne offerri. Debet etiam in li-
bro legi, ne vllus error contin-
gere poſſit. Porrò Sacerdos
Miſſam celebrans repræſentat
ea, quæ legalis Pontifex intra
Sancta Sanctorum agebat, &
quæ Chriſtus egit, quem ille
præfigurauit; ſiquidem ea, quæ
fiunt à principio ſecretæ, vſque
in

in finem, paſſionem Domini, ſe-
pulturam, & reſurrectionem
a repræſentant; recolitur enim
ibi memoria eorum, quæ geſta
ſunt per hebdomodam ante
Paſcha, à decima Luna primi
menſis, quando Ieſus abijt Ie-
roſolymam, vſque ad decimã
ſeptimam, quando reſurrexit à
mortuis. Propter quod in ple-
riſque ſacrarijs inter præfatio-
nem, & Canonem, imago Cru-
cifixi depingitur, vt non ſolùm
intellectus litteræ; verum etiam
aſpectus picturæ memoriam
paſſionis Dominicæ excitaret.
Et fortè Dominica factum eſt
b prouidentia, licet non ſit hu-
mana induſtria procuratum, vt
ab ea littera Canon inciperet,
ſcilicet à litera T, quæ Thau
hebraicè dicitur, & in ſui for-
ma ſignum crucis oſtendit, di-
cente Domino: *Signa Thau
ſuper frontes virorum dolentiũ,
& gementium ſuper cũctis abo-
minationibus Ieruſalem, Ezech.
9. verſ.* 4. Quoniam per Chriſti
paſſionem, hæc omnia in cruce
impleta ſunt, & efficaciam ha-
bent. In quibuſdam Codici-
bus, & Maieſtas Patris, & etiã
c imago depingitur Crucifixi, vt
Sacerdos quaſi præſentem vi-
deat, quem inuocat, & quem
alloquitur. Dicens *Te igitur,
&c.* & paſſio, quæ hic repræ-
ſentatur, cordis oculis ingera-
tur.

Auctor Canonis neſcitur;
d quia antiquior eſt ordine Ro-
mano, in quo habetur Canon,
vti iàm vſitatus, & in liturgia
Sancti Petri totus habetur, ſed
nunc partim auctus (ſaltem
Sanctorum Nominibus) poſt
mortem Petri; antiquior eſt
omni memoria, inquit Bellar-
minus. Aliqui tamen aſſerunt
fuiſſe Auctorem Canonis S.
Clementem Papam, & Marty-
rem Diſcipulũ S. Petri Apoſt.

§. I.

Expoſitio Sacri Canonis Miſſæ.

S*Acerdos extendens, & iun-
gens manus, eleuãs ad Cæ-
lum oculos, & ſtatim demittens,
profundè inclinatus antè Alta-
re, manibus ſuper eo poſitis, di-
cit. Te igitur, &c.*

Extenſio manuum, & ele-
e uatio oculorum, affectum cor-
dis innuit, quia oculus eſt cor-
dis imago; nàm toto corde Sa-
cerdos Diuinæ Maieſtatis be-
neuolentiam, ſuper oblata ex-
poſtulat, per merita eiuſdem
Filij ſui Ieſu Chriſti Domini
noſtri, ſicut ſequentia verba

Canonis innuunt.

Te igitur clementiſſime Pater, per Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, ſupplices rogamus, ac petimus, oſculatur Altare, *vti accepta habeas, & benedicas*, iungit manus, deindè ſignet ter ſuper oblata, *hæc dona* † *hæc munera* † *hæc ſancta ſacrificia illibata* †. extenſis manibus proſequitur: *In primis, quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua Sancta Catholica, quàm pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris: toto orbe terrarum: vna cum famulo tuo Papa noſtro N. & Antiſtite noſtro N. & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei cultoribus.*

Memento Domine famulorum, famularumque tuarum. N.N.

Iungit manus, orat aliquantulum pro quibus orare intendit, deindè manibus extenſis proſequitur: *Et omnium circũſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus; vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe, ſuiſque omnibus: pro redemptione animarum ſuarũ, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ: tibique reddunt vota ſua æterno Deo viuo, & vero.*

Te igitur, &c. iſtud Sacerdos continuat ad pręcedentia, & alloquitur Deum, tanquam præſentem, quaſi dicat: Tu es Sanctus Deus, igitur *clementiſſime Pater*, quæ verba dicendo, Sacerdos profundè ſe inclinat antè Altare. Inclinatio profunda, humilitatem Chriſti ad Paſſionem ſignificat, vel illam humilitatem profundam innuit, quàm Chriſtus in horto expertus eſt, Patris voluntati humiliter ſe cõformans. *Matt. 26. v.42. Iterum ſecundò abijt, & orauit, dicens, Pater mi ſi nõ* g
poteſt hic Calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua. ideò Sacerdos ad myſterium crucis, profundè inclinatus, accedit reuerenter, *Supplices*, &c. ideſt humiles, *vti accepta habeas*, ideſt vt accipias, ſeù vt grata habeas, & hic oſculatur Altare in reuerentiam paſſio- h
nis, per hoc compati ſe oſtẽdẽs. Chriſtus traditus eſt à tribus, ſcilicet à Deo, pro nobis: *Proprio Filio ſuo non pepercit* i
Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ. Rom. 8. à Iuda: *Quærebat Iudas opportunitatem, vt eum traderet. Matth. 26.* à Iudæis Pilato: *Gens tua, & Ponti-*

ti-

tifices tui tradiderunt te mihi.
K *Ioann.* 18. prima traditio fuit
ex gratia, quia *Dilexit me, et*
tradidit ſemetipsũ pro me. Gal.
2.*v.*21. ſecunda ex auaritia,
quia *Conſtituerunt ei triginta*
argenteos. Matth. 26. *verſ.*15.
tertia fuit ex inuidia, *Sciebat*
enim Pilatus, quod per inuidiã
*tradidiſſent eum. Idem cap.*27.
*verſ.*19. Deus ergo tradidit ex
l dono. Iudas pro munere. Iu-
dæus in ſacrificium illibatum.
Donum quippè dantis; munus
accipientis; ſacrificium offerẽ-
tis. Ad quod deſignandum
Sacerdos facit tres Cruces ſu-
per oblatam,& Calicem cum
m dicit,*hæc dona,hæc munera,hæc*
ſancta ſacrificia illibata, quaſi
dicat,*Offerimus tibi clementiſſi-*
me Pater, hæc dona, hæc mune-
ra, hæc ſancta ſacrificia illiba-
ta. Commemorantes illam
traditionem, quàm Deus fecit
ex dono, Iudas pro munere, Iu-
dæus in ſacrificium illibatum,
ſinguli tamen ad mortem;
mortem autem Crucis, vel fiũt
tres cruces in reuerentiã Tri-
nitatis, cuius potentia fit con-
uerſio panis,& vini, vel in me-
n moriam trinæ crucifixionis.
Prima fuit in voluntate perſe-
quentium: *Collegerunt Pontifi-*
ces, etc. Ioan. 11. ſecunda in vo-
ce clamantium, *At illi magis*
*clamabant crucifige. Matt.*21.
tertia in crucifixione manuũ,
& pedum. *Crucifixerunt eum.*
o *Luc.*23. *Illibata*, non enim di-
cuntur, quaſi nondum guſtata,
ſed potiùs immaculata, nàm ſi-
ne macula corporis, & cordis
debent offerri. Vel illibata,
ideſt incorrupta, quia corpus,
& ſanguis Filij Dei corrumpi
non poſſunt. *Non dabis ſanctũ*
tuum videre corruptionem. Pſ.
15. Diuus Bonauentura. *Illiba-*
ta, quia mors Chriſti fuit ſãcta,
ideſt innocens. Vel illibata, ideſt
nondũ cõſecrata, ſeu immolata.

Offerimus, nàm non in
ſua perſona, ſed totiùs Ec-
p cleſię ſacrificat; quapropter ſa-
crificium nil à bono, maius,
nil à malo, minùs perficitur Sa-
cerdote: *Pro quibus tibi offeri-*
mus, vel qui tibi offerunt; quia
q non ſolùm offerunt Sacerdo-
tes, ſed vniuerſi fideles, nàm
quod ſpecialiter adimpletur
miniſterio Sacerdotum, hoc
vniuerſaliter agitur voto fide-
r lium: *Sacrificium laudis*, ſecũ-
dùm illud *Apoſtoli* 1. *Corinth.*
10. *verſ.* 31. *Siuè ergo mandu-*
catis, ſiuè bibitis, ſiuè aliud quid
facitis: omnia in gloriam Dei

facite. Vel quia Chriſtus gratias agens illud inſtituit. *Suiſque omnibus*; videlicet,conſanguineis,affinibus,familiaribus, & amicis. *Pro ſpe ſalutis,et incolumitatis ſuæ*, ideſt pro ſalute mentis,& incolumitate corporis; Nàm vtraque ſanitas eſt ab illo, qui dicit *Salus populi ego ſum.*

Tria ſunt hominis bona; corporalia,ſpiritualia, & æterna, videlicet,infima, media, & ſuprema. Primum dicitur pro incolumitate; ſecundum pro redemptione; tertium pro ſalute. Tertium vt detur nobis in præmium. Secundum in meritum. Primum in adminiculum: *Tibique reddunt vota ſua*; ſed ſi noſtra donamus, & aliena reddimus, quomodo ſi vota ſua ſunt reddunt, & non potiùs donant; vel ſi reddunt, quomodo ſua, & non potiùs aliena? Sanè votum,& hominis,& Dei eſt; ſed Dei propter auctoritatem gratiæ, hominis, propter libertatem arbitrij, Vndè *Apoſtolus* 1. *Corinth.* 15. *verſ.* 10. *Non autem ego, ſed gratia* Dei *mecum*; vel vouere hominis eſt; reddere verò Dei.

Memento Domine,&c. ideſt reminiſcere miſerationũ tuarum,& miſerere noſtri.hic orat Sacerdos pro viuis, vbi attẽditur ordo charitatis. Primò pro his,qui eleemoſynam pro Miſſa dederunt. Secundò pro patre,& matre. Tertiò pro parẽtibus ſpiritualibus. Quartò pro ſeipſo, & pro amicis ſuis. Quintò pro aſtantibus. Sextò pro omni populo Chriſtiano; ſecundùm Ritum Romanum oratur pro Principibus ſpiritualibus,ideſt pro Summo Põtifice, & Epiſcopo Diocęſano; ſecundùm Ritum aliquarum Eccleſiarum pro Principe ſpirituali, & terreno, primus habet gladium verbi Dei ad cõuincendos hæreticos: Secundus habet gladium ferri ad compeſcendos contumaces. Vndè *Luc.* 22. *Ecce duo gladij hìc*. Diuus Bonauentura, *Hic Sacerdos tenetur orare pro omnibus, qui ei aliqua beneficia impenderunt.*

§. II.

Communicantes, et memoriam venerantes in primis Glorioſæ ſemper Virginis Mariæ Genitricis Dei,et Domi*ni noſtri Ieſu Chriſti. Sed et Beatorum Apoſtolorũ, ac Mar-*

ty-

tyrum tuorum Petri, et Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Thadæi, Lini, Cleti, Clementis, Xyſti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chryſogoni, Ioannis, & Pauli, Coſmæ, & Damiani: & omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis, precibuſque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.

Iungit manus. *Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.* a *Amen.*

Diuus Bonauentura, *Quaſi*
y *dicat Eccleſia militans in terris, etſi nos propter peccata noſtra non meremur exaudiri; communione Sāctorum, videlicet Beatæ Virginis, Apoſtolorum, Martyrum, & Sanctorum omnium, digni ſumus; inuocamus enim illos; repellere eos non potes, &* b *quia exauditione digni ſunt, & nos vnà cum ipſis exaudire digneris. Ecce quomodo in Miſſa ima ſummis coniunguntur, & terreſtres quodammodò efficiūtur cœleſtes, quia militātes in terris, triunphantibus in Cœlis, Sanctis, per orationem Canonis, vniuntur.*

Cōmunicare idem eſt, quod
z participare; communicamus c cum Sanctis in via per fidem, in patria verò participabimus cum Sanctis per ſpem, quàm ipſi habent; Nos enim fidem habemus, & ſpem, illi autem ſpem, & rem habent. Communicamus igitur, & memoriam veneramur Apoſtolorum, & Martyrum, & præcipuè Virginis Mariæ, vt eorum ſuffragio de fide perducamur ad ſpem, de ſtadio perueniamus ad brauium. Nominātur, primò Nomen Mariæ, quia ipſa in Cœlis obtinet Principatum. Secūdò duodecim Apoſtolorum, & duodecim Martyrum, qui omnes huius ſacrificij teſtes fuerunt, & Paſſionem Chriſti, verbis, & effuſione ſanguinis teſtimonio probauerunt; nàm Martyr Græcè, teſtis dicitur latinè.

Ter in Canone fit commemoratio Sanctorūm, in honorē Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed quę fit antè conſecrationem, implorat Sanctorum ſuffragium; Quæ autem poſt, Sanctorum conſortium, quia antequam Regnum adueniat, opus nobis eſt Sanctorum ſuffragio, vt meritis ipſorum, Diuinæ protectionis muniamur auxilio. Nō fit in eo mentio Sanctorum Confeſſorum; nàm tunc Ca-

tholica Eccleſia Sanctorum Confeſſorum memoriam non celebrabat, & Canon Miſſæ editus fuit antè Sanctum Sylueſtrum. Vel dicendum, quod Sacramentum hoc eſt Sacramentum amoris, ideò de illis ſpecialis mentio fieri debet, in quibus ſignum veri Amoris eluxit, & ſicut Chriſtus paſſi ſunt. Ciritius Papa, hæc verba addidit, ſed alij Pontifices, ipſum auxerunt.

§. III.

TEnens manus Sacerdos ſuper oblata, dicit: *Hãc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed et cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine, vt placatus accipias: dieſque noſtros in tua pace diſponas, atqne ab æterna damnatione vos eripi, et in electorum tuorum iubeas grege numerari*. Iungit manus. *Per Chriſtum* D*ominum noſtrum. Amen.*

Sanè legalis Pontifex fumo thymiamatis obũbrabatur, & tegebatur, ne pateret alicui, dum cremaret incenſum; & Chriſtus (dum Patrem interpellat pro nobis) Angelorum pertranſit intuitum; quia intelligi non poteſt quantum præſentia ſumptæ carnis impetrat apud Patrem pro nobis. Sacerdos quoque dum vicem Chriſti gerit, quodammodò tegitur, & latet; quia nec cogitari, nec narrari poteſt quanta virtus, & potentia ſit in verbis eius, & in hoc myſterio, quod latet homines, & Angelos; ad quod repræſentandum Sacerdos expandit manus ſuas ſuper oblata, more Aaron. *Leuit.* 1. innuẽs Diuinam protectionem, ſeu efficaciam gratiæ, quæ in hac prece poſtulatur. e Vel Sacerdos profitetur, non proprijs viribus, ſed virtute ordinationis, per impoſitionem manuum Epiſcopi, tàm mirabile opus ſe facturum. *Seruitutis noſtræ*, ideſt meæ, & cunctorum, qui tibi ſeruiunt, & famulantur. Beatus Leo Papa poſuit infra actionem. *Hanc igitur*, vſque *placatus accipias*. f Beatus autem Gregorius tres alias petitiones addidit. Prima eſt, *dieſque noſtros in tua pace diſponas*, ſupple per eum, qui pro nobis eſt traditus in manus eo- d rum, qui oderunt pacem. Secunda, *ab æterna damnatione nos eripi*, ſupple per eum, qui pro nobis temporali morte dam-

damnatus eſt. Tertia, *et in ele-*
ctorum tuorum iubeas grege nu-
merari, ſupple per eum, qui
pro nobis cum iniquis depu-
tatus eſt.

In tua pace. Pax triplex eſt,
g videlicet temporalis, ſpiritua-
lis, & æterna. De prima dicitur
Pſal. 71. *Orietur in diebus eius*
iuſtitia, et abundantia pacis. De
ſecunda dicit Chriſtus *Ioann.*
14. *Pacem relinquo vobis*. De
tertia ibidem: *Pacem meam do*
vobis, non quomodo Mundus
dat, ego do vobis. Pro hac tri-
h plici pace, ter Sacerdos orat in
Canone. Primò hic; ſecundò
in oratione, *libera nos*; *Da*
propitius pacem in diebus no-
ſtris. Tertiò dicendo, *Pax Do-*
mini ſit ſemper vobiſcum; & *da*
nobis pacem, vt de pace tempo-
ris, per pacem pectoris, tran-
ſeamus ad pacem æternitatis;
ob hoc etiam in Canone Sa-
cerdos ter oſculatur Altare,
i videlicet in principio Cano-
nis, dicendo, *Vti accepta ha-*
beas; in oratione, *ſupplices te*
rogamus, & quando ſolemni-
ter celebrat poſt primam ora-
tionem antè communionem,
vt ſuis locis dicitur. In Miſſa
k priuata nouies Sacerdos oſcu-
latur Altare, vt dictum eſt ſu-
pra cap. 8., quia in ſui adiuto-
rium omnes Choros Angelo-
rum, in quibus omnes Sancti
locantur, inuocat, & inducit. In
l Miſſa autem ſolemni decies,
nàm poſt primam orationem
antè communionem oſculatur
Altare, vt accipiat pacem à
corpore Chriſti, & det ipſam
populo, quod oſculum inter-
ceſſionem Beatæ Virginis Ma-
rię particularem inducit; nàm
ipſa propter excellentiam me-
ritorum, ordinem ſingularem
ſuper omnes Angelos conſti-
tuit; ideò ſingulariter in Miſſa
ſolẽni tantũ, Altari, ibi, impri-
mitur oſculũ. Meritò ergo ca-
nit Eccleſia, *Exaltata eſt Sãcta*
m *Dei Genitrix, ſuper Choros An-*
gelorum; & in hymno. *O Glorio-*
ſa Virginum ſublimis inter ſy-
dera. hoc eſt inter Angelos. Vt
autem Sacerdos omnes Ange-
los, & Sanctos, qui omnes in-
ter Angelos locantur, & Beatã
Virginem in hoc ſacrificio in
ſui adiutorium inuocet, & in-
ducat, aliquandò nouies, & ali-
quandò decies oſculatur Al-
tare.

❦❦❦❦❦

§. IV.

Q*Vam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus*, ſignat ter ſuper oblata, *Benedictam † adſcriptam † ratam † rationabilem, acceptabilemque facere digneris.* Signat ſemèl ſuper hoſtiam, & ſemèl ſuper calicem, *vt nobis corpus † & ſanguis † fiat dilectiſſimi Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Quam oblationem, ideſt ter- n renam materiam ad corpus, & ſanguinem Filij tui deſtinatam, *Tu Deus in omnibus quæſumus*, ideſt tota cognitione, tota mẽte, & toto intellectu digneris facere benedictam; poſteà verò ad deſignandum pretij quãtitatem, quo Chriſtus venditus o eſt Sacerdos facit tres cruces ſuper oblatam, & calicem, dicendo, *Benedictam, adſcriptam, ratam*, nàm, & tercenta pariter, & triginta, multiplicationem ſuſcipiunt à ternario. Sanè quarta feria Iudas, vnus ex p duodecim, à Diabolo ſupplãtatus, immanè ſacrilegium perpetrauit, dum Filium Dei triginta argenteis vẽdidit Phariſæis, in recompenſationem damni, quod incurrerat per effuſionem vnguenti. *Ioann.* 12. *Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs.* Quilibet autem argenteus valebat decem denarios vſuales, & ità damnum vnguenti, quod valuerat trecentos denarios, triginta compenſauit argenteis. *Matth. 26. At illi conſtituerunt ei triginta argenteos.* Vel q tres cruces tres emptores innuunt, ſcilicet Sacerdotes, Scribas, & Phariſæos: Poſtmodum autem ad deſignandum venditionem, & emptionem, duas cruces imprimit, vnam ſuper hoſtiam, & alteram ſuper r calicem, dicendo, *Vt nobis corpus, & ſanguis fiat*, ſcilicet in ſalutem mentis, & corporis, vel in his quinque crucibus, latet hiſtoria à die Palmarum excluſiuè, vſque ad mortem Chriſti per dies quinque.

Diuus Bonauentura: P*er quinque cruces notatur, quod* s *Chriſtus in quinque sẽſibus paſſus eſt ſecundùm carnem, vt ſenſus noſtros illuminaret. Paſſus eſt enim in viſu per velationem. In auditu per deriſionem; in guſtu per fellis, & aceti potationem; in odoratu per fætentiũ corporum corruptionẽm (nàm paſ-*

paſſus eſt in loco Caluariæ , vbi cadauera eorum,qui ad mortem erant damnati, proiiciebãtur; in t *tactu per clauorum confixionem.*

Diuus Auguſtinus: *Benedictam , ideſt per quam benedicimur. Adſcriptam,per quam in Cęlo adſcribimur omnes . Ratã, per quam in viſceribus Chriſti; ideſt de corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia,cenſemur . Rationabilẽ, per quam à beſtiali ſenſu exuimur. Acceptabilem,vt qui nobis ipſis diſplicemus,per hanc acceptabiles eius vnico Filio ſimus .* Diuus Bonauentura. v *Rationabilem , ideſt apud te Deum Patrem , Chriſtus Filius tuus pro nobis rationem reddat.*

§. V.

QVi *pridiè quam pateretur* accipit hoſtiam, *accepit panem in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas*: eleuat oculos ad Cœlum , *& eleuatis oculis in Cœlum ad te Deũ patrem ſuum omnipotentem:tibi gratias agens*, ſignat ſuper hoſtiam,*Benedixit † fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: accipite , & manducate ex hoc omnes.*

Qui pridiè quàm pateretur. Alexãder Primus hoc addidit,& eſt ſenſus, vna die, antequam ipſe paſſus eſt pro nobis , voluit tradere Diſcipulis ſuis corporis , & ſanguinis ſui myſterium,vt illi traderent nobis , quod Euchariſtia dicitur, ideſt bona gratia , vel Dator gratiæ , Græcum nomen eſt ; Quia non inuenirur vocabulũ, quo dignè tantùm Sacramentum valeat appellari . Hoſtia x dicitur ab oſtio,quoniam ſecũdùm Hebræos , ad oſtium Tabernaculi offertur ; ſed ſecundùm Gentiles,dicitur ab hoſte, quia de victis hoſtibus fiebat hoſtia, ideſt ſacrificium, & victima pro vincendis,vt dictum eſt cap. 29.litt.C. Dicitur autem hoſtia immolatio , quia Chriſtus ſacramentaliter ibi immolatur,qui ſemèl pro peccatis noſtris immolatus eſt in cruce ; quod tractum à mola, y quæ fieri ſolebat immolatio de quodã genere frumenti, quod far, ſeu door dicitur , & mola terebatur.

In Eccleſia communicant z Fideles corpus Chriſti ſumendo,pacẽ ad inuicẽ dando, panẽ benedictũ,& benedictionẽ percipiẽtes, innuẽs, quod qui vult com-

communicare,debet timorem, fidem,& dilectionem habere.

Hunc ſacrificij Ritum primũ
celebraſſe legitur, Melchiſe- a
dech *Geneſ.* 14. *Obtulit panem, & vinum; erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi*,ideò *Pſalm.* 109. de Chriſto loquens, inquit; *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*; ideòque ſacrificium Euangelicum præcedit legale, non ſolùm dignitate; ſed etiam tempore, ſicut Apoſtolus pleniùs oſtendit in Epiſtola ad Hebræos cap.5.

Dicitur Chriſtus Sacerdos
in æternum, quia ipſe eſt, qui b
ſua diuina virtute ſemper ſubſtantiam panis deſtruit, vt ad panis deſitionem corpus eius ſuccedat, & non qualitercumque, ſed eo modo, quo extra Sacramentum inuenitur; ſed inuenitur viuum, cum ſanguine,anima,& diuinitate; ſic etiã in Sacramento ſuccedit. Simi-
liter de vino dicendum;ideòq; c
Sacerdos, qui Chriſti vicẽ gerit,miniſteriali poteſtate, vtitur non verbis ſuis in conſecrando, ſed Chriſti, & vt Chriſtus conſecrat.

Sacrificium Euchariſticum d
fit in pane, & vino, quia ſicut præ cæteris cibis, & potibus corporalibus, panis cor hominis confirmat, & vinum lætificat; ità corpus,& ſanguis Chriſti,præ cæteris cibis,& potibus ſpiritualibus,interiorem hominem reficiunt, & ſpiritualiter ſatiant, & ſic perfecta refectio eſt.

Panis debet eſſe de frumen- e
to, vinumque de vitę, quia Chriſtus ſic inſtituit in Cœna; & ſemetipſum in Euangelio, comparauit frumento, cum ait *Ioann.* 12. *ver.* 24. *Niſi granum frumenti cadens in terra, mortuum fuerit*, & viti *Ioann.* 15.
verſ. 1. *Ego ſum vitis vera.* Nõ f
debet eſſe ſale conditum, vt volunt quidam hæretici,innixi *Leuit.cap.*2. *Quicquid obtuleris ſacrificij, ſale condies;non auferes ſal fœderis Domini Dei tui de ſacrificio tuo.in omni oblatione tua offeres ſal.* Et in Euãgelio. *Marc.*9. *verſ.*4. *Omnis victima ſalietur*; nàm omnia iſta intelliguntur, non de ſale materiali,ſed de ſale diſcretionis, & deuotionis.

Item panis azimus non fer-
mẽtatus eſſe debet, tum ratio- g
ne facti, tum ratione myſterij; Scriptum eſt enim in *Exodo, cap.*12.in quo pręcipitur,quod

de-

decimaquarta die primi men-
ſis, immolaretur ad veſperam
h Agnus, & comederentur car-
nes eius aſſæ igni, cum azymis
panibus, & lactucis agreſtibus.
*Et edent carnes nocte illa aſſas
igni, & azymos panes, cum la-
ctucis agreſtibus. Septem diebus
azyma comederis; in die primo
non erit fermentum in domibus
veſtris: Quicumque comederit
fermentatum, peribit anima il-
la de Iſrael à primo die, vſque
ad diem ſeptimum. Exod.* 12.
Igitur in veſpere, in quo Chri-
ſtus cœnauit cum Diſcipulis
ſuis, & Agnum Paſchalem co-
medit, ritu legali cum azymis
panibus, et lactucis agreſtibus
cōſtat comediſſe; nã eo tẽpo-
re, in quo 14. Luna primi men-
ſis incidit, fermentatum in do-
mibus Hebræorum non inue-
niebatur; et ſic panẽ azymum
abſque dubio conſecrauit, vt
latè omnes Expoſitores Latini
probant; et hoc eſt, ratione fa-
cti. Ratione myſterij; quia
i fermentum, corruptionem ſi-
gnificat, iuxtà *Apoſtolum* 1.
Corinth. 5. *Modicum fermentum
totam maſſam corrumpit*; vt ni-
hil corruptum, vel corrumpẽs;
ſed totum ſincerum, atque ſin-
gerans in hoc Sacramento eſſe
monſtretur; non fermentatum,
ſed azymum conſecrauit Chri-
ſtus. Vndè *Apoſtolus* ſubdit *ibi-
dem. Itàque epulemur, non in
fermento veteri, ſed in azimis
ſinceritatis, & veritatis.*

Greci autem in ſuo perſiſtẽ-
k tes errore, licet ab Eccleſia La-
tina tolerato, de fermentato
conficiunt; dicunt enim in Pa-
raſceue, ideſt Fer. 6. Lunam
quartamdecimam extitiſſe, in
qua Chriſtus Dominus noſter
(verus Agnus) eſt immolatus,
vt legis impleretur figura, quæ
in quartadecima Luna primi
menſis, Paſchalis Agnus iuſſe-
rat immolari; Dominus noſter
Ieſus Chriſtus eo die ſe paſſu-
rum prænoſcens, in præcedenti
veſpera anticipauit comedere
Paſcha, & quia tunc licitè co-
medere poterat fermentatum,
in fermentato conſecrauit;
Vndè & ipſi corpus Domini
de fermentato conficiunt, &
hoc ratione facti; Ratione my-
ſterij verò; quia B.V. Maria
cōcepit de Spiritu Sancto Ver-
bum Dei; Vndè Domini In-
carnatio rectè per fermenta-
tum ſignificatur.

l Sed totum hoc improbant
Latini, vt latiùs videri poteſt
apud Expoſitores; Nàm primũ

non ſubſiſtit; licet enim,vt dicunt ipſi, quartadecima Luna incideri in Paraſceue, Chriſtus in Cœna impleuit ritum legalem, ideòque cum azimis comedit; neque ſecundùm ſubſiſtit, eò quod myſterium allatum eſt nimis remotum ab Euchariſtia,in qua fermentum Phariſæorum omninò reſpuitur,& azima ſinceritatis,& puritatis amplectitur, ergo myſterium Latinorum magis accedit ad veritatem.

Verba autem Canonis, *Qui pridiè quàm pateretur, &c.* ſumuntur ex *Matth.cap.26. ver. 26. Cœnantibus autem eis accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis,& ait: accipite, & comedite. Hoc eſt corpus meum.* Et ex *prima Corinth.cap.*11.*verſ.* 24.vt videre eſt cap 1. §.1.

Hic.n.innuũtur quinq; actiones Chriſti Dñi. Primò enim Chriſtus Dominus accepit panem. Secundò gratias egit Patri, idque more ſuo oculis in Cœlum eleuatis, ideò Sacramentum hoc dicitur Euchariſtia,ideſt gratiarum actio, immò ipſum maxima eſt gratia, ac conſequenter cum maxima gratiarum actione ſumẽdum. Tertiò panem benedixit, benedictio hæc Chriſti nõ fuit conſecratio,vt volunt nõnulli Doctores, vt videre eſt apud Diuum Thomam *3. par. quæſt.*78.*art.*1.*ad* 1.ſed præuia oratio, vt aſſerit Concil. Trident.*ſeſſ.*13.*can.*1.,qua oratione Chriſtus inuocauit Dei omnipotentiam, & benedictionẽ ſuper panem, vt præſtò eſſet (& etiam in futuris omnibus conſecrationibus) ad panem conuertendum in corpus ſuũ, quando legitimè pronunciantur verba conſecrationis;Chriſti ergo exemplo, Sacerdos dicendo, *benedixit*, format ſignum crucis, & benedicit panem,petendo à Deo, vt diuina virtus in panem deſcendat ad perficiendam conſecrationem. Quartò panem fregit; Mos enim eſt Orientalium habere panes,non eleuatos,vt nos habemus, itàut ad ſcindendum cultro vtamur; ſed latos pinſunt,ac ſubtiles, inſtar placentæ, vndè manibus eos frangũt. Chriſtus ergo in vltima Cœna (more Hebræorum apud quos Paterfamilias menſæ benedicens,diſcumbentibus conuiuij panem frangere,ac cibos diuidere ſolebat) fregit panẽ, & Di-

& Diſcipulis dedit, & inter-porrigendum dixit: *Accipite, & manducate. Hoc eſt corpus meum*; quæ verba, tàm porrigentis ſunt, quàm conſecrantis; & hæc eſt quinta actio, quas actiones imitatur Sacerdos in Miſſa, vt gerit perſonam Chriſti; nàm primò accipit panem, ideſt hoſtiam. Secundò gratias agit Deo cum eleuatione oculorum, & inclinatione capitis. Tertiò benedicit panem cum ſigno crucis. Quartò conſecrat, dicendo verba Chriſti Domini: *Hoc eſt enim corpus meum.* Et quintò diſtribuit diſcumbentibus communicando ſe, & alios, vel ſaltem ſeipſum, totius Eccleſiæ nomine.

§. VI.

De Conſecratione Corporis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

SAcerdos tenens ambabus manibus hoſtiam inter indices, & pollices profert verba conſecrationis ſecretè, diſtinctè, & attentè.

HOC EST ENIM CORPVS MEVM.

Prolatis verbis cõſecrationis ſtatim hoſtiam conſecratã adorat genuflexus, ſurgit, oſtẽdit populo, reponit ſuper corporale, iterum adorat, &c.

Hæc enim eſt forma eſſentialis à Chriſto Domino tradita, vt patet *Matth.26.v.27. Luc.12.verſ.20. Marc.14.ver.20.* Vndè meritò ab Eccleſia Catholica hæc forma ſemper, ad litteram, in conſecratione panis obſeruata fuit, & obſeruabitur, vt in octo Concilijs Generalibus definiuit, ſcilicet in Nicœno primò, Nicœno ſecundò, Romano ſub Nicolao ſecundò, in Lateranenſ. Vienn. Conſtanz. Florentino, & Trident. In Prouincialibus etiam plurimis, vt Ionnnes Garetius per ſingulas, hoc eſt ſexdecim à Chriſto annorum centurias, teſtimonio omnium Patrum, & Conciliorum, cuiuſq; ſæculi ordine recenſet, qui omnes apertè, & vnanimitèr hanc veritatem confitentur: affert etiam profeſſionem eiuſdem fidei, Eccleſiæ Syriacæ, Æthiopicę, Armeniacę, Indicę. Vide Bellarminum de Euchariſtia, exactè verba ſingulorũ proferentem, & diſcutientem. tenet ergo Eccleſia Catholica, & ſic ſemper credidit, per hæc verba, legitimè prolata ſuper panem aptum ad ſacrificium eſſe ibi verum, & proprium

corpus Chriſti, quod ex Beata Virgine natum, & in Monte Caluariæ Crucifixum eſt; eo quod Chriſtus Dominus conſecrando panem dixit, *Hoc eſt corpus meum*, & quando totum dictum eſt à Sacerdote, totum factum eſt; nàm aliud eſt nomen, & verbum, & aliud eſt dictum, per nomen, & verbum; Vndè *Ariſt. 2. Top.* inquit, aliud eſt ſignificare, & aliud dicere, ideſt conſignificare, ſcilicet cũ alio ſignificare. Homo v.g. ſignificat hominem; homo manducat eſt dictio, et ſignificat hominem manducare, quia cũ alio conſignificat; Vndè dictio eſt in quantum dicitur aliquid de aliquo, vel cum alio, et eſt perfecta conſtructionum ordinatio; Igitur cum illud pronomen, hoc, ponitur per ſe, non eſt propria oratio, ſed eſt compoſitio in oratione, ergo non oportet quærere demonſtrationem huius pronominis, vt pronomen eſt, ſed vt dictio, et licet in pronunciatione huius pronominis, hoc, ſit panis, nihilominus demonſtrat illud, quod tota oratio facit, ſcilicet verum corpus Chriſti; quod ibi eſt, quando tota oratio dicta eſt; ſic ergo quando totum dictum eſt, totum factum eſt, ſcilicet verum corpus Chriſti, per tranſubſtãtiationẽ, videlicet ex Dei potentia deſinit tota ſubſtantia panis, tranſeundo in corpus Chriſti verum, & reale ſub accidentibus eiuſdẽ panis, quæ accidentia, ſcilicet q
p quantitas, color, odor, et ſapor, priùs inhærebant ſubiecto materiali, ſcilicet pani; deſtructo autem naturali ſubiecto, ſcilicet pane, manent ſupernaturalitèr, et miraculosè in ſe exiſtẽtia; et quia corpus Chriſti eſt corpus viuum, non mortuum, ibi eſt anima Chriſti per coniunctionem corporis; Deitas r
per vnionem perſonæ Diuini Verbi. Perſona Verbi æterni per vnionem hypoſtaticam; Aliæ perſonæ diuinæ, ſcilicet Pater, et Spiritus Sanctus per concomitantiam, ſiuè per circuminſeſſionem, nàm vbi eſt vna perſona diuina, ibi ſunt omnes.

Sub qualibet particula hoſtiæ conſecratæ eſt totus Chri- s
ſtus verus Deus, et verus homo, v.g. ſi frangatur ſpeculum, in qualibet parte ipſius reſultat imago reſpicientis in ipsũ. Item in diuerſis locis, ſicut de voce prolata patet, vt ſi

quis

quis loqueretur multis, vox vna à multis percipitur; at hęc exempla humana, & naturalia ſunt, quæ ad omnipotentiam Dei nō habent proportionem; ideò quæ dicta ſunt, de fide tenenda, quæ omnem rationem naturalem tranſcendit.

Vanè ergo Nouates hæretici dicunt in Euchariſtia eſſe tropum; Alij methonimiam; Alij alium eſſe volunt, & hunc eſſe verborum Chriſti ſenſum, hoc eſt figura corporis mei; aut ſignificat corpus meum: Nàm Chriſtus nimis clarè dixit, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt enim ſanguis meus*, vt patet in Sacra Scriptura pluribus locis *Matth.* 26. *verſ.* 28. *Marc.* 14. *verſ.* 24. Meritò igitur D. Cyrillus Ieroſolymitanus *Catecheſi Myſtagog.* 4. ad confuſionem iſtorum inquit: *Cum igitur ipſe* (ideſt Chriſtus) *de pane pronunciauerit, ac dixerit: Hoc eſt corpus meum: Quis audebit deinceps ambigere? Et cū idem ipſe, tàm aſſeueranter dixerit: Hic eſt ſanguis meus: Quis vnquam dubitauerit, vt dicat non eſſe eius ſanguinem.* Verè igitur, qui in hoc dubitant, Chriſto non credunt.

§. VII.

De Conſecratione Sanguinis Chriſti.

SImili modo poſtquam cœnatum eſt, accipiens, & hunc præclarum calicem in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas. Sacerdos ambabus manibus accipit calicem. *Item tibi gratias agens benedixit,† deditque Diſcipulis ſuis, dicens, accipite, & bibite ex eo omnes*, profert verba conſecrationis ſecretè ſuper calicem, tenens illū parum eleuatum:

HIC EST ENIM CALIX SANGVINIS MEI, NOVI, ET ÆTERNI TESTAMENTI, MYSTERIVM FIDEI, QVI PRO VOBIS, ET PRO MVLTIS EFFVNDETVR IN REMISSIONEM PECCATORVM.

Prolatis verbis conſecrationis deponit calicem ſuper corporale, & dicens ſecretè: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*, genuflexus adorat, ſurgit, oſtendit populo, deponit, cooperit, & iterum adorat.

Verba, quæ dicit Sacerdos, quaſi

quaſi omnia habentur in Scriptura, videlicet *Matth. 26. ver. 27. Et accipiens calicem, gratias egit; & dedit illis, dicens, bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, idem habetur *Lucæ* 22. *Marci* 14. vt dictum eſt ſuprà.

Simili modo, &c. quod dictũ eſt de acceptione, & benedictione panis, dic etiam de acceptione, & benedictione calicis, cum hac differentia, quod panem conſecratum Chriſtus in tredecim partes diuiſit, quarum vnam primus ipſe ſumpſit, cæteras deindè duodecim ſingulis Apoſtolis, ſingulas ſumendas diuiſit, & dedit; In calice verò, vtpotè liquido, id fieri non poterat, quocirca Chriſtus prior ex eo, iàm conſecrato, bibit, deindè eum ad bibẽdum dedit ſuo vicino, v.g. Sancto Ioanni, vel Petro, iubens, vt ille ſuo vicino eundem reſignaret, & ità conſequenter, vt calix iret in orbem, omnes Apoſtoli ex eo biberent.

§. VIII.

Error Huſsitarum reijcitur.

QVarè hinc non ſequitur, quod Huſſitæ, & Lute- y
rus volunt, laicis quoque dandum eſſe calicem, eoſque communicare debere ſub vtraque ſpecie, quia ſub vtra-
x que communicauit Chriſtus, & Apoſtoli, idque eſſe præceptum Chriſti. hoc enim præceptum bibendi, cum ait: *Bibi-* z
te ex hoc omnes, Matth. 26. ver. 27. (vti omni tempore intellexit Eccleſia) tantum pertinebat ad Apoſtolos, qui ſoli tũc præſentes erant, nàm Chriſtus eos tunc conſecrabat Sacerdotes, eiſque iuſſit conſecrare Sacramentum, & ſacrificium Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie offerre, & vtramque ſpeciẽ ſumere, vt perfectum ſacrificiũ conficerent. Id ergo non iuſſit laicis, quibus cum non ſacrificent, ſed tantum ſumunt Euchariſtiam, (vt Sacramentũ) ſufficit, vt illud ſumant ſub vna ſpecie, quia ſub ea integrũ Sacramenti effectum percipiunt: præſertim, quia in tanto nu-

numero laicorum communi-
cantium, facilè calix effunde-
retur,& ſanguis Chriſti eo cō-
tentus, in terram diffluerett;
quod magnę foret irreuerētię.
Similiter præceptum Chriſti,
a dicentis; *Hoc facite in meam*
commemorationem, vt habetur
Lucæ 22.*v.*20. qua parte cōſe-
cratione reſpicit, ad ſolos Sa-
cerdotes pertinet;ad laicos ve-
rò tantum ſpectat quoad panis
conſecrati ſumptionem, vt pa-
tet; Præceptorum enim cum
plura miſcentur, varietas limi-
tanda eſt, & diſtribuenda, iu-
xtà conditionem perſonarum,
& mentem Legislatoris, qui
hic eſt Chriſtus, cuius inter-
pres eſt Eccleſia.

§. IX.

Expoſitio Verborum Conſe-
crationis Sanguinis, &c.

H*Ic eſt enim calix Sangui-*
nis mei, &c. quaſi dice-
ret Chriſtus in his verbis, in
hoc calice per hanc conſecra-
b tionem meam, vinum vertitur
in ſanguinem meum;quare in
fine huius conſecrationis, iàm
in eo non eſt vinum, ſed ſan-
guis meus,quo ſancitur, & cō-
firmatur nouum teſtamentum,
& fœdus, mediante me, inter
Deum, & hominem initum.
Chriſtus enim hoc ſanguine
ſuo,in morte mox effundendo,
c meruit, & confirmauit nobis
ius, & ſpem ad æternam hære-
ditatem in Cœlis, quæ fuit
ſumma,& vltima Chriſti teſta-
toris voluntas; & hoc ius no-
bis applicant Sacramenta,pręſ-
ſertim Euchariſtia, ſicut teſta-
mentum, hæredi in eo ſcripto,
dat ius ad teſtatoris bona.

Illa verba *Æterni*, *& My-*
ſterium Fidei, licet non inue-
niantur in Euangeliſtis ſupra-
citatis; ponuntur, ſiuè addun-
tur in conſecratione ſanguinis,
d ex traditione Apoſtolica,nem-
pè à S.Petro Apoſtolo,qui no-
ſtræ Liturgiæ eſt Auctor, ſicut
innuīt Leo Nonus Epiſtol. ad
Michaelem Imperat. *cap.* 9. et
Diuus Thomas 3. *par. quæſt.*
78.*art.*2. *ad* 4. Licet enim, ſe-
cūdum opinionem magis pro-
babilē, non ſpectent ad eſſen-
tiam formæ, (ſicut etiam illud
enim in forma conſecrationis
corporis,et ſanguinis) vndè in
Liturgia Sancti Iacobi, Sancti
Clementis,et Sancti Baſilij il-
la omittuntur; tamen pertinēt
ad plenam eius integritatem;
eſtque

eſtque hic ſenſus communis totius Eccleſiæ Latinæ, quæ in Miſſa, & forma conſecrationis ſanguinis, hęc verba quaſi à Chriſto dicta, & ab Apoſtolis præcepta eodem tenore, & modo ipſa pronunciat.

Teſtamenti, ideſt promiſſio- c
nis, ſiuè pacti de æterna hæreditate; ſiuè fœderis, de ea nobiſcum initi. Euchariſtia enim ſanguinem Chriſti, vt arrham æternæ gloriæ, dat nobis, & fęderis teſtamentarij de ea firmiſſimi, & maximi, quod morte teſtatoris (ideſt Chriſti) obſignatum eſt.

Vel *Teſtamenti* vox, innuit f
idem Euchariſtiæ ſacrificium: Sanguis enim, quo fœdera ſanciebantur, erat ſanguis victimarum: Sicut ergo dicitur *Exodi* 24. *verſ.* 8. *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum*. Intelligitur ſanguis victimarum, & ſacrificij, quo ſancitum eſt fœdus vetus; ita cum dixit Chriſtus, *Matth.* 26. *verſ.* 28. *Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti*; Debet intelligi ſanguis ſacrificij Euchariſtici, quo ſancitum eſt nouum teſtamentum; quod per vetus fœdus, ſanguinem, & ſacrificiũ fuit præfiguratum.

Myſterium Fidei. Significat primò, ſanguinem Chriſti g
ſub ſpeciebus vini latentem, eſſe rem arcanam, quæ ſola fide cognoſcatur, & credatur. Secundò ipſum ſanguinem Chriſti, quatenus in Paſſione effuſus eſt, eſſe obiectum fidei, qua iuſtificamur, & à peccatis purgamur per meritum ſãguinis, & mortis Chriſti.

Qui pro vobis, & pro multis. h
Pro vobis habet *Lucas cap.* 22. *verſ.* 20. pro multis *Matth. vt ſuprà*, ideſt pro omnibus hominibus; hi enim omnes, ſunt valdè multi.

Effundetur in remiſſionem i
peccatorum, habet hoc *Matth. Marcus, & Lucas*; licet Græcè dicant in præſenti *effunditur*, ideſt offertur, & libatur in ſacrificio hoc Euchariſtiæ ſub ſpecie vini, & paulò pòſt in ſua ſpecie, & forma naturali ſanguinis effundetur in cruce. Solebat enim ſãguis victimarũ in ipſo ſacrificio effundi, atq; Deo libari; Vndè ipſa effuſio vocatur libatio, vel libamen: quocirca calix hic ſanguinis Chriſti, velut libamen ſacrificij Chriſti, effuſus fuit in ora Chriſti, & Apoſtolorum eius; atque hac de cauſa, ſumptio, &

con-

conſumptio ſpecierum, tàm panis, quàm vini pertinet ad rationem ſacrificij, indè patet, Euchariſtiam non tantum eſſe Sacramentum, ſed & ſacrificium nouæ legis, quod veteribus omnibus ſucceſſit, illaque omnia eminenter in ſe continens, ideòque Chriſtus dicitur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech.

Inſuper Euchariſtia eſt ho-
K locauſtum, quia totum Chriſtum in conſecratione, & manducatione offerimus Deo. Eſt etiam victima pacifica, quia per illam, pacem, ideſt omnia bona à Deo poſcimus, & impetramus; eadem eſt victima pro peccato, quia offertur, & impetrat à Deo remiſſionem peccatorum venialium, & pœ-
narum temporalium, quæ pec- m
catori reſtant luendæ pro lethalibus eius culpis remiſſis: ipſarum autem culparum lethalium remiſſionem impetrat mediatè, quia obtinet à Deo gratiam præuenientem, & contritionem, qua illæ delentur. Vide Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. & Scholaſticos *tract. de ſacrificio Euchariſtiæ.*

In remiſſionem peccatorum. n
l Sanguini Chriſti potiùs, quàm corpori tribuitur remiſſio peccatorum; licet vtrique competat: tum quia in veteri Teſtamento ſanguini tribuitur expiatio; & in victima pro peccato ſanguis eius effundebatur: tum quia ſanguinis effuſione ſignificatur mors Chriſti, quæ fuit condignum pretium, expiatio, & ſatisfactio pro morte præſenti, & æterna peccatis noſtris debita.

§. X.

Quare Corpus, & Sanguis Chriſti ſeparatim conſecrantur.

MYſterium conſecrationis panis, & vini, ſeparatim, in corpus, & ſanguinem Chriſti, eſt iugis idea Paſſionis, & mortis ipſius; nàm conſecratio, ex vi verborum, ſeparat vnum ab alio, quod in morte accidit, itàque ſpecies vini, ſanguinem Chriſti effuſum; ſpecies verò panis, exànimæ Chriſti corpus repræſentant, & ex hoc multi Doctores affirmant rationem huius ſacrificij primariò, & præciſè conſiſtere in conſecratione, quæ ex inſtitutione Diuina repræſentat

mortem Chriſti in cruce, ideſt ſacrificium cruentum, videlicet ſeparationem ſanguinis à corpore. Licet ſecundariò tota Miſſa, ſcilicet oblatio, & communio, repræſentet ipſum ſacrificium cruentum, ſcilicet Paſſionem, & mortem Chriſti; facit ad hoc illud *Apoſtoli ad Rom.5.ver.10. Reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius*. Conſecratio, tàm corporis, quàm ſanguinis, Cœnam o
Domini ſignificat; duplex ſignum crucis, ſemèl ſuper hoſtiam, & ſemèl ſuper calicem, innuunt, quod pro duobus po- p
pulis Chriſtus Dominus paſſus eſt, nempè Iudaico, & Gentili; aut quia per Paſſionē ſuam, tàm animam, quàm corpus noſtrū copioſa ſatisfactione redemit.

§. XI.

Quare poſt Conſecrationem eleuatur à Sacerdote hoſtia, & Calix.

ELeuatio verò, tàm hoſtiæ, quàm calicis, eleuationē crucis, & Chriſti in ea crucifi- q
xi ſignificat, quæ eleuatio fit pluribus de cauſis; Primò, vt cuncti aſtantes illud videant, & petant, quod proficit ad ſalutem, iuxtà illud *Io:12.v.32.* r
Ego ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum. Secundò ad notandum, quod non eſt aliud dignum ſacrificium, immò eſt ſuper omnes hoſtias; Tertiò exaltatio Eu- s
chariſtiæ in manu Sacerdotis, ſignificat Chriſtum verum panem, per Prophetas in Scripturis exaltatum, quoniam ſcilicet eius Incarnationem prophetauerunt; & hunc cibum fore cæteris excellentiorem, ſi- t
militer de potu; Quartò ſignificat reſurrectionem; Quintò hoſtia eleuatur, vt populus non præueniens conſecrationem; ſed ex hoc cognoſcens illam factam eſſe, & Chriſtum v
ſuper Altare veniſſe, ad terrā proſternatur, & corde, & ore adorent, iuxtà illud ad *Roman.* 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*.

Diuus Bonauentura: *Multis de cauſis eleuatur corpus Chriſti, ſed inter cætera accipe iſta quatuor. Primò ad oſtendendum potentiam Dei, quæ ad prolationem verborum conſe-* x
crationis, panis in corpus Chriſti mutatur; & hæc eſt mutatio

dexteræ excelſi, & tranſcendit
omnem ſenſum . Eleuat ergo
Sacerdos corpus Chriſti, quaſi
dicat, priùs vidiſti panem in
Altari, ſed modo, conſecratione
peracta, videte verum corpus
Chriſti; ſi ergo Deus tàm poten-
ter potuit talem mutationem fa-
cere, potens eſt, & nos mutare de
culpa ad gratiam, & poſtmodũ
y *ad gloriam. Secundò ad oſten-*
dendum Dei ſapientiam; mira
enim, & inenarrabili ſapientia
ſe oſtendit Chriſtus nobis inuo-
lutum, de qua inuolutione Iſa-
ias 45. Verè tu es Deus abſcon-
ditus. Tertiò ad oſtendendam
z *Dei largitatem, quæ enim ma-*
ior largitas, quàm vt homo mã-
ducet panem Angelorum, quaſi
dicat Sacerdos; O fideles Chri-
ſti, gaudete, & aſpicite, hæc enim
eſt cœleſtis præbenda Angelo-
rum, quàm nobis tranſmiſit lar-
giſſimus Rex Cœlorum, vt omni
gratia, & benedictione re-
pleamini, & hoc tangitur ibi (vt
quotquot ex hac Altaris parti-
cipatione, vſque ibi, omni bene-
dictione cœleſti, & gratia re-
pleamur). Quartò ad oſtendẽ-
a *dam bonitatem Chriſti; Quæ*
enim maior bonitas, quàm quod
Chriſtus dignatur captiuus eſſe
in Altari? Vndè ipſe dicit in
perſona Ieremiæ Prophetæ, cap.
26. v. 14. Ecce ego in manibus
veſtris ſum, quod bonum, & re-
ctum eſt in oculis veſtris, facite
mihi. Nota, quod dum aliquis
Dux, propter ſuos, captiuus te-
b *netur, nõ dimittitur, niſi det ma-*
gnam pecuniam; Sic nos nec
Chriſtum captiuum dimittere
debemus, niſi remiſſionem pecca-
torum nobis tribuat, & Regnum
cœleſte ab eo accipiamus. Eleuat
ergo Sacerdos corpus Chriſti in
c *Altari, quaſi dicat, ecce, quem*
totus Mundus capere non po-
teſt, captiuus noſter eſt; ergo eum
non dimittamus, niſi quod peti-
mus priùs obtineamus. Huc vſque D. Bonauentura.

§. XII.

De verbis, quæ dicit Sacerdos poſt Conſecrationem Calicis.

POſt conſecrationem calicis Sacerdos dicit: *Hæc quo-*
tieſcumque feceritis in mei me-
moriam facietis; quæ verba ha-
d bentur *Lucæ 22. verſ. 20. Hoc*
facite in meam commemoratio-
nem, quaſi diceret Apoſtolis
Chriſtus Dominus, conſecra-
te, ſacrificate, panem, & vinum

tranſuſtantiate, comedite, ſicut ego eadem conſecraui, ſacrificaui, tranſubſtantiaui, comedi; item Sacerdotes ordinate,& Epiſcopos, qui iugiter continua ſucceſſione idem faciant, vſque ad finem Mundi, ſicut ego nũc vos,hac de cauſa,Sacerdotes,& Epiſcopos inſtituo, & ordino, ſic docet, & determinat Concilium Trid. *ſeſſ.22.cap.1.*

In meam commemorationem; hoc eſt in conſecratione, & e
ſumptione Euchariſtiæ commemoretis, vt ait Paulus 1. *Corinth.cap.*11. *verſ.*25. & annuncietis mortem meam. Nec enim Sacerdotes conſecrantes iubentur, hic, meminiſſe dumtaxàt mortis Chriſti, ſed eandem populo Chriſtiano in memoriam reuocare, vt tanti beneficij, tantæque Chriſti dignationis,& Redemptionis iugiter ſint memores,& grati, ac per eam omnem à Deo gratiam poſtulent, & obtineant.

§. XIII.

De lumine accenſo, Campanula, quæ pulſatur, & incenſo, quod adoletur ad eleuationem Sacramenti.

Ex decreto Gregorij Noni anno 1240. in eleuatione, tàm hoſtiæ, quàm calicis campanula pulſatur & f
colligitur hoc ex veteri Teſtamẽto,nàm Leuitæ, tempore ſacrificij, tubas clangebant argenteas; vt eiuſdẽ ſonitu populus præmonitus, eſſet ad adorandum Dominum preparatus; vbi meditari poteſt tuba lacrymoſa Pilati ſententiam contra Ieſum populo manifeſtans.

Accenditur lumen quando g
eleuatur Sacramentum, ſimiliter cum ad infirmos portatur, non vt tenebras aeris, ſed cordis illuminent; cum fortè Sol,eodem tempore,rutilet, & vt proximis opera lucis oſtendant; atque ad ſignum lætitiæ, & reuerentiæ demonſtrandum, vt ſub typo luminis corporalis, illa lux oſtendatur, de qua in Euangelio legitur, *Ioann.* 10. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* De genuflexione Sacerdotis in adoratione corporis,& ſanguinis Chriſti dictum eſt ſuprà c. 7.§.2. vbi de genuflexione Sacerdotis,&c.

Ordo Romanus ſic habet. Thuriferarius genuflexus in h
cornu Epiſtolæ ter incenſat hoſtiam cum eleuatur, & ſimili-

li-

liter calicem,poſito incenſo in thuribulum abſq; benedictione;non benedicitur incenſum, ad maiorem reuerentiam Sanctiſſimi Sacramenti,à quo omnis benedictio; quod autem Sacramẽtum thurificetur; hoc propriè Deo conuenit, ſicut dictum eſt,cap.9.litt. Q. de incenſo benedicendo, igitur Chriſto Sacramentato, qui Deus, & homo eſt, iure debetur.

§. XIV.

De coniunctione digitorum Sacerdotis.

i Poſt conſecrationem corporis, pollices,& indices Sacerdotis ſtringuntur ad inuicem, vſque ad ablutionem digitorum, nec diſiunguntur, niſi quando oportet hoſtiam tangere,ſic Ordo Romanus, & K hoc propter quinque; primò ob reuerentiam tanti Sacramenti, ne ſcilicet aliquid tangant, poſt tactum corporis Chriſti; ſecundò in ſignum, l quod in hoc Sacramento ſecũdus accedit ad primum, ideſt Filius obedit Patri, & ideò ſubditur,*Tàm Beatæ Paſſionis*; m tertiò ad oſtendendum, quod fideles fide, & deuotione tangentes Sacramentum, debent eſſe charitate coniuncti, & ſicut quandoque digiti in tangendo Sacramentum ab inuicem diuiduntur,ſic,& fidelium n operationes in hac vita, cum expedit, ſeparantur; quandoque enim per contemplationẽ ad ſpiritualia eleuantur, & quandoque mundanis neceſſitatibus temporalia adminiſtrant; quartò,quod corporis, o & ſanguinisChriſti Sacramento mens, & corpus Sacerdotis inſeparabiliter debent eſſe affi- p xa; quintò ſtringuntur ne eos puluis maculet, vel particula hoſtiæ illis adhærens cadat.

CAP. XXXV.

De Oblatione Sacrificij,& cæteris Sacri Canonis partibus.

Vndè, & memores Domine nos ſerui tui, ſed & plebs tua ſancta, eiuſdem Chriſti Filij tui Domini noſtri,tàm Beatæ Paſſionis,necnon ab Inferis reſurrectionis,ſed & in Cœlos glorioſæ Aſcenſionis; offerimus præclaræ Maieſtati tuæ de tuis donis, ac datis, iungit manus,& ſignat ter ſuper hoſtiam,

&

& calicem , *Hoſtiam puram* †
hoſtiam ſanctam † *hoſtiam im-
maculatam* † ſignat ſemèl ſu-
per hoſtiam,& ſemèl ſuper ca-
licem, *Panem ſanctum vitæ æ-
ternæ*, † *& calicem ſalutis per-
petuæ*. †
Tria ſibi commemoranda, q
hic proponit Eccleſia , videli-
cet Chriſti Paſſionem, ab Infe-
ris Reſurrectionem,& in Cœ-
los glorioſam Aſcenſionem ;
prima excitat charitatem , ſe-
cunda corroborat fidem,tertia
lætificat ſpem . De prima di-
citur *Roman.8.verſ.32.Proprio
filio ſuo non pepercit Deus* , *ſed
pro nobis omnibus tradidit illũ.*
De ſecũda dicitur 1.*Cor*.15.*v*.
22. *Sicut.n.in Adam omnes mo-
riuntur*, *ità & in Chriſto omnes
viuificabuntur.* De tertia dici-
tur *Pſ*.67.*v*.19. *Aſcendiſti in
altum cæpiſti captiuitatem* , *ac-
cepiſti dona in hominibus* . Et
Ioann. 12. *v*. 26. *Vbi ego ſum* ,
illic, *& Miniſter meus erit*.Sa- r
cerdos eleuat manus, vſque ad
humeros in ſignũ, quod Chri-
ſtus *Eleuatis manibus fereba-
tur in Cœlum*, *Luc*.24. *verſ*.50.
In aliquibus Eccleſijs Sacer- s
dos priùs in modum crucis
extendit brachia , poſteà parũ
ad ſe trahit,& erigit,tertiò ele-
uat . Primum in memoriam
Chriſti crucifixi,ſecundum in
ſignum , quod ſurrexit à mor-
tuis, tertium, quod in Cœlum
aſcendit ; ſed Ritu Romano t
parum extenduntur manus vſ-
que ad humeros, vt geſtu mo-
derato repræſentetur Chriſti
Paſſio, Reſurrectio,& Aſcẽſio.
*Offerimus præclaræ Maieſta-
ti tuæ* . Nàm quod populus v
agit voto , Sacerdos peragit
myſterio,*De tuis donis*,ideſt de x
frugibus ſegetum,& hoc quã-
tum ad panem,qui conſecratus
eſt in carnem ; *Ac datis*, ideſt y
de frugibus arborum , & hoc
quantum ad vinum , quod eſt
conſecratum in ſanguinem; de
his inquam, & illis offerimus ,
Hoſtiam puram † *Hoſtiam sã-
ctam* † *Hoſtiam immacula-
tam* † , ideſt Euchariſtiam z
immunem ab omni culpa o-
riginali , veniali , & crimi-
nali ; *Vel puram* , quantum ad a
cognitionem , quaſi puro cor-
de, vel pura mente; *Sanctam*,
quãtum ad loquutionem; *Im-
maculatam* , quantum ad ope-
rationem, *Panem Sanctum*,ſci- b
licet ſanctificantem , datorem
vitæ æternæ, quantum ad ſtolã
carnis , *Et calicem ſalutis per-
petuæ*, quantum ad ſtolam ani-
mæ,

mæ, vel dicitur *Panis vitæ æ-*
c *ternæ*: quia eſt refectio Angelorum, *Et Calix ſalutis perpetuæ, &c.* quia eſt refectio hominum.

Hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, &c. hoc dicens Sacerdos guinarium crucis ſignaculum
d imprimit ſuper hoſtiam, & calicem; ſignificans quinque sẽſus corporis Chriſti, qui verè, & realitèr in Paſſione, & cruce patiebantur, vt dictum eſt ſuprà, §.4. lit. F. cum Diuo Bonauentura, vel innuũt quinque Chriſti plagas; tres primæ cruces Sacerdos facit communiter ſuper hoſtiam, & calicem; duas aliàs vnam ſuper corpus, alteram ſuper calicem, ſepara-
e tim, quæ animam Chriſti ſeparatam à corpore ſignificant; vel corporum, & animarum iuſtorum immortalitatem, per corpus, & ſanguinem Chriſti, in crucis patibulo, Sanctis donatam.

§. I.

Quid innuunt Crucis ſignacula ſuper Corpus, & Sanguinem Chriſti.

CVM plenè, & perfectè ſit conſecratio celebrata, nec poteſt vlterius deteriorari, vel meliorari, & Sacerdos vlterius vtitur ſuis, non Chriſti ſermonibus, *de conſec. diſt.* 11. *panis eſt.* Quæritur, quare ſuper Euchariſtiam, adhùc benedictionis ſignum, imprimitur.

Super hoc dicunt quidam,
f *de conſec. diſt.* 11. *vtrum.* Quod hoc prouenit anguſtia temporis, quia Sacerdos non poteſt multa ſimùl proferre, & agere; & ità loquitur, & agit, ac ſi tẽpus ſtaret, & eſſent adhùc facienda, quæ in principio ſermonis nondum erant facta, & verba, & ſigna non ad tempus ſuæ probationis; ſed ad conceptionem loquentis, ſunt referenda. Innocentius Tertius
g dixit, quod in Canone, aliud verba ſignificant, aliud ſigna protendunt; nàm verba principaliter ſpectant ad Euchariſtiam conſecrandam, ſigna verò ad hiſtoriam recolendam; nàm verbis vtimur ad conſecrandum panem, & vinum, in corpus, & ſanguinẽ Ieſu Chriſti. Signis vtimur ad recolendum ea, quæ per hebdomadam antè Paſcha geſta ſunt circa Chriſtum Dominum. Patet ergo, quod quantum ad ordinem Euchariſtiæ conſecrandæ,

ca-

caput illud, *Qui pridiè quàm patcretur* in fineCanonis ſubijci debuiſſet, quia in eo conſecratio conſumatur, ſed quoniã impediſſet ordinem hiſtoriæ recolendæ, quia quod fuit ge- h
ſtum in medio poneretur in fine; prouidus Canonis ordinator, vt ordinem ſeruaret hiſtoriæ, quaſi quadam neceſſitate compulſus, caput illud, *Qui pridiè*, *&c.* quaſi cor Canonis in medio collocauit; vt quæ ſequuntur, intelligantur præcedere, ſecundùm illam figurã, quæ ſæpè fit, vt quæ narratione ſuccedunt, intellectu præ- i
cedant; vel potiùs, vt tàm litteræ, quàm hiſtoriæ ſuus ordo ſeruetur; dicant itàque, quod ſigna pertinent ad hiſtoriam Paſſionis recolendam, quia illæ quinque cruces, quæ ſuper Sacramentum fiunt ſignificant quinque ſenſus, qui tunc, re vera, patiebantur in Chriſto, vel quinque eius plagas, vt dictum eſt; ſed verba non pertinent ad Euchariſtiam conſecrandam, ſed potiùs conſecratam.

Inſuper, ſecundum aliquos, K
Sacerdos, quatenus gerit perſonã Chriſti ſacrificantis, quodãmodò quaſi maior eſt Chriſto ſacrificato; in omni enim ſacrificio, Sacerdos maior eſt ſua victima, quàm offert; ſic ergo Sacerdos poteſt dici, quod benedicat Chriſto, non in ſe, ſed prout eſt victima noſtra; poſcit enim per has benedictiones, vt Chriſtus in ſe benedictus; fiat pro ſe ipſo Sacerdote, & pro omni populo Chriſtiano, victima ſalutaris, et benedicta; & in hoc ſenſu eſt illud Apoſtoli, *ad Heb.7. v.7. Sine vlla autem contradictione*, *quod minùs eſt à meliore benedicitur*. Græcè habetur, maiore, digniore, ità Oſorius, & plures moderni.

Vel poteſt dici, ſecundum l
quod dictum eſt ſuprà. Propriè non ſunt benedictiones, ſed crucis efformationes, & adhibentur à Sacerdote, non vt ipſi Chriſto benedicat, ſed ad repræſentandum myſteria Paſſionis Chriſti, & per eas, quaſi per cœremonias petit tacitè à Deo Sacerdos, vt per ipſum Chriſtum crucifixum (victimam noſtram) ipſe Deus, ſibi, & populo Chriſtiano benedicat; & ſecundum hoc affirmari poteſt, quod efformationes illæ ſanctæ crucis ſu- m
per corpus, & ſanguinem

Chri-

Chriſti, ſunt Trophæorum ſigna, & victoriæ triumphalis inſignia, quæ per crucis myſterium, ipſe Chriſtus in Paſſione reportauit de Diabolo, de peccato, & Mundo vniuerſo; Sicut enim Reges in triumphis ſolent ducere ante ſe ſigna, & trophæa victoriæ ad ſolemnitatis pompam triumphalem; ſic vtique Chriſtus in ſacrificio Miſſæ; Miſſa enim eſt ipſa ſolemnitas victoriæ per Paſſionem Chriſti reportatę, vt inquit Diuus Chryſoſtomus *homil.* 21. *in Act. Sanè hic trophæorum, & celebrandæ victoriæ tempus eſt, quoties enim, inquit Apoſtolus, manducabitis panem hunc mortem Domini annunciabitis*. Ergo in ipſa ſolemnitate triũphi, quæ eſt ipſa Miſſa, præcipuè poſt conſecrationem corporis, & ſanguinis Chriſti, ipſa ſigna victoriæ triumphalis extolluntur. Et hæc ſunt illæ crucis efformationes factę à Sacerdote ſuper corpus, & ſanguinem Chriſti.

n In quo notandum, quod Sacerdos per ſeptem vices in toto Canone efformat ſigna crucis quinquies quinq; quę vigintiquĩq; ſigna crucis numerantur. (ſumendo Canonem *à te igitur*, vſque ad *Per omnia ſæcula ſæculorum*, quod dicit Sacerdos, alta voce, antè præfationem orationis Dominicalis, ſecundùm probabiliorẽ ſententiam) prima enim vice in principio Canonis, dicendo: *Hæc dona, hæc munera, &c.* facit Sacerdos tres cruces ſuper oblatam, & calicem. Secũda vice dicendo, *Benedictam aſcriptam, &c.* facit tres cruces ſuper oblata, & alias duas, vnã ſuper hoſtiam, & aliam ſuper calicem. Tertia vice facit duas cruces, vna ſuper hoſtiam, & alteram ſuper calicem, antè conſecrationem corporis, & ſanguinis. Quarta autem vice format quinque cruces poſt cõſecrationem, tres ſuprà corpus, & ſanguinem, & duas, vnã ſuprà corpus, & alteram ſupra ſanguinem, dicendo: *Hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, &c.* Quinta vice facit duas cruces, vnam ſupra corpus, & aliam ſupra ſanguinem, dicens: *Sacroſanctum Filij tui corpus, &c.* Sexta vice tres cruces efformat ſuper oblata, dicens: *Sanctificas, viuificas, &c.* & deniquè ſeptima vice facit quinque cruces, tres cum corpore

Chriſti ſupra ſanguinem, dicens: *Per ipſum, cum ipſo, &c.* & duas verſus pectus ſuum, cum dicit: *Eſt tibi Deo Patri, &c.* ſignum crucis, quod facit Sacerdos ſignando ſeipſum, quando dicit, *Omni benedictione cœleſti, & gratia repleamur*, nequaquam cum iſtis numeratur, quia non eſt, neque ſupra corpus, neque ſupra ſanguinē. ſuper iſtum numerum, quinquies quinque, conſiderari poteſt illud, quod dictum eſt cap. 10. lit. C. & D. de thurificatione Altaris. Nàm quinquies quinque formantur in Canone ſigna ſanctæ crucis ad honorem quinque plagarũ Chri- o
ſti, quæ ſunt triumphalia ornamenta, imò victoriæ inſignia mortis, & paſſionis Chriſti Domini; nàm per quinque vulnera Chriſtus in cruce triumphauit, & mortem ſuperauit in æternum; quinquies quinque extolluntur, ſiuè formantur ſigna crucis in toto Canone, ad ſuperabundantiam triumphalis gloriæ, lætitiæ, & exultationis totius Curiæ triumphantis, & militantis; imò totius Trinitatis, cuius honor, & gloria, per ſanctæ crucis vexillum, & per ſacroſancta quinque vulnera Saluatoris in toto Mundo, exultatione ſolemni, manifeſtatur, & reuerenter colitur, imò triumphat ſemper de omni iniquitate, & peruerſitate Diaboli.

Per ſeptem vices formantur p
ſacroſancta ſignacula crucis ad notandum ſeptiformis gratiæ Spiritum, quæ requiruntur in dignè ſuſcipientibus, & miniſtrantibus hoc Diuinum myſterium, & Sacramentum; vel ſeptenarius numerus innuit ſeptem ordines, quibus ab Epiſcopo initiatur Presbyter, vt q
poſſit hoc ritè celebrare myſterium, per iſtas ſeptem vices formantur cruces in numero ternario, & binario, (præterquā in conſecratione corporis, & ſanguinis Chriſti, vbi ſemèl formatur ſignum crucis in cõſecratione corporis, & ſemèl in conſecratione ſanguinis, vt dictum eſt ſupra) nàm numerus ternarius Sanctiſſimæ Tri- r
nitatis innuit fidem, numerus verò binarius dilectionē Dei, & proximi; hanc fidem, & dilectionem debent omnes habere, qui huius Sacramenti ſuauitatem guſtare deſiderant.

Inſuper numerus ternarius, s
& binarius. Primus innuit tria

in

in hoc Sacramẽnto, videlicet formam viſibilem panis, & vini, veritatem corporis, & ſanguinis Chriſti, & virtutem ſpiritualem vnitatis, & charitatis. Secundus innuit duplicem modum ſumendi hoc myſteriũ, ſcilicet ſacramẽtalem ſub ſpecie panis, & vini, & ſpiritualem in fide cordis.

Innocentius Tertius *lib.* 4.
t *c.* 11. *in expoſition. Miſſæ*, inquit, quod in ordine ad hoſtiam, & calicem in Canone fiunt vigintiquinque ſigna crucis, ideſt quinquies quinque propter duo. Primò, quia ſicut hic numerus per ſe ductus, ſemper in ſeipſum reducitur, ſi ducatur in infinitum, ità Euchariſtia quantumlibet multiplicetur, ſemper eſt idem ſacrificium. Secundò, quia quinque ſenſus noſtri per fre-
v quentiam huius Sacramenti perficiuntur; nàm non ſolùm in hoc Sacramento quinque ſenſus corporales in actu meriti per fidem exercentur, videlicet viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus circa colorem, ſaporem, odorem, fractionem, & ſumptionem, in quibus omnibus fides ſuprà ſenſus corporis præſtat aſſenſum; ſed etiam quinque ſenſus ſpirituales animæ rationalis, & fidelis
x exhuberant, & ſanctitatis obtinent apicem, videlicet, viſus intelligentiæ, auditus obediẽtiæ, odoratus diſcretionis, guſtus dilectionis, & tactus operis. Itàque quaſi bonus mercator euangelicus, & phœnerator pijſſimus dicat Chriſto
y Domino in exitu mortis ſuæ fidelis Chriſtianus, & omnis Sacerdos, *Matth.*25.*ver.*20. *Domine quinque talenta tradiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum.* Et Dominus ei gratioſè reſpondeat, *verſ.*21. *Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.*

§. II.

De proſequutione Canonis.

SAcerdos optans à ſummo
z Deo ſacrificium acceptari, ſubdit: *Suprà quæ propitio, ac ſereno vultu reſpicere digneris: & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ: & quod tibi obtulit Sum-*

mus Sacerdos tuus Melchiſedech, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.

Sereno vultu, nempè aſpectu placabili; non quod vultus Dei mutetur aliquandò; ſed tunc Deus vultum ſuum ſuper nos ſerenat, cum miſericordiam ſuam exhibet, *Pſ. 66. v. 2. Illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.* Vndè verba hæc referuntur ad offerentem, & actionem oblationis noſtræ, vt nimirùm dignè, & cū Eccleſiæ vtilitate offeratur ſacrificium.

Sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, &c. Hoc autem aduerbium *ſicuti*, ſimilitudinem, non quātitatem exprimit, multò quippè acceptiùs eſt hoc ſacrificiū Deo, eis, quæ obtulerunt Abel, Abraham, Melchiſedech: quia valet magis res, quàm vmbra, veritas, quàm figura; ſimiles illis ſunt Sacerdotes, ſi rectè offerentes, rectè diuidat; quod Cayn, quia non egit, peccauit, nàm ſua obtulit Deo, ſed ſeipſum ſibi retinens, cor ſuum Deo ſubtraxit, ergo malè diuiſit. Abel autem acceptus Deo, intus in corde obtulit holocauſtum: quia ſe ſibi non retinuit, ſed Deo totum ſe ſubdidit, & impendit, & ideò dicitur, *Geneſ. 4. v. 4. & 5. Reſpexit Dominus ad Abel, & munera*
a *eius; ad Cayn autem, & munera illius non reſpexit.*

Priùs enim ad Abel, & po- e
ſteà ad munera: quia non offerens à muneribus, ſed munera ab offerente placuerant. Similiter Abraham (quod vt clientes nos imitaremur) paternos ab illo Deus exigit affectus: *Tolle filium tuum vnigenitum, quæ diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque*
b *ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum Montium, quem monſtrauero tibi, Geneſ. 22. v. 2.* Melchiſedech autem, niſi ſe priùs acceptum Deo ſacrificiū obtuliſſet, futurorum cauſas minimè præuidiſſet, quorum intuitu, myſticum panis, & vini obtulit ſacrificium, *Geneſ. 14. v. 18. Erat enim Sacerdos*
c *Dei Altiſſimi*. Nominantur f
iſti tres Patres veteris Teſtamenti, quia illi, & eorum ſacrificia, ſpecialiùs cæteris, hoc Sacramentum prę̨ſignauerunt; Quid enim per manus Abel offerentis de primogeni-
d tis gregis, niſi Chriſtus primogenitus in multis fratribus ex-

pri-

primitur, qui malitiosè occi-
ſus eſt à populo Iudæorum, ſi-
cut ille inuidiosè à fratre ſuo;
Ipſe eſt Agnus Dei, qui occi-
ſus eſt ab origine Mundi, *A-*
pocal. 5. ideſt ſecundùm diui-
nam prædeſtinationem. Quid
g per ſacrificium Abrahæ, dile-
ctum,& vnicum Filium offerẽ-
tis, niſi Chriſti paſſio deſigna-
tur, de quo Apoſtolus *ad Rom.*
8.*v.*32.*Proprio Filio non peper-*
cit Deus, ſed pro nobis omnibus
tradidit illum. Et *Matth.* 17.
v. 5. *Hic eſt Filius meus dile-*
ctus, in quo mihi benè compla-
h *cui.* Oblatio quoque Melchi-
ſedech, tàm propè nouum ſa-
crificium præſignauit, vt indè
prædictum ſit, *Tu es Sacerdos*
in æternum ſecundùm ordinem
Melchiſedech, Pſalm. 109. Qui
ſecundùm Apoſtolum *ad Heb.*
7.*verſ.*3. *Aſſimilatus Filio Dei,*
manet Sacerdos in perpetuum.
i Abel dicitur puer, non tàm à
pueritia, quàm à puritate, ſe-
cundùm illud *Matt.* 12.*verſ.*
18. *Ecce puer meus electus,*
quem elegi ponam ſuper eum
ſpiritum meum; Abraham dici-
K tur Patriarcha, non tàm Iſrae-
liticæ plebis, quàm populi
Chriſtiani, illius per carnem,
huius per fidem, ſecundùm il-
lud: *Nequaquam vocaberis A-*
bram, ſed Abraham, quia pa-
trem multarum gentium conſti-
tui te, Geneſ. 17. Melchiſe-
dech interpætatur Rex Iuſti-
l tiæ, deindè Rex Salem, hoc
eſt pacis, propter illud, quod
legitur *Pſalm.* 71. *Orietur in*
diebus eius iuſtitia, & abundã-
tia pacis, donec auferatur Luna.
D.Bonauentura, *Chriſtus dici-*
tur hic Abel, ratione innocentiæ;
Abraham, ratione obedientiæ;
Melchiſedech, ratione clemen-
m *tiæ, ac ſanctitatis eximiæ. San-*
ctum ſacrificium, immaculatam
hoſtiam, addidit hoc Leo Papa
Primus, qui magnus ab omni-
bus vocatur.

§. III.

De ſupplicatione Sacerdotis ad Deum.

PRofundè inclinatus Sa-
cerdos iunctis manibus,
& ſuper Altare poſitis dicit:
n *Supplices te rogamus, omnipo-*
tens Deus: Iube hæc perferri per
manus Sancti Angeli tui in ſu-
blime Altare tuum in conſpe-
ctu Diuinæ Maieſtatis tuæ,
vt quotquot, oſculatur Altare,
Ex hac Altaris participatione

Sacroſanctum Filij tui Cor-
pus, † *& Sanguinem* † *ſumpſe-*
rimus: iungit manus, & ſignat
ſemèl ſuper hoſtiam, & ſemèl
ſuper calicem, & vltimò ſeip-
ſum. *Omni benedictione cæle-*
ſti,& gratia repleamur. Per eũ-
dem Chriſtum Dominum no-
ſtrum. Amen.

Quia Chriſtus in Horto Pa- o
trem orans procidit in faciem
ſuam, ideò Sacerdos profundè
ſe inclinans, orat; vel emiſſio-
nem ſpiritus Chriſti, huiuſmo-
di inclinatio ſignificat, vt di-
ctum eſt cap.7.§.1.litt.R. & S.

Vt quotquot ex hac Alta-
ris participatione, &c. oſcu- p
latur Altare Sacerdos, quod,
oſculum proditoris, poſtquam
Dominus ab oratione ſur-
rexit, repræſentat. Quidam
ter oſculantur Altare, agen-
tes gratias Trinitati, quæ, q
per Paſſionem Domini, genus
reconciliauit humanum. Alij
bis, ad notandum geminam in
Chriſto naturam, ſeu ipſum in
anima, & corpore paſſum;
Quia verò [*in angonia proli-*
xius orabat tertiò eundem
ſermonem dicens; Ideò Sacer- r
dos facit tres cruces, primam
ſuper oblatam, dicendo: *Sacro-*
ſanctum Filij tui corpus. Secũ-
dam ſuper calicem, dicendo,
Et ſanguinem. Tertiam ſignan-
do ſeipſum à fronte ad pectus,
,dum dicit, *Omni benedictione*
cæleſti; fortè propter ſudo-
rem corporalem Chriſti, cru-
cem ſignat ſuper corpus, &
propter guttas ſanguinis eius,
crucem ſignat ſuper ſangui-
nem, & quia procidit in
faciem ſuam, orãs, ideò impri-
mit crucem ſibi à frõte ad pe-
ctus Sacerdos.

Vel potiùs prima crux deſi-
gnat vincula,quibus ligatum s
eſt corpus Chriſti. Secunda
ſignificat flagella, quibus Chri-
ſtus alliſus eſt, & ſanguis edu-
ctus. Tertia verò illud, quod
expuebant in faciem eius, &
palmas in faciem eius dabant,
velantes,&c. *Matth.26.* ideòq;
Sacerdos ſignat ſe in facie ſi-
gno crucis.

Vel tertiò, crux, quæ fit ſu-
prà corpus, Martyrium Chri- t
ſti, quæ fit ſuprà ſanguinem,
Martyrium Sanctorum, quæ
duæ cruces ſignificant, quod
Chriſtus pro duobus populis,
Iudaico, & Gentili paſſus eſt.
Tertia, quàm ſibi imprimit in
facie Sacerdos, innuit, quod in
corpore ſuo Chriſtus paſſus
eſt.

Sacerdos dicendo, *Supplices,*
v *&c.* ſtat inclinatus, & manibus
iunctis, iuxtà Ritum Romanũ,
vel manibus cancellatis antè
pectus, iuxtà vſum aliorùm, ad
deſignandum, quod orationis
humilitas, per inclinationem
deſignata, tunc demùm, & non
aliàs exaudiri digna eſt, ſi ex fi-
de procedat pectoris, ideſt mẽ-
tis, fide, dico per dilectionem
operantem, quæ operatio, per
x manus intelligitur; Quia verò
quædam ſunt opera vitæ acti-
uæ, quædam vitæ contemplati-
uæ; ſed actiuæ quodammodò
cancellatim ad opera contem-
platiuæ, ſicut ſiniſtra ad dexte-
ram comparantur, eo quod
opera actiuæ vitæ ſuppoſita, ſeu
inferiora ad opera contempla-
tiuæ diſponuntur, & contem-
platiuæ ſuperpoſita, & altiora
illa perficiunt, & confirmant;
& ideò in ipſa manuum can-
cellatione, dextera ſuperponi-
tur ſiniſtræ, quod in Ritu Ro-
mano exprimitur, manibus iũ-
ctis, ponendo pollicem dexte-
rum ſuprà ſiniſtrum cancella-
tim, licet hic non ponat, eo
quod pollices, & indices ſint
coniuncti, propter tactum cor-
poris Chriſti, ſed antè conſe-
crationem, & poſt communio-
nem, quoties Sacerdos iungit
manus, ſemper cancellatim
ponit pollicem dexterum ſu-
prà ſiniſtrum. Rurſùs orat can-
cellatis manibus antè pectus,
quaſi ipſo facto dicat: *Obſecro*
te per Crucem, & Paſſionem
y *tuã, vt iubeas hæc perferri, &c.*
Cancellatio enim manuum
Paſſionem Chriſti figurat, &
dextera, per quam reſurrectio,
leuæ, per quam Paſſio deſigna-
tur, ſuperponitur, vt per hoc
Chriſti Reſurrectio à mortuis
inſinuetur.

Iube hæc perferri, &c. ſcili-
z cet vota fidelium, ideſt ſuppli-
cationes, & preces perferri,
hoc eſt præſentari; per manus
Sancti Angeli tui, nempè per
miniſterium Angelorum, qui
ſunt adminiſtratorij ſpiritus, &
vota noſtra Deo offerunt; *Quã-*
do orabas cum lacrymis, ego ob-
tuli orationem tuam Domino,
Tob. 12. *v.* 12. Ex quo apparet,
quod Angelus ſacris myſterijs
adeſt, non vt conſecret, quia
a hoc non poteſt, ſed vt oratio-
nes Sacerdotis, & populi Deo
repræſentet, ſecundùm illud
Apoc. 8. *v.* 4. *Aſcendit fumus in-*
cenſorum de orationibus Sancto-
rum de manu Angeli coram
Deo.

In ſublime Altare tuum, *&c.*, ideſt in conſpectu Di- b
uinæ Maieſtatis tuæ, ſcilicet in contemplatione Maieſtatis, & Curiæ tuæ cœleſtis. Nàm ipſe Deus dicitur Altare ſublime, *Exod.* 20. *Non aſcendes ad Altare meum per gradus*, ideſt in Trinitate non facies gradus.

Diuus Bonauentura: *In hac clauſula ſupplices, &c. quã* c
Leo Magnus compoſuit, tàm profunda, & imperſcrutabilia poſita ſunt verba, vt de eis B. Greg., quaſi de re ineffabili penitùs loquutus ſit; dicit enim ſic. Iube hæc perferri, &c. quis fidelium dubium habere poterit, in ipſa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem Cælos aperiri, Angelorum Choros intereſſe, ima ſummis ſociari, terrena cæleſtibus iungi, vnumque ex viſibilibus, & inuiſibilibus fieri? Itẽ d
alibi, vno, eodemque tempore, ac momento, & in Cælum rapitur miniſterio Angelorum ad aſſociandum corpus Chriſti, & antè oculos Sacerdotis in Altari videtur; hucuſque Gregor. Si enim Tobia orante, Angelus preces eius obtulit Deo, quantò magis, quando Chriſtus cum Sacerdote orat, & preces, & oblationes populi offeruntur in Cælum; Immò ipſe Chriſtus, magni conſilij Angelus, preces Eccleſiæ, in Miſſa, Deo Patri offert, & gratiam refert.

Porrò ſicut Diuus Auguſti- e
nus dicit, non dicitur Angelus offerre orationes Deo, quaſi tunc primò Deus nouerit quid velimus, quia Deus omnia nouit, antequam fiant, ſed quia neceſſe habet rationalis creatura temporales cauſas ad æternitatem referre, ſiuè petendo quid erga ſe fiat, ſiuè conſulendo quid faciat, aut quid, Deo iubente, implendum eſſe cognouerit, hoc nobis latenter, vel euidenter reportet.

Vel *iube hæc perferri*, ideſt f
corpus Chriſti myſticum, ſcilicet Eccleſiam Chriſti militantem, *perferri*, ideſt aſſociari cum ſublime Altari tuo, hoc eſt Eccleſia triumphanti, quæ dicitur Altare, iuxtà illud *Leuitic.* 6. *Ignis in Altari meo ſemper ardebit*, nempè feruor charitatis in Eccleſia triumphanti, & hoc per manus Sancti Angeli tui, ideſt per operationem, & virtutem Chriſti filij tui, qui eſt magni conſilij Angelus, *Iſaia* 9. Ipſe enim corpus ſuum myſticum Deo Pa-

Patri coniungit, & Eccleſiæ i
triumphanti.

Angelus magni conſilij, eſt
g Verbum Diuinum, cuius con-
ſilio Pater Mundum creauit,
& recreauit; ſublime Altare in
conſpectu Dei, eſt Chriſtus
crucifixus cum quinque vul-
neribus in ſuo corpore glo-
rioſo, in dextera Patris ſe-
dens; dicitur ſublime, quia
inacceſſibile puro homini, vel
incompræhenſibile. Igitur An-
gelus fert hæc Sacramenta in
ſublime Altare, in conſpectu
Dei, dum cicatrices oſtendens K
Patri, interpellat pro nobis
apud ipſum, hæc Sacramenta
h conficientibus; quæ verò ſint
illa, quæ petit in ſublime Alta-
re perferri, determinantur cum l
dicitur: *Vt quotquot, &c.* per hoc enim demonſtratur corpus Chriſti myſticum, quod Chriſtus quotidiè ad ſe trahit per membra; Vndè *Ierem. 3. ver. 19. Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis.* Oſculũ verò, quod hìc Altari imprimitur ſignat etiã pacem noſtri cordis; vt c.8. lit.K. dictum eſt.

§. IV.

Defunctorum Fideliũ ſuffragiũ.

SIcut Chriſtus per Paſſionẽ ſuam de hoc Mundo trãſiturus Patri ſpiritum commẽdauit; ſic & nos ſpiritus fideliũ defunctorum de hoc Mundo, per mortem migrantium, & in Fide Catholica decedentium, omnipotenti Deo commendamus, propter quod ſubdit: *Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno Fidei, & dormiunt in ſomno pacis,* iungit manus, orat aliquantulum pro ijs defunctis, pro quibus orare intendit.

Hæc coniunctio *Etiam*, continuat ſequentia proximè præcedentibus; Nàm reſpicit aliud memento, quod præcedit, in quo rogauit pro viuis, hìc autem orat pro defunctis. Orat ergo pia mater Eccleſia, non ſolùm pro viuis, verùm etiam pro defunctis, vt eos Deo Patri, ſacræ oblationis interceſſione, commendet; Certiſſimè credens, quod ſanguis ille prætioſus, qui pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorũ, non ſolùm ad ſalutem viuentium, verùm etiam abſolutionem valeat defunctorum, à pęnis illis dumtaxàt, quæ pro ſatisfactione luunt. Vndè Concilium Cabilonenſe ſecundùm *de conſecratione d.1.cap.39.* inquit:

quit: *Viſum prætereà nobis eſt, vt in omnibus Miſſarum ſolẽnitatibus, pro defunctorum ſpiritibus, loco competenti, Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non quibuslibet neceſſitatibus Dominus deprecetur; ità nimirùm nulla* m
dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino, in Miſſarum ſolemnijs, fundãtur, iuxtà illud Auguſtin. *Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas, pro omnibus, in Chriſtiana Catholica ſocietate laudamus.* Innocentius Papa ſtatuit *c.d.de nominibus*, vt an- n
tè conſecrationem hoſtiæ, non recitentur nomina defunctorum, poſſent enim populo recitari, ſed Deo, quem nihil latet, neceſſe non eſt: *Qui cum ſigno* o
Fidei, ideſt charitate, ſignum Fidei, pro charactere Chriſtianitatis accipitur, *de pœnit.diſt.* 11.*charitas*, quo fideles ab infidelibus diſcernuntur, ſecundùm illud *Apoc.7.verſ.4. Audiui numerum ſignatorum centũ quadraginta quatuor millia.*

Et dormiũt in ſõno pacis, fre- p
quentèr defunctos, dormientes appellat Sacra Scriptura, pro eo, quod ſicut dormientes euigilant, ità mortui reſurgent, vt inquit Apoſtolus 1.*ad Theſſal.* 4. *Nolo vos ignorare de dormiẽtibus, vel dormiunt in ſomno pacis*, ideſt nulla hæreſi, vel diſcordia, vel impœnitentia ab q
vnitate Eccleſię ſegregati ſunt, licet fortè aliqua cremabilia, vel correctione digna detulerint de hoc Mundo; Non eſt ergo orandum pro eis, qui ſunt r
in Inferno inferiori; quia ibi nulla eſt redemptio, & quos, pro certo, damnatos ſcimus: quia, vt dicit Auguſtinus; *Si ſcirem Patrem meum eſſe in Inferno, vbi nulla eſt redemptio, non plus orarem pro eo, quàm pro Diabolo.*

Deindè extẽſis manibus proſequitur: *Ipſis Domine, & omni-* s
bus in Chriſto quieſcẽtibus, locũ refrigerij, lucis, & pacis, vt indulgeas, deprecamur, iungit manus. *Per eũdem Chriſtũ Dominum noſtrũ. Amen.* In hoc loco Sacerdos, quorum maluerit defunctorum, debet agere memoriam ſpecialem, eodem ordine, ſicut pro viuis, non autẽ nominetenus, ſed memoritèr; hìc autem vocantur quieſcentes in Chriſto, qui in charitate mortui ſunt, habentes tamen aliqua purgabilia, eo quod nõ

be-

benè ſatisfecerint pro peccatis confeſſis, propter quod in Purgatorio deſcenderunt, vbi exiſtentes, ſuffragio indigent Eccleſiæ militantis, tanquam non habentes in re pacem, & gloriam, licet habeant in certa, & infallibili ſpe. *Locum refrigerij*, t in quo non eſt ardor pœnarum. *Lucis*, in quo non eſt obſcuritas tenebrarum, *&* *pacis*, in quo non eſt conflictus pugnarum; vel propter tranquillitatem mẽtis, contra vermem conſcientiæ eorum, qui ſalui non sũt, *Iſa.66.u.24. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

Vt indulgeas deprecamur. Per eundem Chriſtum, &c. Qui enim indulgentiam, & miſericordiam quærit, Iudicem placat, & vincit.

§. V.

De Tunſione Pectoris, &c.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miſerationum tuarum ſperãtibus, partem aliquam, & ſocietatem donare digneris, cùm tuis Sanctis Apoſtolis, & Martyribus; cùm Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anaſtaſia, & omnibus Sanctis tuis: intrà quorum nos conſortium, non æſtimator meriti, ſed veniæ, quæſumus, largitor admitte, iũgit manus Sacerdos. *Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

v Hæc oratio extenditur vſq; ad *Per omnia ſæcula ſæculorum.* proferẽdo Sacerdos *Nobis quoque peccatoribus*, paululum expreſſa voce, percuſſoque pectore, ſilentium interrumpit, repræſentans contrictionẽ, & confeſſionem Latronis in illo Dominicæ Paſſionis articulo, increpantis alterum, & dicentis: *Nos digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit. & dicebat ad Ieſũ: Domine memento mei cũ veneris in Regnum tuum, Luc.23.u.42.* Rursùs ſignificatur illud Centurionis, & illorum, qui cum ipſo erant, vt habetur *ibidem, verſ.* 47. *Videns autem Centurio, quod factum fuerat glorificauit Deum, dicẽs: Verè hìc homo iuſtus erat. Et omnis turba eorum, qui ſimùl aderant ad ſpectaculum illud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.*

tur. *Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres, quæ ſequutæ eum erant à Galilæa hæc videntes*; quos ſignificant Miniſtri, ſcilicet Diaconus, & Subdiaconus circumſtantes, qui ad hanc vocem erepti, in os Sacerdotis, vel Epiſcopi intuentur. Præmiſsa autem pectoris vnica tunſio, ſignificat illud Apoſtoli 1. *Petr. cap. 3. verſ.* 18. *Chriſtus ſemèl pro peccatis noſtris mortus eſt*, & fit tribus digitis, ſcilicet ſine pollice, & indice, vt Trinitas in vnitate notetur. Pectoris enim tunſio, pœnitentiam quoque ſignificat, vt dictum eſt cap.7. litt.L. *Peccatoribus*, licet enim omni tempore debeamus nos recognoſcere peccatores 6. *d. teſtim.* præcipuè tamen cum pro remiſſione peccatorum Sacroſanctum Myſterium celebramus: Vndè Diuus Bonauentura inquit ſic: *Multi namque ex miſericordia Dei ſine peccatis mortalibus viuere poſſunt, ſed ſine venialibus raro*; *Vndè inquit Ioannes* 1. *cap.* 1. *Si dixerimus quoniam peccatũ nõ habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*

z *Miſerationum tuarũ ſperãtibus*. Licet enim Dei vna ſit miſericordia, multi tamen ſunt effectus, qui miſerationes dicuntur. *Partem aliquam, & ſocietatem donare digneris.* Nàm x licet vnum, & idem ſit præmiũ ſingulorum, videlicet ipſe Deus, in cuius cognitione, & fruitione ſalus ęterna conſiſtit, tamen ſecundùm differentiam meritorum, alij magis, alij minùs diuina fruuntur viſione. Nàm Stella differt à Stella in claritate, *Ioann.* 14. *verſ.* 2. *In domo Patris mei mãſiones multæ ſunt.*

a *Cum Ioanne, Stephano, Barnaba, &c.* In hac ſecunda commemoratione Sanctorum y magna ex parte ſupplentur, qui de primitiuis Sanctis non videntur eſse in prima; ſed quarè Ioannes repetitur, & Stephanus ipſe ſociatus præmittitur Matthiæ, & Barnabæ Apoſtolis, ſuper hoc dici poteſt, quod Ioannes in prima commemoratione diſponitur, & cùm cęteris numeratur, propter auctoritatem Apoſtolatus; In hac autem commemoratione repetitur cùm Stephano ſociatus, propter priuilegiũ cœlibatus: *Virgines enim ſunt. hi ſequuntur Agnum quocumq; ierit, Apoc.* 14. *v.* 4. Propterea cæ-

cæteris præmittuntur. Virgini-
tas namquè Ioannis maximè
b commendatur, quia Chriſtus
in Cruce Matrem Virginem
virgini commendauit: *Et ex
illa hora accepit eam Diſcipu-
lus in ſuam, Ioann. 19. verſic.*
27. Stephani enim virginitas
ex eo maximè comprobatur;
quia ipſe deputatus eſt ſub A-
poſtolis ad miniſterium vidua-
rum, & in eo, quod fœminis
eſt præpoſitus, teſtimonium
c meruit ſinceriſſimè caſtitatis,
Act.6. Vndè Diuus Bonauen-
tura: *Ioannes Euangeliſta, licet
cum cæteris Apoſtolis ſit in prin-
cipio Canonis; nominatur tamen
hic, quia duplici priuilegio gau-
det, ſcilicet Apoſtolatus veſtigio,
& virginitatis; in veteri Te-
ſtamẽto Iacob Patriarcha dile-
d xit Ioſeph plus cæteris filijs, ei-
que duplicem hæreditatem tri-
buit, quàm tulit in arcu, & gla-
dio ab Amorrhæorum Populo,
Geneſ. 37. Et Chriſtus huic Di-
ſcipulo chariſsimo duplicem hæ-
reditatem, & honorem tribuit,
vt ſuprà. Sãcta Felicitas Mar-
tyr, & Vidua Sanctis Virgini-
bus præfertur, in quo datur in-
e telligi, ſecundùm Diuum Augu-
ſtinum, quod feruentes, & verè
pœnitentes, virgines tædioſas, &
accædioſas, exercitijs diuinis
præire conantur.*

Enumerat enim Sacerdos
Sanctos, quorum ſocietatem
f petit, nàm legalis Sacerdos, fi-
liorum nomina Iſrael habebat
ſcripta.

Octo viri, & ſeptem mulie-
res hic computantur, quia per
g hoc ſacrificium ſeptem chariſ-
mata gratiarum, & octo Beati-
tudines iunguntur in nobis, &
per ſeptem Sancti Spiritus
dona, ad octo Beatitudines
peruenitur.

*Non æſtimator meriti, ſed
h veniæ quæſumus largitor ad-
mitte,* quia non ad exigentiam
meritorum retribuis; ſed mi-
nùs puniendo, & magis remu-
nerando. *Per Chriſtum Domi-
num noſtrum*, hic non reſpon-
detur, *Amen*, tum quia Ange-
li, qui ſemper aſſiſtunt reſpon-
dent; tum quia verba ſequen-
tia iſtis coniunguntur, & ab eis
dependent, itàut nihil interpo-
ni poſſit.

*Per quem hæc omnia, Domi-
i ne, ſemper bona creas*, ſignat
ſuper hoſtiam, & calicem ſi-
mùl, dicens: *Sanctificas † vi-
uificas † benedicis, † & præ-
ſtas nobis.*

Per quem omnia, ideò dicit
om-

omnia, quia per Filium omnia
creata ſunt, *Ioan.* 1.*v.* 3.*Omnia*
per ipſum facta ſunt. Creas igi- K
tur, condendo naturam, *San-*
ctificas, conſecrando mate-
riam, *Viuificas*, tranſubſtan-
tiando creaturam, *Benedicis*,
cumulando gratiam, *Hæc om-*
nia, ſcilicet panem, vinum,
& aquam, *Semper bona creas*,
ſecundùm cauſas naturales,
Sanctificas, ſecundùm cauſas
ſacramentales, *Viuificas*, vt
tranſeant in carnem, & ſangui-
nem, *Benedicis*, vt conſeruent
vnitatem, & charitatem, vel
Creas, vt ſint, *Sanctificas*, ſibi
deputando, *Viuificas*, animan-
do, *Benedicis*, vt vtilia ſint,
Præſtas nobis, vt proſint. Et hęc
dicendo, fiunt tres cruces, in l
quibus Eccleſia primitiua re-
præſentatur, quæ fidem Tri-
nitatis ſuſcepit. Siquidem
Sacerdos dicens, *Præſtas nobis*,
Diaconus remouet pallam, &
diſcooperit calicem, ad notan-
dum, quod quando Chriſtus
emiſit ſpiritum, *Velum Tem-*
pli ſciſſum eſt à ſummo, vſque
deorſum, Mat. 27.*u.* 51. & aper- m
ta ſunt nobis, quæ priùs erant
obſcura, & in lege clauſa, ſicut
dicitur *Luc.* 18.*u.* 34. *Et erat ab-*
ſconditum Verbum iſtud ab eis.
Nàm cùm ſumpto aceto, dixit
Conſummatum eſt, tunc quod
abſconditum erat, reuelatum
eſt, ideòque cum calix diſcoo-
peritur, dicit Sacerdos, *Et præ-*
ſtas nobis.

Diuus Bonauentura, *licet*
Deus Pater in principio, ideſt in n
Filio, creauit Cœlum, & Terrã,
& omnem ornatum eorum, &
cuncta, quæ fecerat erant val-
dè bona, Geneſ. 1.*v.* 31.*tamen*
ſemper eadem bona creat, reno-
uando, quoad vinum, & panem,
quæ in Altari offerri debent.
Vndè non ſolùm à Sacerdote, ſed
etiam à Sanctiſsima Trinitate
benedicutur, & conſecrantur, &
in corpus Chriſti, & ſanguinem o
tranſubſtantiãdo, viuificantur,
ſicut patet in verbis ſequenti-
bus, ſanctificas, viuificas, bene-
dicis. Chriſtus ſua ſepultura,
terram ſanctificauit; à morte
reſurgens, mortuos viuificauit,
& benedicendo, panem cœleſtem
viuis multiplicauit; & præſtas
nobis, ideſt ſanctificationem.

Dicto, *Et præſtas nobis*, in
quibus verbis Diaconus di-
ſcooperit calicem, Sacerdos
genuflexus Sacramentum ado-
rat: tum ſe erigit, & reueren-
ter accipit hoſtiam inter polli-
cem, & indicem dexteræ ma-
nus,

nus, & cum ea ſuper calicem,
quem manu ſiniſtra tenet cir-
ca nodum infrà cuppam,ſignat
ter à labio ad labium , dicens:
Per ipſum , ✝ *& cum ipſo*, ✝ *&*
in ipſo ✝. *Per ipſum* , ideſt tan-
quam per mediatorem, *Cum*
p *ipſo*, ideſt cum coęquali, quia
ipſe eſt coæqualis Patri , *in ip-*
ſo, tanquam conſubſtãtiali,vel
in ipſo,ideſt in membris eius.

Chriſtus feria ſexta cruci-
fixus eſt ; hora tertia linguis
Iudæorum, quod narrat *Mar-*
cus 15.*ver.*13.hora ſexta,quod
narrat *Ioann.*19.*verſ.*18.*Circa*
autem horam nonam inclinato
capite tradidit ſpiritum, quod
narrat *Matth.*27. *verſ.* 50. Ad
q recolẽdam crucifixionem ho-
ra tertia factam linguis Iudęo-
rum clamantium,*Crucifige*,Sa-
cerdos facit tres cruces ſuper
oblatam , & calicem , dicens:
Sanctificas,*&c.*ad recolendam
crucifixionem,quæ poſt inter-
uallum trium horarum , facta
eſt manibus Gentilium, *Ioann.*
19.*verſ.*23. *Milites ergo cum*
crucifixiſſent eum . Sacerdos
iterum facit tres cruces cum
hoſtia ſuper calicem, dicendo:
Per ipſum, *&c.* ad deſignandũ
r autem diuiſionem carnis , &
animæ Domini morientis , fa-
cit duas cruces,cum ipſa obla-
ta,ab ore calicis, verſus pectus
ſuum,dicens:*Eſt tibi Deo Patri*
Omnipotenti ✝ *in vnitate Spiri-*
tus Sancti. ✝ In Chriſto enim
tres ſunt vnitę ſubſtantiæ,ſcili-
cet Diuinitas,Corpus, & Ani-
ma , duæ tamen , ſcilicet Ani-
ma,& Corpus fuerunt in mor-
s te ſeparatæ ; ſed Diuinitas à
neutra eſt diuiſa, ideò non tri-
bus crucibus , ſed duabus ,
mors Domini deſignatur.

Inſuper tres cruces cum cor-
pore Chriſti ſuper nudum ca-
licem, ſignificãt tres cruciatus,
t quos Chriſtus in cruce ſubſti-
nuit, videlicet paſſionem, pro-
paſſionem , & compaſſionem.
Paſſionem in corpore, propaſ-
ſionem in mente , compaſſionẽ
in corde . De prima dicitur
Pſalm. 21. *verſ.* 18. *Foderunt*
manus meas, *& pedes meos*, *di-*
numerauerunt omnia oſſa mea.
De ſecunda, *Matth.* 26. *verſ.*
38.*Triſtis eſt anima mea vſque*
ad mortem. De tertia, *Luc.* 23.
*verſ.*34.*Pater dimitte illis*, *non*
enim ſciunt quid faciunt , &
quia calix paſſionem ſignifi-
cat, vt dictum eſt , ideò Sacer-
dos facit has cruces ſuper ca-
v licem . Duæ verò , quæ fiunt
ab ore calicis , deſignant duo

Sacramenta, quæ de latere
Chriſti ſpecialiter profluxerũt,
ſcilicet aqua regenerationis,&
ſanguis redemptionis, *Ioann.*
19. verſ. 34. Vnus militum lan-
cea latus eius aperuit, & conti-
nuò exiuit ſanguis, & aqua.

Diuus Bonauentura: *Signa*
crucis, quæ fiunt ab ore calicis,
innuunt, quod qui adhærẽt Deo x
vnus ſpiritus efficiuntur cum
eo, vt inquit Apoſtolus 1. Corint.
Quod autem corpus Chriſti ſu-
prà calicem leuatur, & cum ip-
ſo calix ſignatur, innuitur, quod
mors à Chriſto ſuperatur, vita
reparatur, & gloria datur, vt
patet per ipſa verba, per ipſum,
cum ipſo, & in ipſo.

Sacerdos dicendo, *Omnis ho-*
nor, & gloria, eleuat parum ca-
licem cum corpore, & depo-
nit, quia, vt legitur *Ioann. 19.* y
verſ. 39. Venerunt Ioſeph ab
Arimathæa, & Nicodemus, &
impetratum corpus Ieſu à Pi-
lato, deponentes de cruce, ſe-
pellierunt. Sacerdos eleuans,
iſtos Decuriones repræſentat;
ipſa verò eleuatio, corporis
Chriſti de cruce depoſitionẽ,
depoſitio calicis, & hoſtiæ, col-
lationem in ſepulchro demon-
ſtrant: & nota, quod corpus
Chriſti bis fuit in ſexta feria
de terra eleuatum, ſemèl in
cruce; & de cruce depoſitum
ſuprà petram, quæ vocatur vn-
ctionis, ibi linitum aromati-
bus fuit; & ſemèl de petra ele- z
uatum, in ſepulchro conditum
eſt, primum repræſentatur in
prima eleuatione, & depoſitio-
ne hoſtiæ, & calicis immediatè
poſt conſecrationem; ſecundũ
repræſentatur hoc loco, vbi ſi-
mùl eleuantur corpus, & ſan-
guis, quia, vt aiunt aliqui; Io-
ſeph corpus Chriſti ſimùl cùm
ſanguine in ſepulchro locauit;
& quia, ſepulto Domino, Ni-
codemus ad oſtium monumẽ-
ti ſaxum magnum aduoluit;
Ideò Diaconus ſuper os cali- a
cis pallam deponit, & retroce-
dit à facie Sacerdotis, repræ-
ſentans mulieres, ſepulto Do-
mino, à monumento receden-
tes.

§. VI.

Quare Calix, & non Hoſtia cooperitur.

Dubitari poteſt, quare ca-
lix, & non hoſtia coo- b
peritur. Ad quod quatruplex
ratio aſſignari poteſt. Prima
propter periculum, quia ſan-
guis

guis faciliùs poſſet recipere immunditiam, quàm hoſtia. Secunda, quia in calice, & ſanguine magis ſignificatur paſſio
c Chriſti, quàm in hoſtia, vnde *Matth. 26. verſ. 39. Pater mi ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte*; Et in hoc Sacro Canone, in forma conſecrationis ſanguinis, ponitur actus effuſionis: *Qui pro vobis effundetur, &c.* quia ergo in calice, & in ſanguine magis ſignificatur Chriſtus mortuus, quàm in corpore, ideò ſicut, & mortuus pannis, & lapide operitur, ità & calix panno, & ſanguis in eo contentus palla cooperitur. Tertia, ſanguis in calice repręſentat corpus Chriſti in ſepul-
d chro clauſo, & ſignato; Hoſtia verò corpus Chriſti extrà ſepulchrum. Quarta, ſanguis Chriſti in calice cooperto, repræſentat corpus Chriſti in Syndone inuolutum, hoſtia verò non inuolutum.

§. VII.

De finali Concluſione Canonis.

COoperto calice, & adorato Sacramento, Sacerdos manibus hinc indè ſuper
e Altare, intra corporale poſitis, dicit intelligibili voce: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, & ſi ſolemnitèr celebrat cantat Ritu Romano. Chorus reſpondet: *Amen*. Depoſitio manuum tranquillitatem innuit cordis in proſperis, & aduerſis, vt dictum eſt, intra corporale, propter reuerentiam Sacramenti, quod tractant. Vocis exaltatio dicendo: *Per omnia ſæcula,*
f *&c.* indicat finalem concluſionem Canonis, quæ hìc habetur, ſecundùm communiorem ſententiam, & Chorus pſallentium, repræſentans fideles, reſpondet: *Amen*, ratificans, quæ ſecretò peracta ſunt. Myſticè autem exaltatio vocis innuit illud *Matth. 27. verſ. 50. Ieſus autem iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum*, reſpon-
g ſio pſallentium: *Amen*, repræſentat mulieres flentes Dominum, & alios, qui corde cōtrito mortem Ieſu lugebant, veluti quondam Abel, inuidi fratris occiſum furore, parentes eius flentes lamentabatur. De genuflexionib. Sacerdotis circa adorationem Sanctiſsimi Sacramenti dictum eſt, c. 7. §. 2. litt. C. pag. 34. & 35.

CAP. XXXVI.

Tertia Pars Miſſæ.

HIC incipit tertia pars h
Miſſæ, quæ poſtulationes includit,& durat,vſque ad collectas, ipſa enim quinque clauſulas continet; Prima eſt Præfatio, ſcilicet *Oremus præceptis ſalutaribus moniti, &c.* quàm addidit Diuus Gregorius; Secunda eſt, *Pater noſter, qui es in Cœlis,&c.* Tertia, *Libera nos quæſumus Domine, &c.* Quarta, *Pax Domini,&c.* Quinta, *Hæc commixtio, & conſecratio,&c.*

§. I.

De Præfatione.

OREmus. *præceptis ſalutaribus moniti, & Diuina Inſtitutione formati audemus dicere*, quia ergo Ieſus voce magna clamauit, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* vt habetur *Luc.23.verſ.* 46. Ideò Sacerdos, & non totus populus eleuata voce pro- i
nunciat: *Oremus præceptis,&c.* non enim dicitur ſub ſilentio, ſed palàm,quia eſt de euangelio, ad notandum, quod Chriſtus palàm loquebatur: Inſuper Dominica oratio, & Symbolum Apoſtolorum alta voce dicuntur,vt omnes illa dicant, & addiſcant, ſed tertia clauſula, ſcilicet *Libera nos, &c.* ſub K
ſilentio dicitur,ad deſignandũ, quod Chriſtus interdum à prędicatione ſiluit. Sacerdos dicens, *Pater noſter*, eleuat,& extendit manus. Primò enim deponit ſuper Altare, & deindè dicens: *Oremus præceptis ſalutaribus*, iungit manus, actus Io- I
ſeph innuens, qui ſalutaribus monitis inſtructus, erat expectans Regnum Dei, *Luc. 23.v.* 11. doctrinam autem audiendo, & meditando, in quiete mentis meditari, & audiri debet, quod iunctio, & depoſitio manuum deſignat, & quia Sacerdos, Chriſtum populum orare docentem, repræſentat, Moyſis orantis exemplo, manus extendit,& ſurſum eleuat, vt feruorem cordis,& rectam m
ad Deum intentionem oſtendat, 37. *diſt. ſi quis vult*, tres articuli, ſcilicet *Præceptis ſalutaribus, Pater noſter, Libera nos*, ſignificant tres dies Dominicę ſepulturæ, ideò dicuntur in Paraſceue.

§.II.

§. II.

De Oratione Dominicali.

HÆc oratio Dominicalis cæteras orationes antecellit propter quatuor, ſcilicet auctoritatem Doctoris, breuitatem ſermonis, ſufficientiam petitionum, & fœcunditatem myſteriorum; Primum, quia fuit Saluatoris, Apoſtolos orare docentis; Secundum, quia facilè dicitur, & profertur; Tertium, quia vtriuſque vitæ neceſſaria continet; Quartum, quia immenſa continet Sacramenta, vndè Breuiarium Euãgelij à Sanctis Patribus vocatur, nàm in ea totum Euangelium breuiter continetur.

Verum, licet Dominus ſciat quid velimus, tamen vult nos orare vocaliter propter multa. Primò pro excitanda deuotione, nàm ſicut flatus accendit carbonem ignitum, ſic pronunciatio vocalis accendit deuotionem in corde, vndè *Pſal. 65. v. 17. Ad ipſum ore meo clamaui, & exaltaui ſub lingua mea.* Secundò, pro aliorum inſtructione, & exemplo, ſicut dicitur *Matth. 15. u. 16. Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & glorificent Patrem ueſtrum, qui in Cœlis eſt*; Tertiò, pro linguæ obſequio, nàm ſicut lingua peccamus, ità eadem ſatiſfaciamus, vt inquit *Apoſtolus Rom. 6. u. 19. Sicut enim exhibuiſtis mẽbra ueſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ità nunc exhibete membra ueſtra, ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. 47. d. omnes.* Quartò, pro rei petendæ acquiſitione, quia faciliùs obtinetur, quod inſtantiùs poſtulatur, *de pœn. d. 1. importuna, 43. d. ſit rector in fine.* Vndè *Luc. 11. Petite, & accipietis; pulſate, & aperietur uobis.* Quintò, pro impetratæ rei cuſtodia, quia quod ſæpiùs requiritur, diligentiùs cuſtoditur. Vndè *Apocal. 3. u. 11.* dicitur: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

In hac oratione Dominicali oratur pro bonis adipiſcendis, temporalibus, ſpiritualibus, & æternis; pro malis vitãdis, præteritis, præſentibus, & futuris; de bonis temporalibus dicitur: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; de bonis ſpiritualibus: *Fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in terra*; de bonis æternis: *Adueniat Re-*

gnum tuum; æterna petuntur in
præmium, ſpiritualia in meri-
tum, temporalia in ſubſtenta-
culum. De malis præteritis di-
citur: *Dimitte nobis debita no-
ſtra*; de præſentibus: *Sed libera
nos à malo*; de futuris: *Et ne nos
inducas in tentationem*; præteri-
ta ſunt dolenda, præſentia ſunt
vincenda, futura ſunt præca-
uenda.

Huius orationis (præter ca-
ptationem beneuolentiæ) ſe-
ptem ſunt petitiones; prima
Sanctificetur nomen tuum; ſe-
cunda *Adueniat Regnum tuũ*;
tertia *Fiat voluntas tua*; quartá
*Panem noſtrum quotidianum
da nobis hodie*; quinta *Et dimit-
te nobis debita noſtra, ſicut &
nos dimittimus debitoribus no-
ſtris*; ſexta *Et ne nos inducas in
tentationem*; ſeptima *Libera nos
à malo*; ſic habetur *Matth. 6.
v.10. Luc.11. v.2.* hæ ſeptem
petitiones, ſecundùm Apoſto-
lum, poſtulationes dicuntur,
quarum primæ tres ſpectant ad
vitam æternam, ſiuè ad patriã;
cæteræ verò ad vitam præſen-
tem, corporalem, & ſpiritua-
lem.

Expoſitio Orationis Dominicæ.

PAter noſter, captatio bene-
uolentiæ eſt, ideò poni-
tur in principio; Pater enim
Græcè, Latinè Genitor, Hebrai-
cè Abba; Deus namquè dici-
tur Pater à patrando, ſiuè per-
ficiendo, nàm per eum omnia
facta ſunt, *Ioann.* 1. & eſt pater
generaliter, ſpecialiter, & ſin-
gulariter; generaliter omnium,
per creationem; ſpecialiter iu-
ſtorum, per adoptionem; ſingu-
lariter Verbi Diuini, per gene-
rationem. De primò dicitur
q *Epheſ.3.v.15. Flecto genua mea
ad Patrem Domini noſtri Ieſu
Chriſti, ex quo omnis Paternitas
in Cœlis, & in terra nominatur.*
De ſecundò dicitur, *Luc. 11.
v.13. Si ergo vos, cum ſitis ma-
li, noſtis bona data dare filijs
veſtris; quantò magis Pater ve-
ſter cœleſtis dabit ſpiritum bonũ
petentibus ſe*; De tertiò dicitur
*Matth.11.v.27. Nemo nouit fi-
lium, niſi Pater: neque Patrem
quis nouit, niſi Filius, & cui vo-
r *luerit Filius reuelare.* quocum-
que enim modo ſumitur, ſem- t
per amorem, ſuauitatem, &
pietatem ſpirat, ideò per ipſum
beneuolentia captatur. Per hoc
enim, quod dicit *Pater noſter*,
dehortatur nos à duobus, ſcili-
s cet à ſuperbia, ne dicamus Pa-
ter mi; quaſi reputantes pro-
prium, quod eſt commune; &

ab indignitate, ſcilicet ne reddamur indigni tanto Patre, qui conſiſtit in Cœlis. Hortatur etiam ad duo, ſcilicet ad ſeruãdam gratiam adoptionis, cum dicit *Pater*, & vnionem fraternitatis, cum dicit, *noſter*; Rursùm notatur bonitas illius, nàm Pater eſt nomen pium, & Eccleſię deuotio, quoniam Deum,
v Patrem appellat; *noſter* oſtenditur dilatatio charitatis; nàm omnes fideles fratres ſunt, filij eiuſdem Patris. Vndè D. Cyprianus: *Communis oratio eſt pro toto populo, quia totus populus Chriſtianus vnum ſumus; ſic enim vnum orare pro omnibus voluit, quomodo in vnum omnes ipſe portauit*. Solum Chriſto conuenit dicere Pater meus, qui eſt filius per naturam, fideles autem, qui ſunt filij per gratiam, non debent, nec poſſunt dicere, niſi *Pater noſter. pro ſe enim orare*, inquit Chryſoſtomus, *neceſſitas cogit; pro altero autẽ charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autem eſt antè Deum oratio, non quàm neceſſi-*
x *tas tranſmittit; ſed quàm charitas fraternitatis commendat*. Dicitur Pater, non Dominus, quia Pater parit amorem; Dominus incutit timorem; & notanter, inquit Auguſtinus: *Multa quidem dicta ſunt in laudem Dei; nuſquam tamen inuenitur præceptum populo Iſrael, vt diceret Pater noſter; ſed eſt eis inſinuatus, vt Dominus, tanquam ſeruis; ſed de populo Chriſtiano, Apoſtolus dicit Rom. 8. & Galat. 4. quod ſpiritum adoptionis accepit, in quo clamamus, Abba Pater; quod non eſt meritorũ noſtrorũ, ſed gratiæ, quã in oratione ponimus, cum dicimus Pater.*

Qui es in Cœlis. Cœlum dici-
y tur à celãdo, quia nobis celat, quæ in eo ſunt; vel à celſitudine, quia altiùs eſt terrenis rebus, ideò Chryſoſtomus: *Vt ſciamus nos habere Patrem cœleſtem, & erubeſcant ſe terrenis rebus ſubſternere, qui Patrem habent in Cœlis*, vel in Cœlis, ideſt in Sanctis, & iuſtis, vndè *Pſalm.* 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*, ideſt iuſti, & Sancti, audi D. Auguſtin. *Vel dicitur*
z *eſſe in Cœlis, ideſt in Sanctis, & iuſtis; non enim ſpatio locorum continetur Deus. Sunt quidem Cœli excellentia Mundi corpora, & ſi in eis locus Dei eſſe credatur. Melioris meriti ſunt Aues, quarum vita eſt Deo vicinior, non autem eſt ſcriptum. Propè eſt Dominus excelſis homi-*

minibus: aut eis , qui in Montibus habitant; ſed contritis corde ; ſed ſicut terra appellatur peccator, cui dictum eſt, terra es, & in terram ibis; ſic Cælum, iuſtus, è contrario dici poteſt, rectè ergo dicitur, qui es in Cælis; tantum enim ſpiritualiter intereſſe videtur inter iuſtos, & peccatores , quantum corporaliter inter Cælum , & terram , cuius rei ſignificandæ gratia , orantes ad Orientem conuertimur , vndè Cælum ſurgit; non tanquam a *Deus ibi ſit; cæteras Mundi partes deſerens; ſed vt admoneatur animus ad naturam excellẽtiorem ſe conuertere, ideſt ad Deũ, cum corpus eius , quod terrenum eſt, ad corpus excellentiùs , ideſt ad corpus cæleſte conuertitur; Conuenit etiam, vt omnium ſenſibus, & paruulorum, & magnorum benè ſentiant de Deo , & ideò cum non poſſint aliquid incorporeum cogitare ; tolerabilior eſt illorum opinio, ſi Deum in Cęlo potiùs eſſe credant, quam in terra :* Hucuſque D. Auguſtin. *de ſerm. Domini in Monte*; vbi plura de hac ſacra expoſitione.

Prima petitio : *Sanctificetur nomen tuum*; poſt præfationem, b & beneuolentiæ captationem, docet nos petere à Patre, ideſt à tota Sanctiſsima Trinitate (nàm hìc nomen Patris totam Trinitatem, ſcilicet Patrem, Filium , & Spiritum Sanctum innuit, eo quod opera Trinitatis ad extrà ſunt indiuiſa) ſanctificationem, & gloriam per noſtra bona opera, ſcilicet fidei , ſpei, & charitatis . Quatuor modis nomen Patris ſanctificatur in c Filijs, duobus in via, & duobus in patria; in via per efficientiã, & perſeuerantiam ; in patria per consũmationem, & confirmationem ; in via namque nomen Patris ſanctificatur in Filijs, quando ſanctificationis effectum operatur in eis ; vel quando ſanctificationem , quã acceperunt in nomine Patris, perſeuerat in illis. in patria verò nomen Patris ſanctificatur in Filijs , quia ſic consũmatur, & confirmatur in eis ſanctificatio , vt nunquam poſſint à ſanctificationis gratia ſeparari. Vndè D. Chryſoſtomus hic ; inquit ; *Non optamus Deo , vt ſanctificetur orationibus noſtris; ſed vt nomen eius ſanctificetur in nobis; quia enim ipſe dixit, Sancti eſtote, quoniam ego Sanctus ſum ; id petimus , & rogamus, vt qui in Baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo, quod eſſe cœpi-*

pimus, perſeueremus. Hoc de
viatoribus; de cõpræhẽſoribus
autem dicitur *Sap. 5. v. 4. Nos
inſenſati vitam illorum æſtima-
bamus inſaniam, & finem illorũ
ſine honore; ecce quomodo com-
putati ſunt inter Filios Dei, &
inter Sanctos ſors illorum eſt:* in
Cœlo namq; nomen Patris sã-
ctificatur in Filijs, quia ibi ta-
les ſunt Filij, vt Pater, Sanctus
in eis ſemper appareat; itaut
ſemper ſint viua imago San-
ctiſsimæ Trinitatis. Ponitur
ergo in prima petitione, *Sancti-
ficetur nomen tuum*, ideſt glori-
ficetur; ad noſtram doctrinam,
vt in omni opere noſtro, ſem-
per gloriam Dei primò quæ-
ramus, iuxtà illud Chriſti Do-
mini *Luc. 12. v. 31. Quærite er-
go primum Regnum Dei, & iu-
ſtitiam eius; & hæc omnia adij-
cientur vobis*. Hoc enim fit, vt
Deo ſit acceptabilis, & chariſ-
d ſima ipſa oratio, & ſicut nos
omnia poſtponimus pro Dei
gloria, ità Deus, antè omnia ad
noſtras preces reſpiciat. Vndè
D. Chryſoſtom. *Digna eſt au-
tem ad Deum deprecantis ora-
tio, nihil petere antè Patris glo-
riam; ſed omnia eius laudi poſt-
ponere*. Inſuper quotidianè di-
citur, *Sanctificetur nomen tuũ,*
quia quotidiè nomen Patris
e malis actibus offendimus, ideò
bonis actibus placare ſtuden-
dum. Vndè D. Cyprian. *in ex-
poſit. orat. Dominical. Id peti-
mus, & rogamus, vt qui in Bap-
tiſmo ſanctificati ſumus, in eo,
quod cœpimus perſeueremus, &
hoc quotidiè deprecamur; opus
enim eſt nobis quotidiana ſan-
ctificatione; vt qui quotidiè de-
linquimus, delicta noſtra ſan-
ctificatione aſſidua repurgemus.*
Idem dat modum huius ſan-
ctificationis, ſubdens ibidem:
*Quæ autem ſit ſanctificatio, quæ
f nobis de Dei dignatione confer-
tur, Apoſtolus 1. Corinth. 6. Præ-
dicans, dicit, neque fornicarij,
neque idolis ſeruientes, neque
adulteri, neque molles, neque
maſculorum appetitores, neque
fures, neque fraudatores, neque
ebrioſi, neque maledici, neque
raptores Regnum Dei conſequẽ-
tur, & hæc quidem fuiſtis, ſed
abluti eſtis, ſed iuſtificati eſtis,
ſed ſanctificati eſtis in nomine
Domini Ieſu Chriſti, & in ſpiri-
tu Dei noſtri; hæc ſanctificatio,
vt in nobis permaneat, oramus.*

Secunda petitio: *Adueniat
g Regnum tuum*. Gloſſa *Congruè
ſequitur, vt poſt adoptionem fi-
liorum, Regnum petamus, quod
ſi-*

filijs debetur. Et hoc rogamus, vt ſemper Chriſtus in nobis regnet,& non peccatum;vt paratos inueniat nos tempore mortis. Item Regnum Dei dicitur, & Eccleſia militantium, & Eccleſia triumphantium, prima, quia regitur, ſecunda, h quia regnat. Primum petimus, aduenire gratia fidei, & charitatis,ſcilicet,vt fides Chriſti in omnibus diffundatur,etiam in infidelibus,& perſeueret in ipſis, per dilectionem Dei, & proximi, ſic Hieronym. *Generaliter pro totius Mundi petit Regno, vt Diabolus regnare deſiſtat; vel vt in vnoquoque regnet Deus,& non regnet peccatum in mortali hominum corpore.* Secũdum petimus aduenire meritis Chriſti, & Paſſionis eius. Sic Chryſoſtomus. *Noſtrum Regnũ petimus aduenire, à Deo nobis repromiſſum, & Chriſti ſanguine acquiſitum; vt cui in ſæculo ante ſeruiuimus, poſtmodum Chriſto dominante, regnemus.* Et ſic Regnum ad Regnum adueniat, ſcilicet Eccleſia militantium ad Eccleſiam triumphan- i tium: Nàm ex collatione Patrum habetur, bona opera, & conſcientiam rectam, quandã moralem certitudinem futuræ gloriæ,in corda fidelium parere. Vndè Caſſianus in collationibus, inquit: *Nouit ſanctus, teſtimonio conſcientiæ ſuæ,cum apparuerit Regnum Dei, eius ſe futurum eſſe conſortem*, ideò quandam audaciam ingerit in K animo petendi poſſeſſionem Regni Cœlorum, igitur audacter dicit: *Adueniat Regnum tuum*,ſic obſeruauit Hieronym. dicens: *Attendendum eſt autem, quod grandis audaciæ ſit, & puræ conſcientiæ, poſtulare Regnum Dei; Iudicium non timere*. D. autem Auguſtin.pro l Regno Dei,donum perſeuerãtiæ intelligit abſolutè, inquit enim de bono perſeuerantiæ: *Cum autem petitur, adueniat Regnum tuum, quid orant, qui iàm Sancti ſunt, niſi vt in ea ſanctitate, quæ iàm illis data eſt, perſeuerent: neque enim aliter veniet Regnum Dei; quod his qui perſeuerant vſque in finem, certum eſt eſſe venturum.*

Tertia petitio: *Fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in ter-* m *ra.* Hoc rogamus,vt quomodo Angeli, & omnes Sancti inculpabiles Deo ſeruiunt; ità & nos abſque graui peccato ipſi ſeruiamus. Dei namque voluntas dupliciter intelligi po-

teſt,

teſt , ſcilicet beneplaciti æter-
ni,& temporalis;beneplacitum
n Dei eternum ſemper impletur,
iuxtà illud *ad Romanos 9. ver.*
19. Voluntati enim eius quis re-
ſiſtet, & *Pſalm.*134.*v.6. Omnia*
quæcumque voluit Dominus fe-
*cit in Cœlo,& in terra.*Benepla-
o citi Dei temporalis quinque
ſunt ſigna , ſcilicet præceptio,
prohibitio,promiſſio, cõſilium,
& operatio; vndè Pſaltes *Pſal.*
110.*v.*2.inquit: *Magna opera*
Domini: exquiſita in omnes vo-
luntates eius . Hoc enim Dei
beneplacitum temporale, non
ſemper adimpletur ab homini-
bus, propter libertatem arbi-
trij , ideò vt adimpleatur dici-
p tur:*Fiat volũtas tua*, ideſt ope-
re compleatur, quod præcipis,
quod conſulis,quod ſuades,nã
non ſufficit voluntas, niſi adſit
facultas; 86.*diſt.non ſatis*, hinc
D. Cyprian. inquit : *Non ergo*
petimus , vt Deus faciat , quod
vult;ſed vt nos facere poſſimus,
quod Deus vult ; quod vt fiat in
nobis , opus eſt Dei voluntate,
ideſt opere eius, & protectione;
quia nemo ſuis viribus fortis
eſt , ſed Dei miſericordia tutus .
q *Sicut in Cœlo,& in terra*,ideſt
ſicut illi, qui ſunt in Cœlo vo-
luntatem eius faciunt ; ſic nos in terra faciamus, ideſt ſicut in Angelis , ità & in hominibus; vel ſicut in perfectis ; ità & in conuerſis ; vel ſicut in Chriſto, ità & in Eccleſia, vel ſicut in mente , ità pariter in carne, vt caro non concupiſcat aduerſus ſpiritum , *ad Galat.* 5. ſed illi ſubiecta, Deo ſeruiat, ſecundũ illud *Pſ.*83. *v.* 3.*Cor meum,& caro mea exultauerunt in Deũ viuum* , ſic Diuus Auguſtinus *de ſerm. Domini in Mont. Vel* inquit,*ſicut in Cœlo,& in terra, ideſt ſicut in iuſtis, ità & in peccatoribus,tanquam ſi diceret,ſicut faciunt voluntatem tuam iuſti,ità etiam peccatores;vel ſicut in Angelis, qui ſunt in Cœlo, voluntas tua ſit,vt te perfruantur, nullo errore obnubilante eorum ſapientiam; nulla miſeria impediente eorum beatitudinem, ità fiat in Sanctis tuis , qui in terra ſunt; & de terra quantum ad corpus attinet , facti ſunt .*

Vel fiat voluntas tua , &c. Idem Auguſtin. *ideſt obediant præceptis tuis, ſicut in Cœlo , & in terra , ideſt ſicut ab Angelis, ità ab hominibus : non quod ipſi faciant, vt velit Deus ; ſed quia faciunt, quod ille vult, ideſt faciunt voluntatem eius.*

Quarta petitio : *Panem no-*

ſtrum quotidianum da nobis ho- r
die. Panis Græcè, Latinè omnis
interpretatur; vndè oramus, vt
omnipotens Pater omnem no-
bis victum ſpiritualem, & cor-
poralem omni tempore largiri
dignetur, iuxtà illud *Io: 6. v.*
34. *Domine ſemper da nobis pa-
nem hunc*: quinque enim panes
ſunt nobis neceſſarij, quatuor s
in via, quintus in patria; ſcili-
cet corporalis ad ſubſtentatio-
nem, ſpiritualis ad informatio-
nem, doctrinalis ad eruditionē,
ſacramentalis ad expiationem,
& æternalis ad fruitionem. De
primò legitur *Matth. 4. v.4.*
Non in ſolo pane viuit homo; De
ſecundò *Luc. 11. v.6. Amice cō-
moda mihi tres panes.* De tertiò
*Prou. 9. v.5. Venite comedite pa-
nem meum.* De quartò 1. *Cor.
cap. 11. v. 7. Quicumque man-
ducauerit panem hunc, vel bibe-
ret calicem Domini indignè, reus
erit corporis, & ſanguinis Do-
mini.* De quintò *Io: 6. v. 41. Ego
ſum panis viuus, qui de Cælo de-
ſcendi.* Cum dicimus ergo *Pa-
nem noſtrum quotidianum da
nobis hodie*, omnes iſtos panes,
ſcilicet corporalem, ſpirituale,
doctrinalem, ſacramentalem,
& æternalem petimus, & dici-
tur *noſtrum*, non quod nobis
ex iuſtitia debeatur, ſed noſter t
dicitur, quia pro nobis, & pro
noſtra ſalute ſpirituali, & cor-
porali à Deo datur, hinc Diuus
Gregorius 4. Morali: *Noſtrum*,
inquit, *hunc panem dicimus, &
tamen vt detur oramus; quia
Dei eſt ex munere, & noſter ſit
per acceptionem.* Et Diuus Au-
guſtinus ad Probam. *Sic ergo
hìc ſufficientiam petimus à Pa-
tre, quæ expedit, ideſt nomine
panis, totum ſignante.*

Matth. autem cap. 6. v. 11. v
ſic habet: *Panem noſtrum ſu-
perſubſtantialem da nobis ho-
die*, quod duobus modis intel-
ligi poteſt illud *ſuperſubſtan-
tiale*, vel vna ſit dictio, ideſt ſu-
per omnem ſubſtantiam crea-
tam, & ſic intelligitur panis
Euchariſticus, vel vt ſint duæ
dictiones, quaſi diceret, da no-
bis panem noſtrum, ideſt Chri-
ſtum, qui eſt proprius cibus fi-
delium, & hoc, ſuper panem,
ideſt præter panem ſubſtantia-
lem, ſcilicet neceſſarium ad
ſubſtentationem, videlicet da
nobis vtrumque panem men-
tis, & corporis. Lyranus autē
abſolutè panem Euchariſticum
intelligit; inquit enim. *Dicitur
ſuperſubſtantialis, quia tranſcē-
dit vitam corporalem, & dat*
vi-

vitam æternam , *ſicut dicitur*
Ioann. 6. Ego ſum panis viuus,
qui de Cœlo deſcendi , *ſi quis*
manducauerit ex hoc pane vi-
uet in æternum, & petendo hoc
Sacramentum petimus omnia
alia, quæ ordinantur ad ipſum,
vt patet apud Theologos in
4.*ſent.*

x *Lucas autem cap. 11. verſ.3.*
inquit ſic: *Panem noſtrum quo-*
tidianum da nobis hodie , vbi
Lyranus inquit: *Vocat eum pa-*
nem quotidianum, quia quotidiè
ipſum ſumimus per Miniſtros
Eccleſiæ, qui hoc Sacramentum
accipiunt pro ſe , *& pro tota cō-*
munitate . vel obſeruantiam
y mandatorum Dei innuit, quæ
aſſidua eſſe debet, vt inquit
D.Auguſtin.*ſerm. Domini in*
Monte : *Vel quotidianum panē*
accipiamus ſuperſubſtantialem ;
præcepta ſcilicet Diuina , *quæ*
quotidiè oportet meditari , *&*
operari. D. Hieronymus abſo-
lutè panem Euchariſticum in-
z telligit: *Quod nos* , inquit, *ſu-*
perſubſtantialem exprimimus, in
Græco habetur æpyuſion, *quod*
verbum ſeptuaginta Interpretes
peryuſion frequētiſſimè transfe-
runt . *Conſiderauimus ergo in*
Hebræo , *& vbicumque illi per-*
yuſion expreſſerunt , *inuenimus*
ſegola ; *quod Symmacus* , *exeri-*
ton, ideſt præcipuum, vel egregiū
tranſtulit , *licet in quodam loco*
peculiarem interpretatus ſit ,
quoniam ergo petimus, vt pecu-
liarem , *vel præcipuum panem*
nobis Dominus tribuat ; *illum*
petimus , *qui dicit in Euangelio* .
Ego ſum panis viuus , *qui de*
Cœlo deſcendi.

a Quinta petitio: *Et dimitte*
nobis debita noſtra, ſicut & nos
dimittimus debitoribus noſtris .
Vniuerſalius hìc , ſecundùm
Sanctos Patres, debita, accipiū-
tur peccata, quæ nos debitores
conſtituunt ad ſatisfaciendum
Deo , pro offenſa illi facta, in
culpa commiſſa: Non enim
hìc agitur de pecuniarum de-
bitis, ſed offenſarum ; quæ ſunt
in triplici differentia ſcilicet in
Deum, in proximum, & in ſeip-
ſum. Vndè *Pſal. 105. v.6. Pec-*
cauimus cum patribus noſtris,
iniuſtè egimus , *iniquitatem feci-*
mus . Peccauimus cum patri-
bus noſtris , in Deum ; iniuſtè
egimus in proximum; iniquita-
tem fecimus in noſmetipſos ;
quia peccauimus in Deum ,
ideò petimus , vt ipſe dimittat
nobis debita; quia peccauimus
in noſmetipſos, ideò petimus,
vt dimittat nobis debita no-

ſtra;quia peccauimus in proximum,ideò petimus,vt dimittat nobis, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris;hoc pacto, b
& ea conditione nobis dimittuntur debita, ſi nos dimittimus debitoribus noſtris, alioquin etiam remiſſa reuocantur in debitum,iuxtà illud *Matth.* 18.*v.*32. *Serue nequam,omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonnè ergo oportuit, & te miſereri conſerui tui, ſicut, & ego tui miſertus ſum; & iratus Dominus eius,tradidit eũ tortoribus, donec redderet vniuerſum debitum. Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non dimiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*. Illis ergo, qui debitoribus nõ dimittunt, hæc oratio non prodeſt, ſed potiùs obeſt; vndè Chryſoſtomus in *Matth.hic*,inquit;*Cũ qua ſpe ergo orat, qui inimicitiã ſeruat aduerſus alterum, à quo forſitàn læſus eſt; Sicut enim ipſe orans mentitur; Dicit enim remitto,& non remittit; ſic & à Deo petit indulgentiam,& non illi indulgetur*. Sed quæri po- c
teſt, quid tenetur dimittere? Lyranus in littera ſic reſpondet: *Iſta tamen dimiſſio dupliciter poteſt intelligi, vno modo quantum ad offenſam,& hæc eſt neceſſitatis, quia tenemur omnes diligere ex charitate; alio modò quantum ad iniuriam, & hæc non eſt neceſſitatis,licet ſit ſupererogationis (ideſt perfectionis) ſicut enim pecuniam ablatam nõ tenetur quis auferenti dimittere; ſed petere poteſt; ſic iniuria ſibi illata poteſt recompenſationem per emendam petere, ſecundùm ordinem iuſtitiæ*. Vndè in Can. Innocentij *de pœnit. diſt.*5.*cap. final.*dicitur; *Falſa eſt pœnitentia, ſi pœnitens offenſo non ſatisfaciat, aut ſi offendenti offenſus non indulgeat*. Et in Canon. d
Fabiani 23.*q.*4. *cum in lege*, ſic habetur: *Si quis contriſtatus reconciliari noluerit fratri ſuo, ſatisfaciente eo, qui cõtriſtauit, acerrimis maceretur inedijs, vſque dum gratanti animo ſatisfactionem recipiat.*

Inſuper D. Auguſtin. etiam e
pro debitis pecuniarum hoc accipit,inquit enim: *Hoc non de pecunia dicitur,ſed de omnibus, quæ in nos quiſque peccat; ac per hoc etiàm de pecunia; peccat namque in te, qui pecuniam tibi debitam,cum habeat vnde reddere,non reddit; quod peccatum ſi non dimiſeris, non poteris dicere, dimitte nobis debita no-*

ſtra, ſicut & nos dimittimus de-
bitoribus noſtris.
f Sexta petitio: *Et ne nos in-*
ducas in tentationem, ſcilicet
diabolicam. Duobus modis
tentamur à Diabolo, interius,
& exterius. Primò, per dele-
ctationem, immutando phan-
taſiam, & cor noſtrum allicien-
do per ſpecies delectabiles, re-
mouendo noxia, & triſtabilia;
Secundò, per ſuggeſtiones ex-
ternas malorum. Prima parum
officit, ſecunda multum profi-
cit, dummodò non detur con-
ſenſus libertatis, ſed ſemper
reſiſtatur, & per exercitia ſan-
cta expellantur, ſecūdùm illud
Iacobi Apoſtoli *cap. 1. v. 12.*
Beatus vir, qui ſuffert tentatio-
nem, quoniam cū probatus fue-
rit, accipiet coronam vitæ, &c.
D. Auguſtin. *de ſerm. Domini in*
Monte: Aliud eſt, inquit, *induci*
in tentationem: aliud tentari;
nàm ſine tentatione probatus eſ-
ſe nemo poteſt; ſiuè ſibi ipſi, ſiuè
alijs; Deo autem, antè omnes tē-
tationes, quiſque notiſſimus eſt;
non enim hic oratur, vt non ten-
g *temur; ſed vt non inferamur in*
tentationem, tanquam ſi quiſ-
piam, cui neceſsè eſt, igne exami-
nari, non orat, vt igne non con-
tingatur, ſed vt non exuratur.

Inducimur enim ſi tales incide-
rint, quas ferre non poſſumus.
Idem ad Probam. *Cum ergo di-*
cimus, ne nos inducas in tētatio-
h *nem. Nos admonemur hoc pete-*
re, ne deſerti eius adiutorio, ali-
cui tentationi, vel conſentiamus
decepti, vel cedamus afflicti. Et
hoc totum eſt, vt in nobis ſem-
per excitetur timor ſanctus, &
humilitas in Deum, qui nobis
præſit ſuo auxilio, & tutela. Sic
D. Cyprian. *In quo*, inquit *ad-*
i *monemur infirmitatis, & imbe-*
cillitatis noſtræ, ne quis inſolen-
tèr extollat, vt dum præcedit hu-
milis, & ſubmiſſa confeſſio; &
datur totum Deo, quidquid ſup-
pliciter petitur, ipſius pietate
præſtetur. Et infrà: *Qua in par-*
te oſtenditur, contra nos nihil
Aduerſarium poſſe, niſi Deus an-
tè permiſerit; vt omnis timor
noſter, & deuotio cōuertatur ad
Deum.

Nota, quod tētat nos Deus,
K tentat homo, tentat Diabolus.
Deus, vt probet: homo vt ſciat,
Diabolus, vt fallat. De primò
legitur *Geneſ. 22. v. 10. Tenta-*
uit Deus Abraham. De ſecun-
dò dicitur *Daniel 1. v. 12. Ten-*
ta nos diebus decem. De tertiò
dixit Apoſtolus Petrus *Act. 5.*
v. 3. Anania cur tentauit Satha-
nas cor tuum. Se-

Septima petitio: *Sed libera nos à malo*, à triplici malo petimur liberari, ſcilicet innato, addito, & inflicto; Primum contrahitur propagatione humana, & hoc eſt peccatum originale, & eius effectus multiplex; ſecũdum committitur ex prauitate arbitrij, & hoc eſt peccatum actuale, ſiuè malum culpæ; tertium ſuſtinetur rigore iuſtitiæ, & hoc eſt malum pœnæ; vndè D. Auguſt. *ſermon. Domini in Monte*, inquit, *Orandum eſt, non ſolùm, vt non inducamur in malum, quo caremus; ſed ab illo etiam liberemur, in quod iàm inducti ſumus*. Et ad Probam. ſic inquit: *Hoc vltimum, quod in Oratione Domini-* m *ca poſitum eſt tàm latè patet, vt homo Chriſtianus in qualibet tribulatione cõſtitutus, in hoc gemitus edat, & in hoc lacrymas fundat: hinc exordiatur, in hoc terminet orationem; vndè ſequitur. Amen, quo deſiderium orantis exprimitur*. Ex quo Auguſtinus habet, quod tàm de malo originali, ideſt eius effectibus, quàm de malo inflicto petimus liberari, niſi forsàn etiam de malo culpæ, ipſe intelligat, quando dicit: *Orandum eſt non ſolùm vt non inducamur in malum, quo caremus*. Sed malum ipſum Diabolum intelligit Chryſoſtomus *in hom.*, n inquit enim: *Vel malum, hic, Diabolum vocat, propter excellentiam malitiæ, non quæ ex natura eſt, ſed quæ ex electione, & quia ad nos implacabile bellum habet, propter hoc dixit, libera nos à malo.*

Deniquè hæc Dominica O- o ratio, cæteris excellentior, vt in præfatione innuitur, authoritate Doctoris, breuitate ſermonis, ſufficientia petitionum, & fęcunditate myſteriorum, hinc D. Cyprian. *Quid*, inquit, *mirum ſi talis oratio eſt, quàm Deus docuit, qui magiſterio ſuo omnem precem noſtram ſalutari ſermone breuiauit. Hinc per Iſa. fuerat antè prædictum. Sermonẽ breuiatum faciet Deus ſuper terram; nàm cum Dominus Ieſus Chriſtus omnibus venerit, vt colligeret, Doctos pariter, & indoctos, omni ſexui, atq; ætati præcepta ſalutis ediderit: Præceptorum ſuorum fecit grãde compendium, vt in diſciplina cœleſti, diſcentium memoria nõ laboraret; ſed quod eſſet ſimplici fidei neceſſarium velociter diſcerent*. Similiter Auguſtin. ad Probam. magni facit huius Ora-

rationis petitiones, ſubdens:
p *Quiſquis autem id dicit, quod*
ad Euangelicam iſtam precem
pertinere non poſſit, carnaliter
orat, quod neſcio, quomodo non
dicatur illicitè, quoniam renatos
Dominus, nonniſi ſpiritualitèr
docet orare. Et de verbis Do-
mini, concordat iſtas petitio-
nes Dominicas cum Beatitu-
dinibus, quas Chriſtus *Matth.*
q 5. docuit, vt videre eſt apud
Expoſitores Scripturæ, nàm
breuitatis cauſa relinquimus,
verba propria recenſere.

In fine Orationis Domini-
r cæ ponitur *Amen*, quod ad om-
nes petitiones refertur. He-
bræus autem translator repo-
nit in fine vnum ex tribus his;
Amen, Sela, Salem, quæ Latinè
ſonant, verè, ſemper, pacem.
Licet enim quandoque *Amen*,
affectum optantis exprimat; hic
tamen concluſionis confirma-
tionem deſignat, vndè Gloſſa
Matt. 6. Amen in his omnibus
petitionibus ponit, quaſi indubi-
tantèr à Domino tribui, quod pe-
titur, ſignificans; dummodò vl-
timæ conditionis pactum ſerue-
tur, ſcilicet ſi dimiſeritis homi-
s *nibus peccata eorũ; dimittet vo-*
bis Pater veſter cæleſtis delicta
veſtra, vt habetur *Matth. 6.* &
Auguſtin. inquit: *Hoc eſt vnum*
conſilium miſerias euadendi.

Solum à Sacerdote, & ſub
t ſilentio profertur hìc *Amen*,
non à Clero, nec à populo; in
alijs collectis, quæ in officio
Eccleſiaſtico dicuntur *Amen*,
affectum optantis potiùs ex-
primit, quàm concluſionem
confirmantis, ideòque à Clero,
& populo (à quibus optatur,
quod in illis à Sacerdote ora-
tur) congruè reſpondetur, &
profertur: ſed hìc magis con-
gruit *Amen*, ſolum à Sacerdote
proferri, nàm ipſi conuenit, pe-
tita à Domino, fuiſſe conceſſa
populo, affirmare, nàm Sacer-
v dos eſt mediator inter Deum,
& hominem, quia eius eſt vota
populi Deo offerre, & Dei vo-
luntatem populo renunciare,
ſicut habetur *Exod. 19. verſ. 3.*
Hæc dices domui Iacob, & an-
nuntiabis filijs Iſrael. Et *ver. 9.*
Nuntiauit ergo Moyſes verba
populi ad Dominum.

Profertur in ſilentio, primò
x in ſignum, quod Dominus vult
orantes latere, eo quod exau-
diti ſint, ne poſtmodum tepe-
ſcant. Secundò, quia ſi alta vo-
ce Sacerdos proferret *Amen*,
quo affirmatur Dominicam
Orationem exauditam eſſe, Iu-
di-

dicari poſſet præſumptio, & quædam oſtentatio in ipſo.

§. III.

De Embolyſmo, & Silentio.

DEindè Sacerdos accipit y
patenam inter indicem, & medium digitos, & dicit ſubmiſſa voce: *Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris: & intercedente Beata, & Glorioſa ſemper Virgine Dei Genitrice Maria, cum Beatis Apoſtolis tuis Petro, & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis*, ſignat ſe cũ patena à fronte ad pectus, *da propitius pacem in diebus noſtris: vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, & à peccatis ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri.*

Hæc oratio dicitur Embo- z
lyſmus, quod Latinè ſonat ſuperexcreſcentia, eo quod nihil in ea petitur, quod in præcedenti Oratione Dominica petitum non fuerit, & tamen non eſt ſuperflua, quoniam eſt repetitio, & expoſitio nouiſſimę petitionis illius, ſcilicet *Libera nos à malo*, nàm exponit à quibus malis, ſcilicet præteritis, præſentibus, & futuris; & ſubditur tranſitus ad orationem pro pace, videlicet *Intercedente Beata, & Glorioſa ſemper Virgine Dei Genitrice Maria, &c. Da propitius pacem, &c.* vel dicitur ſuperexcreſcentia, quia in primitiua Eccleſia multo tempore dicta non fuit.

Embolyſmorum, & præfationum talis eſt conſuetudo, vt non claudãtur clauſula collectarum, ſcilicet *Per Dominum noſtrum, &c.* ideò continuatur oratione pacis: *Da propitius pacem*, ſcilicet pectoris, vt ſimus liberi à peccato, & temporis, vt ſimus ſecuri ab omni perturbatione, vndè D. Bonauentura: *Perturbamur*, inquit, *ſi peccatis mortalibus grauamur, & obcæcatur mens humana; perturbamur, quando noſtro arbitrio relinquimur, & à nobis Diuina gratia ſubtrahitur, & elongatur.*

Dicitur oratio ſub ſilentio, b
quod ſilentium ſignificat Sabbatum, quo Corpus Domini in ſepulchro quieuit; tunc enim nullus fidem prædicauit; vndè mulieres, quæ *Luc.* 23. parauerunt vnguenta, Sabbato quidẽ ſiluerunt, ſecundùm manda-

tum legis; Chriſtus tamen non ſiluit, imò licet ſecundùm carnem iacuit in ſepulchro, ſecundum animam deſcendit ad Inferos, vt fortior ſuperueniens ſuperaret fortem armatum, (ad quod ſignificandum Eccleſia Romana in Paraſceue dicit ipſam orationem alta voce, & Ambroſiana ſemper) & tunc momordit Infernum, ducens ſuos vinctos de lacu, in quo nō erat aqua, ideſt gloria Beatitudinis, liberans eos de malis præteritis, præſentibus, & futuris, dans eis perpetuam pacem, in qua ſunt ſemper à peccato liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. De hoc etiam lacu liberari, Presbyter orat, ſe, & totam Eccleſiam, dicens: *Libera nos, &c.*, & quia nos indigni ſumus, de præteritis, præſentibus, & futuris, promereri veniam, niſi nobis donetur oratione Sanctorum, ideò eos in noſtrum patrocinium inuocamus; ad impetrandum ergo pacis donum, imploramus merita Matris myſtici Salomonis, ideſt viri pacifici, & trium Apoſtolorum, ſcilicet Petri, Pauli, & Andreæ, quia hæc oratio triduum, quo Chriſtus in ſepulchro iacuit, deſignat; hinc D. Bonauentura: *In hac oratione*, inquit, *omnes Sancti compræhenduntur, & includuntur, omnes enim Sancti, aut per caſtitatem, aut virtutum firmitatem, aut per humilitatem, aut per virilitatem pugnæ pro iuſtitia, Regna Cœlorum adepti ſunt; vndè in Beata Virgine deſignatur caſtitas; in B. Petro virtutum firmitas, in S. Paulo humilitas; in Andrea virilitas pugnæ pro iuſtitia vſque ad mortem.*

c d e

§. IV.

De reſumptione Patenæ.

SVbdiaconus circa finem Orationis Dominicæ, facta item genuflexione, reuertitur ad Altare, & ſtans in cornu Epiſtolæ porrigit patenā Diacono, qui eam diſcooperit, & purificatorio abſtergens, dat celebranti, illius manum oſculando; qui ſignat ſe cum patena ſigno crucis, & ad verba, *Da propitius pacem*, ipſam patenam oſculatur, quaſi per oſculum, huiuſmodi pax à Deo petatur.

f

Patena, cor latens deſignat; Diaconus ſanctas mulieres, Subdiaconus Nicodemum, Sacerdos Chriſtum. Quia poſt

g

 paſ-

paſſionis triſtitiam ad reſurrectionis gaudium peruenitur, ideò Subdiaconus, dum cantatur à Choro: *Sed libera nos à* h *malo*, accedit ad Diaconum, & tradit illi patenam inuolutam. Diaconus repræſentans ſanctas mulieres, quæ cor patens latitudine charitatis, in obſequium ſepulturæ habebant, accedit ad Sacerdotem; acceſſus igitur Diaconi ad Sacerdotem, tradendo ipſi patenam diſcoopertam, ſignificat, quod Mariæ i venerunt videre ſepulchrum, & reſurrectionem Chriſti latè credentes nuntiauerunt Apoſtolis, *Matth.* 28. qui demum Domino latitudinem ſuæ fidei, & charitatis obtulerunt; Sacerdos accipiens patenam de manu Diaconi, ſignificat K Chriſtum acceptantem latitudinem fidei, & charitatis Apoſtolorum, & mulierum. Subdiaconus Nicodemum repræſentat, qui etiam latè credidit, & obſequium exhibuit Saluatori; ſed non ſicut Apoſtoli, & ſanctæ mulieres; quod Sacerdos patenam ſibi oblatam recipit, ſignificat, quod Chriſtus omnes, ad ſe ex charitate ve- l nientes, cum deſiderio ſuſcipit, & hoc innuit illud *Matth.* 28. *& Marc.* 16. Chriſtus Mariæ Magdalenę, & alijs ſanctis mulieribus ſucceſſiuè apparuit. Velum, quo patena erat inuoluta, non ſuper Altare, ſed credentiam ponitur, ſignificat illud *Ioann.* 20. *v.* 7. quod Petrus monumentum intrans, *Vidit ſudarium, quod ſuper caput Ieſu fuerat, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum*. Diaconus manum Sacerdotis oſculatur, dans illi patenam, ad notandum, quod deſiderat participare cum ipſo in paſſione, vt poſſit in Reſurrectione Chriſto aſſociari, *extra de ſepult. cap.* 1. ſignum crucis cum patena à fronte ad pectus à Sacerdote formatum, ardens deſiderium ſanctarum mulierum deſignat. Statimque oſculatur patenam, dicendo: *Da propitius pacem*, nàm Chriſtus ſtatim impleuit deſiderium earum: *Et ecce Ieſus occurrit illis dicens, auete, illæ autē acceſſerūt, tenuerūt pedes eius, & adorauerūt eū, Mat.* 28. *v.* 9. nec eſt dubium, quin pedes Chriſti fuerint oſculatæ; oſculatur Sacerdos patenam, petens à Deo pacem corporis, & animæ, & format cum ipſa ſignum crucis à fronte ad pe-

ctus,

ctus, in qua parte corporis maximè vigent vires animi;vt hoc ſigno munitus poſſit † ſine impedimento,Dei ſeruitiũ conſumare . Vel ſignũ crucis † cum oſculo , ſignificat paſſionem Chriſti in cruce,ex charitate; & ſicut per paſſionem Deo Patri reconciliati ſumus , ſic eri-
m mus hæredes Regni Cęlorum.
Cum patena ſe ſignat, patena cor latens innuit, vt denotetur ſinceritas cordis, quàm fideles ad paſſionem Chriſti quærunt, & optant habere . Deindè inquit Sacerdos : *Vt ope miſericordiæ tuæ adiuti , & à peccatis ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri* . Nàm per crucem Chriſti, & hoc ſacrificium,& odorem eius,omnia in Cœlis , & in terris , pacificantur.

§. V.

De fractione Hoſtiæ.

Finita oratione *Libera nos, &c.* & reſumpta patena, Diaconus diſcooperit calicem.
n Sacerdos ſupponens patenam hoſtiæ,ipſam tollit,& ſuper calicem per medium frangit , dicens : *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum* , partem, quæ in dextera eſt ponit ſuper patenam , deindè ex parte, quæ in ſiniſtra remanſit, frangit particulam,dicens, *Qui tecum viuit,& regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus* , aliam partem cum ipſa ſiniſtra ponit ſuper patenam , & dextera tenens particulam, inter pollicē, & indicem ſuper os calicis,dicit : *Per omnia ſæcula ſæculorũ*, & poſteà proferens , *Pax Domini † ſit ſemper † vobiſcum †* , producit ter ſignum crucis cũ ipſa particula ſuper os calicis, deindè ipſam particulam immittit in calicem, dicens : *Hæc commixtio , & conſecratio corporis , & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti fiat, accipientibus nobis, in vitam æternam. Amen.*

De ſingulis videndum , & primò os calicis , de quo Diaconus remouet pallam, ſiue corporale,deſignat oſtium mo-
o numenti , de quo Angelus remouit lapidem , calix verò Chriſti Paſſionem,vel Beatitudinis fruitionē , iuxtà illud *Pſ. 22. verſ.35. Et calix meus inebrians, quàm præclarus eſt*, patenæ rotũditas, bonorum operum perfectionem, & ſanctitatem.Sacerdos ergo volens ho-

ſtiam frangere priùs eam ſuper patenam locat,vt indè tollens, p ſuper calicem frangat, ad ſignificandum, quod nemo paſſionibus huius Mundi meritoriè valeat exponi; vel ad æternæ Beatitudinis fruitionem admitti, niſi priùs in bonorum operum perfectione fuerit ſolidatus. Vndè *Epheſ. 6. v. 13. Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare*, vel deſignat, quod Chriſtus ex latitu- q dine charitatis (quàm patena innuit) ſe paſſioni dedit. frangitur hoſtia, quia Chriſtus *Matth.26.v.26. Benedixit, & fregit, deditque Diſcipulis ſuis*; & ſimilago in lege veteri fruſtratim offerebatur. Sacerdos ergo Chriſtum, & legem ſequens, panem ſacroſanctum in tres partes partitur, vt in fractione panis Dominum cognoſcamus, ſicut duo Diſcipuli, *Luc.24. v.30. Et factum eſt, dũ recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eũ.*

D. Bonauentura autem in- r quit: *Diuiditur autem ſub forma panis in Altari corporis Chriſti ſpecies, non eſſentia, Deitate in ſua vnione permanente, quæ diuidi non poteſt; ſed in qua re fiat corporis Chriſti diuiſio, vel fractio, oſtendit Auguſtinus, dicens; Quando Chriſtus manducatur, reficit, non deficit. Nàm & Chriſtus carnalem ſenſum Diſcipulorum redarguit, qui putabant eius carnem, ſicut aliã diuidẽdam in partes; & in morſus lacerandam. Diuiditur autem forma, vel ſpecies; Conſecratione namque peracta, corpus Chriſti ſub accidentibus panis velatur, quæ accidentia ſunt co-* s *lor, ſapor, qualitas, quantitas, et forma. Subſtantia namque panis, & vini, in conſecratione per verba Chriſti reſecatur; ſed accidentia remanent; nàm ſi accidentia auferrentur, Sacerdos Miſſam non perficeret, ſed terreretur; vndè in hoc fragilitati humanæ conſulitur*. Hucuſque D.Bonauentura.

Frangitur hoſtia in duas me- t dietates, quia duplex eſt prædeſtinatorum ſtatus, ſcilicet æternæ gloriæ, & temporalis miſeriæ, ideòque vna medietas ſubdiuiditur in duas partes, quarũ vna eſt pro ijs, qui purgantur in Purgatorio, alia pro illis, qui ſunt in hac vita mortali. Nàm tres ſunt partes cor-

po-

poris myſtici Chriſti Domini,
prima eſt in Cœlo, ſcilicet Ec-
cleſia triumphans; ſecunda eſt
in terra, quæ eſt Eccleſia mili-
tans; tertia eſt in Purgatorio,
quæ dicitur purgans. pars ho-
ſtiæ, quæ eſt in dextera Sacer-
dotis, innuit prædeſtinatos, qui
ſunt in gloria, quorum caput
eſt Chriſtus, vbi talem rectitu-
dinem habent, vt nulla inrecti-
tudo eis admiſceri poſſit, meri-
tò ergo in dextera tenetur à
Sacerdote, quæ fœlicitatem
deſignat, & quia amplius diui-
denda non eſt, in patenam re-
ponitur, quæ hìc gloriam San-
ctorum innuit; altera verò pars
hoſtiæ deſignat illos prædeſti-
v natos, qui adhùc ſunt in tem-
porali miſeria, vbi multa obli-
qua, & pauca recta inueniun-
tur, ideòque in ſiniſtra Sacer-
dotis tenetur, quæ cum diui-
denda ſit, non deponitur, nàm
illi qui ſunt in temporali mi-
ſeria, in calamitatibus ſunt di-
uiſi; nàm alius eſt ſtatus, & mi-
ſeria eorum, qui adhùc viuunt
in corpore, & alius eorum, qui
ſoluti corpore, in pœnis pur-
gantur, ideòque pars illos ſi-
gnificans, diuidi debet; qui au-
tem in Purgatorio ſunt, indu-
bitanter gloriam conſequen-
tur, ideò pars, quæ in ſiniſtra
Sacerdotis eſt, coniungitur
parti priùs ſuper patenam re-
poſitæ, quæ ſtatum Beatorum
innuit; & quia Beati vniformẽ
ſtatum obtinent, & vna Beati-
x tudine fruuntur, idcircò illa
prima pars, quæ fuit priùs in
manu dextera Sacerdotis, & in
patenam collocata, non frangi-
tur; particula ſubdiuiſa in ma-
nu dextera Sacerdotis, rema-
y nens ſuper os calicis, in patena
non reponitur, prioribus parti-
bus coniungenda, ſed in ſan-
guinem immittitur, nàm cum
prædeſtinatos, qui in præſenti
vita ſunt, ſignificet, ipſi adhùc
egent meritis paſſionis Chri-
ſti, quæ merita proceſſerunt ex
ſãguinis effuſione Agni imma-
culati. Quatuor verſibus om-
nia concludit Poëta ſacer:

Tres partes factæ de Chriſti
corpore, ſignant.
Prima ſuam carnem, San-
ctoſq; ſecunda ſepultos;
Tertia viuentes, hæc eſt in
ſanguine tincta;
Martirij calicem guſtant in
carne fideles.

Partes autem hoſtiæ, quæ in
z patena coniunguntur; coniun-
ctionem vtriuſque teſtamenti,
in Chriſti paſſione factam, deſi-
gnant,

gnant, & illæ verſus calicem dirigendæ ſunt, quaſi ſibi ſanguinem incorporent, ſine quo corpus non eſt.

Plures autem ſenſus, in fractione hoſtiæ, dari poſſunt. Primò ad ſignificandum myſteriũ Sanctiſsimæ Trinitatis, ad laudem, & honorem ipſius, quæ miſit Agnum, qui per crucem ſaluauit Mundum, & fecit pacem hominum, & Angelorum. Secundò propter triplicem Chriſti ſtatum, primus fuit in hominibus manens, ſecundus mortuus in ſepulchro iacens, tertius immortalis in Cœlo exiſtens. Tertiò propter principalia vulnera, quæ Chriſtus habuit in cruce in triplici parte corporis, ſcilicet in manibus, pedibus, & latere. Quartò in typum trium perſonarũ, quæ Emmaus peruenerunt, ſcilicet Chriſti, Cleophæ, & Lucæ. tres cruces, quæ fiunt ſuper calicem, cum particula hóſtiæ, tangunt quatuor latera calicis à labio ad labium, quia per corpus, & ſãguinem Chriſti totum humanum genus, per quatuor partes Mũdi, ad agnitionem Trinitatis, ad vnitatem, & pacem Eccleſiæ perducitur, iuxtà illud *Pſal.* 18. *v.* 5. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, quod myſterium etiam verificatur in illis crucis ſigna-
a culis, quæ in ore calicis fiunt cum hoſtia antè præfationem Orationis Dominicæ.

Sacerdos dicens: *Per omnia* c
ſæcula ſæculorum, vocem exaltat, quia, vt Chriſti Vicarius, daturus pacem populo, ad ipſam eum diſponit, vt audiens verba Sacerdotis, & deſiderans pacem, reſpondeat *Amen*, 38. *d. ſedulo*. Deindè Sacerdos dicit: *Pax Domini, &c.* quia Chriſtus poſt reſurrectionem, ſtetit in medio Diſcipulorum ſuorum, & dixit eis; *Pax vobis, & iterũ pax vobis, Ioann.* 20. *verſ.* 21. quaſi diceret Chriſtus Apoſtolis. Do vobis pacem temporis in via, & pacem æternitatis in patria, id innuit Sacerdos, dicens: *Pax Domini, &c.* ideſt
b pax temporis in præſenti vita, & pax æternitatis in futura, *Sit ſemper vobiſcum.* D. Bonauent.
Chriſtus, inquit, *reſurgens ex* d
mortuis, triplicem pacem Diſcipulis annunciauit, ſcilicet pacẽ temporis, pectoris, & æternitatis. Hæc pacis tria genera deſignata ſunt in tribus ſignis crucis, quæ Sacerdos facit cũ corpore Chriſti

ſti in ore calicis, dicens, Pax Domini,&c.

Secundum D. Auguſtinum, e *Pars in calicem mittitur, pro nō Sanctis viuentibus, qui voluuntur in ſanguine; & in peccatis; aliæ verò duæ pro mortuis offeruntur; vna pro Sanctis, qui sūt in requie, & illa eſt gratiarum actio, quia nihil reſtat eis purgandum; altera pro illis animabus, quæ licet ſaluandæ ſint, tamen adhuc ſunt in pœnis, & ideò pars illa dicitur oblatio.* Vel dicēdum ſecundum alios, f quod tres cruces, cum particula, ſignificant tres dies, quibus fuit Chriſtus in monumento, aut tres mulieres quærentes Dominum ad oſtium monumenti, *Luc.* 24.

Immittitur à Sacerdote par- g ticula in ſanguinem, & dicit: *Hæc commixtio,&c.* hęc corporis, & ſanguinis Chriſti commixtio non fit ſecundùm ſuas veras, & reales eſſentias, vt paſsìm omnes Scholaſtici loquuntur, ſed ſecūdùm formas, h & ſpecies ſacramentales, ſub quibus, tum in hoſtia, cum in calice corpus, & ſanguis Chriſti veraciter continētur; frequenter enim multa, quæ ad ſpecies pertinent, vſus loquendi tribuit contētis ſub ſpeciebus; nàm ſicut dictum eſt, cap. 34. §. 6. litt. Q. & R. ſub accidētibus panis, & vini eſt totum corpus, & ſanguis Chriſti, igitur verba, quæ dicit Sacerdos, & commixtionem, quam facit, non ſonant, vt ſubſtantiæ, quæ priùs ſeparatæ erāt, tunc vniātur, & commiſceantur, nàm priùs erant vnitæ; ſed annuūt, quod ſpecies ſacramētales cōmiſcentur; quæ priùs erant ſeparatæ; & hoc ad myſterium, nàm illa commixtio ſpecierum innuit, quod vnum ſacramentum conficitur ex pane, & vino; vel poſt trinum crucis ſignum, permixtio ſignificat animæ Chriſti ad corpus reditum poſt triduum, & quia Chriſtus reſurrexit à mortuis, hinc ob myſterium Dominicæ reſurrectionis, quæ in hoc ritu ſignificatur, omnes in choro hic ſurgunt, in Miſſis de luctu, & eſt communis expoſitio.

Sanè dimiſſa particula in calicem, ſtatim calix cooperitur, quia corpus de cruce depoſitum latuit in ſepulchro, Syndone inuolutum.

Dicto à Sacerdote, *Pax Domini,&c.* chorus reſpondet, i *Et cum ſpiritu tuo*, & quidem hoc

hoc dicendo, optat pacem ipſi Sacerdoti,& petit etiam ſibi,& ideò vt dignus ſit illam recipere,cantat ter *Agnus Dei,qui tollis peccata Mundi.*

§. VI.

De Cantico Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, miſerere nobis.

CHriſtus Dominus, poſtquam Apoſtolos ſuos ſalutauit, *Ioann.* 20. dans eis pacem, tribuit eis poteſtatem emittendi peccata; ideò chorus cantat: *Agnus Dei,qui tollis peccata Mundi, miſerere nobis,* ſiquidem S. Io:Baptiſta videns Ieſum dixit,*Ioann.1.v.29. Ecce Agnus Dei,ecce qui tollit peccatum Mundi*; Et in veteri Teſtamento offerebant Agnum pro peccatis populi. In nouo autem Chriſtus obtulit ſeipsũ Deo Patri in ara crucis,vt hominum genus liberaret, & lauaret à peccatis in ſanguine ſuo. Benè ergo cum corpus, & ſanguis Domini ſumitur, *Agnus Dei* cantatur; vt omnes credamus, quia ipſius Agni corpus, & ſanguis, tunc ſumitur, qui peccata Mundi, moriendo tulit, & nobis vitam æternam,reſurgendo,donauit,& vt oremus ipſum nũquam deſiſtere nobis miſereri, qui in ſua paſſione, tàm miſertus eſt noſtri.

Agnus autem dicitur, Græ- l
cè Agnos,quod eſt pium; quia ipſe verus Agnus,ſola pietate ſua, ſe obtulit hoſtiam pro nobis, & homines redemit. Di-
K citur etiam Agnus ab innocẽtia, quia Agnus, nec hominibus, nec beſtijs nocet. In præmiſſis autẽ verbis, *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, &c.* eſt quædam deprecatio, vt ſcilicet innocentis Agni miſericordia, peccata ingruentia, & ſubitanea auferantur. Tertiò dicitur *Agnus*,ab agnoſcendo, quoniam in grege numeroſo, ſolo balatu matrem ſuã agnoſcit. Chriſtus autem in ara crucis, nos reconcilians Patri, electos ſuos agnouit,eos commendans,ex viſceribus cordis, Patri ſuo, ſecundùm communem ſenſum Sanctorum Patrũ, illis verbis: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, Luc.23.v.46.*

Inſuper Chriſtus agnouit Patrem obedientia, ſecundùm illud Apoſtoli, *Philipp.* 2.*v.*8. m
*Factus obediens vſque ad mortem,&c.*agnouit matrem commendans eam *D*iſcipulo dilecto: *Ecce mater tua, Ioann.* 19. *v.* 27. ob hoc enim in Altaris im-

immolatione,ter dicitur *Agnus Dei,&c.* quaſi dicatur. Agne, qui agnouiſti Patrem,miſerere nobis; Agne, qui agnouiſti matrem,miſerere nobis. Pie, qui redimiſti Mundum, & qui obtuliſti te pro nobis,da nobis pacem.

Vel ter dicitur, vt triformis
n Chriſti Domini ſtatus intelligatur,ſcilicet ambulans in terra, quieſcens in ſepulchro, & reſidens in Cœlo. Poteſt etiam dici, Chriſtum ad tria veniſſe in Mundum; primò, vt nos liberaret à miſeria culpæ, ſecũdò, vt nos redimeret à malo pœnæ,tertiò, vt nobis daret de plenitudine gratiæ ſuæ omne bonum; quantum ad duo prima,dicitur bis miſerere nobis, quantum ad tertium, dicitur dona nobis pacem; quæ petitio pacis ſequitur ſtatim, poſtquam *Agnus Dei* ter dictum eſt,ad notandum, quod ex beneuolentia Trinitatis Agnus miſſus eſt, ad dandum nobis pacem, vndè *Iſa.16. v.1.*dicitur:*Emitte Agnum Domine,&c.* Et *Apoc.5.v.12. Agnus, qui occiſus eſt ab origine Mundi.* Antiquitus enim tribus vicibus,
o dicebatur miſerere nobis,propter tria genera peccatorum, quæ petimus remitti, ſcilicet cogitationis in corde, loquutionis in ore, & actionis in opere. Poſtmodum ingruentibus multis Eccleſiæ aduerſitatibus, cœpit ad Dominum clamare de tribulatione: *Dona nobis pacem*; & hæc varietas non diſcrepat à clamoribus
p Sacerdotum veteris Teſtamẽti, qui cum *Ioele 2. v.17.* Clamabãt ad Dominum,dicentes; *Parce Domine,parce Populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes.* Dicamus igitur bis miſerere nobis,ſcilicet quantũ ad animam,& corpus,& dona nobis pacem, quantũ ad vtrũque, vt habeamus pacem cordis ſpiritualem,& corporis tẽporalem; & quia Deus non dat pacem, niſi illis, quorum miſeretur, ideò vltimò dicamus:*dona nobis pacem.*

Eccleſia Lateranenſis non
q dicit, *dona nobis pacem*, nec etiam cantatur in Choro, ſed ſecundum morem antiquum dicit, *Miſerere nobis*. Aliqui Doctores hanc aſſignant rationem. Eccleſia Lateranenſis eſt primò conſecrata, ideò omnes aliæ Eccleſiæ ab ipſa pacem ſumere debent, nõ autẽ ipſa ab illis.

Sacerdos quando dicit *A-* r
gnus Dei, manibus iunctis, parum inclinatur antè Altare, & ter pectus ſuum percutit. Inclinatio, humilitatem in oratione neceſſariam innuit, manuum coniunctio, intentionis vnitatem, & pectoris tunſio, cordis contrictionem. Dicitur *Agnus* Dei cooperto calice cũ palla. Nàm Chriſtus ianuis clauſis, ingreſſus eſt ad Apoſtolos, & dixit eis. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, Io:* 20.*v.*23.

In Miſſa Sabbati Sancti *Pa-* s
cis oſculum non datur, *Agnus* Dei *non dicitur*, ſic habet Ordo Romanus. Primum, quia nondum Chriſtus Apoſtolis dixerat *Pax vobis*. Secundum, vt inquit Alcuinus, ob ſilentium mulierum; nondum enim credebant Chriſtum, animarum Redemptorem, ad tollenda Mundi peccata.

Item in Miſſis Defunctorũ t
dicitur *dona eis requiem*, & tertiò additur *ſempiternam*, nec dicitur *miſerere nobis*, neque *dona nobis pacem*, quia Miſſa pro defunctis ſpecialiter celebratur, vt quies à pœnis eis indulgeatur, ideò tertiò adiungit *dona eis requiem ſempiternam*, quia pro Defunctis triplicem requiem implorat; prima eſt à pœnis, in quibus animabus eſt labor, & non requies; ſecunda eſt requies in gloria, vbi animæ veraciter requieſcunt in bono deſiderato, ideſt in Deo; tertia requies eſt gloria corporis; prima non eſt requies ſẽpiterna, quia pœna ſublata, adhùc deſiderant gloriam. Secunda, nec etiam eſt totaliter ſempiterna, nàm ſecundùm Auguſtinum, antè reſurrectionem corporum, ſemper ineſt animabus quidã naturalis appetitus reſumendi corpora; & ideò tertia requies, cum præmiſſis eſt verè requies ſẽpiterna; quia animæ, quæ Deum vident præſentialiter, reſumptis corporibus in ipſa vlteriùs, & æternalitèr, & perfectiſſimè requieſcent, ideòque in tertia vice, & non in duabus præcedẽtibus congruit, dicere requiem ſempiternam. Sergius Papa Primus conſtituit *Agnus* Dei antè communionem, ter à Clero decantari, quia prius ſemèl tantùm dicebatur; vt habetur in Liturgia S. Petri.

§. VII.

De Pacis Oſculo.

v QVia Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem ſuam, bis pacem Apoſtolis ſuis dedit, *Ioann.* 20. *ver.* 21. *Iterum dixit eis pax vobis*, oſtendens, quod non ſolum debemus pacem habere in ore, ſed etiam in corde; nè ſimus illis ſimiles, *Qui loquũtur pacem cum proximo ſuo; mala autem in cordibus eorum*, *Pſal.* 27. *v.* 3. Ideò *Cum hæc dixiſſet inſufflauit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum*, *Ioan.* 20. ad quod deſignandum Sacerdos facta commixtione, & dicta prima oratione, *Domine Ieſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis pacem relinquo vobis, pacem meã do vobis, &c.* oſculatur Altare, quaſi pacem accipiens ab ipſo corpore Chriſti, dat pacẽ Diacono in ſignum, quod pax ſpiritualis à Chriſto Domino data eſt humano generi; Diaconus dat pacem Subdiacono,
x & iſte alijs, ſcilicet primis in Choro, & alij inter ſe, in ſignũ, quod omnes, præſertim filij Eccleſiæ, ad inuicem debent habere pacem. Ordo Romanus: *Diaconus à celebrante dicente, pax tecum, complexus, accipit pacem, ſiniſtris genis ſibi inuicem appropinquantibus*, cõplexio vnitatem ſignat, vt inquit Chryſoſtomus *hom.* 51. *ad Popul. Antioch. Alter alterum complectitur, vt vnum multi fiamus*, appropinquatio genarum, affectum cordis, quod in ſiniſtram vergit, innuit, & in aduerſis etiam cum proximo pacem habere debemus; & quia ſecundùm Apoſtolum *Rom.* 5. *v.* 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, ideò pacis oſculum per vniuerſos fideles in Eccleſia diffunditur, admonente Apoſtolo 1. *Cor.* 16. *Salutate inuicem in oſculo ſancto.*

y Nota, quod in Eccleſia primitiua, omnes, qui Miſſarum celebrationi intererant, ſingulis diebus communicare ſolebant, *de conſec. d.* 11. *non iſte*: offerebant magnum panem omnibus ſufficientem; ſed excreſcente fidelium multitudine, aliud inſtitutum fuit introductum, ſcilicet vt tantum diebus Dominicis communicarẽt *e. diſt. quotidiè.* Poſtmodum autem, quia nec dignè hoc obſer-

ſeruari potuit, tertia ſequuta
eſt inſtitutio, vt ter ſaltem in
anno, quilibet Chriſtianus Eu-
chariſtiam ſumeret *e.diſt. & ſi*
non frequentius. Sed nunc ſaltē
in Paſcha. *extra de pœnit. &*
remiſſione peccatorum, omnis
vtriuſque ſexus. Hoc inuento z
remedio, vt ſcilicet pro eo,
quod ſingulis diebus commu-
nicabant; ſingulis diebus oſ-
culum pacis daretur, pro mini-
ſterio vnitatis; & pro commu-
nione, quæ diebus Dominicis
fieri ſolebat, daretur diebus
Dominicis panis benedictus,
ſanctæ communionis Vicarius,
qui dicitur Eulogia, quod nūc
Græci ſeruare dicuntur. In
Quadrageſima autem, loco
quotidianæ communionis, di-
citur in fine Miſſæ oratio ſu-
per populum, cui à Diacono
prædicitur: *Humiliate capita*
veſtra Deo.

Sanè priuſquam fideles cō- a
municent, pacem ad inuicem
ſibi dant, vt oſtendant inter
eos eſſe concordiam, & cum
illa corpus Domini ſumunt, ſi-
ne qua munera fidelium Deo
non ſunt accepta; viri quoque,
& mulieres ſibi inuicem non
oſculantur in Eccleſia, ne for-
tè aliquid laſciuiæ ſubrepat,
quia ibi fugiendi ſunt carna-
les amplexus, & caſti, ac ſpiri-
tuales habendi, & ideò in Ec-
cleſia, etiam ſitu ſequeſtrantur
locali. Baronius autem ann.
Chriſti 45. Tabellam ſacram ad b
oſculum pacis in vſum eſſe in-
ductam in aliquibus Eccleſijs
aſſerit, tanquam cautelam ad
tollendas fraudes, quæ arte
Diaboli, inter ſe inuicem oſ-
culantes, irrepſerant, quæ con-
ſuetudo, nunc etiam apud ali-
quas Eccleſias tantum, viget;
ſed pacis oſculum populo nūc
non datur, ſed tantum perſo-
nis Eccleſiaſticis in Choro, &
extra illud, magnis Principi-
bus, qui omnes totum populū
repræſentant.

In Miſſis autem defunctorū c
pax nō datur, quia fideles ani-
mæ iàm non ſunt, nec vlteriùs
erunt in turbatione huius Mū-
di; ſed quieſcunt in Domino,
ideò non eſt eis oſculum pa-
cis neceſſarium, quod eſt con-
cordiæ, & pacis ſignum, nec
etiam à Sacerdote dicitur pri-
ma illa oratio pacis. *Domine*
Ieſu Chriſte, &c. neque recipit
pacem ab Altari; hinc eſt etiā,
quod inter Monachos pax nō
datur, quoniam Mundo mor-
tui reputantur, *de conſec. diſt.* 2.

pa-

pacem,& can. placuit 16.*qu.* 1. Aliam rationem aſſerunt aliqui Doctores, vt Alabaſpinus de veteribus ritibus, *lib.* 1. *obſeruat.* 17. *&c.* quia ſacra, quæ fiunt pro mortuis priuata dicuntur, non ſolemnia, ex *can.*4. *Concil. Vaſen.*2. communio autem populi, ad quam per pacẽ præparabatur, in ſolemnibus erat, & ideò ceſſabat in priuatis.

C A P. XXXVII.

De Gratiarum Actione.

Incipit hìc Quarta Pars Miſſæ, quæ Gratiarum Actio vocatur; & diuiditur in Communionem Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti; In Ablutionem, ſeu Purificationem, Laudes, & Collectas.

d POnitur communio inter actiones gratiarum, quia anima fidelis, ſiuè Eccleſia Catholica non habet aliquid boni, diuina Maieſtate dignum, ad gratiarum actiones, pro collatis bonis ferendas, niſi ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro nobis in ara crucis, & Altaris immolatum; ideò Sacerdos poſt ſumptionẽ corporis, in perſona Eccleſiæ vtitur illis verbis *Pſal.* 115. *v.*13. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Ca-*
e *licem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*, vbi acutè, & mellifluè Bernardus apud Alenſem ibidem: *Si totum*, inquit, *debeo pro me facto; quid addam pro me refecto, & ſic refecto; nec enim tàm facilè fuit reficere quàm facere; quia dixit, & facta ſunt; in refectione autem, & fecit mira, & pertulit dura; ſed & indigna; in primo opere me mihi dedit; in ſecundo me mihi reddidit. Datus ergo, & redditus; me bis debeo. Quid ergo retribuam pro ſe. Nàm & ſi millies me reprahenderem poſſem, quid ſum ego antè Deũ.* Hucuſque Bernardus. Iure ergo, non habet Eccleſia quid boni, tanta maieſtate dignum, pro collatis beneficijs reddere, niſi Chriſtum Dominum, bonum infinitum, pro nobis, & nobis datum, natum, paſſum, & immolatum, ideò maxima ſpiritus deuotione, ſubdit illa Dauidica verba: *Calicem ſalu-*
f *taris accipiam, & nomen Domini inuocabo*; & licet aliqui de calice tribulationis, & pœnitẽ-

tiæ

tiæ explicent, quas pro Deo, in gratiarum actiones, ſuffert Eccleſia, quæ ipſum vtique meritum, patientiæ, & pœnitentiæ ab ipſo Deo etiam recognoſcit, & obtinet per gratiam ſufferentiæ, & perſeuerantiæ, vt inquit idem Bernardus de gratia, & libero arbitrio, *to.* 1. *pag.* 1198. *Qui fecit, quod ſaluaret, etiam dat vndè ſaluet; ipſe, inquam, merita donat, qui fecit, quibus donaret.* Sed alij, & vniuerſalius, explicant de calice Euchariſtico, vbi Alexander de Ales, *Calicem ſalutaris accipiam*, ideſt ſanguinem ſalutaris, ideſt Chriſti Ieſu, accipiam. Imò pœnitentias, & tribulationes dignè pro Deo ſuſtinere non valemus, niſi hoc ſuauiſſimo pane refecti ſimus; iuxtà illud *Pſalm.* 22. *v.* 3. *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.* Meritò igitur inter gratiarum actiones ponitur cõmunio corporis, & ſanguinis Domini, vt eius gratia, & reali præſentia ſanctificati, cogitatione, verbo, & opere, ſemper eius honori, eius ſeruitio, & continuis laudibus addicti; ſimus ſemper in gratiarum actione manentes. Et de hoc animarum fidelium prouectu, & laudibus per ſumptionem huius Sacramenti, Sãctiſsima Trinitas maximè lętatur, & gaudet, ſecundùm illud h
Lucæ 15. *Adducite vitulum ſaginatum, vt æpulemur, & mãducemus.* Vitulum ſaginatum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti eſt, in Euchariſtia myſticè occiſum, & incruentè immolatum, quod in hac quarta parte Miſſæ Sacerdos in perſona Eccleſiæ pro gratiarũ
g actione ſumit in cibum, & alijs fidelibus ad manducandum præſtat, vt omnes eius præſentia ſanctificati, ſemper Sanctiſſimæ Trinitati gratias agant, de tanto bono, vndè Gloſſa ibidem inquit; refectio Dei, & Sanctorum, eſt ſalus peccatorũ.

§. I.

De Sancta Communione.

SAcerdos antè perceptionẽ i
corporis, & ſanguinis, iũctis manibus ſuper Altare, inclinatus, debet dicere tres orationes à Sanctis Patribus inſtitutas, vt ipſo actu corporis, ſeipſum excitet ad deuotionem cordis, reducens ad memoriã, quid eſt, quod ſumere debeat, ſci-

ſcilicet panem, qui de Cœlo
deſcendit, & qualiter tenetur
manducare, videlicet *Nomen*
Domini inuocando, Pſalm. 115.
vt ſic maiori cum reuerentia,
& timore panem Angelorum
comedat. In ipſis orationibus
K petit tria, ſcilicet præceptorum
Dei obſeruantiam; à peccatis
immunitatem; & cum Deo sẽ-
per vnitatem, vt patet in litte-
ra, ipſe Sacerdos ſibi reſpon-
det *Amen*, quia ſtat ſub ſilen-
tio, deuotioni totus intentus.
Subſequenter ex humilitate,
ſuam indignitatem profitetur,
dicendo ter: *Domine non ſum*
l *dignus, &c.* exemplo Centurio-
nis, *Matth.* 8. Quæ quidem
formula communicaturis anti-
qua eſt in Eccleſia, teſte Orige-
ne *homil.* 6. *in diuerſos*, inquit
enim: *Quando ſanctum illum*
cibum, illudque incorruptum ac-
cipis epulum, quando vitæ pane,
& poculo frueris, manducas, &
bibis corpus, & ſanguinem Do-
mini, tunc Dominus ſub tectum
tuum ingreditur; & tu ergo hu-
milians temetipſum, imitare
hunc Centurionem, & dicito. Do-
mine non ſum dignus, vt intres
ſub tectum meum; ſed tantum
dic verbo, & ſanabitur anima
mea. Quam formulã hactenùs
retinuit Eccleſia. Sumpturus
corpus, & ſanguinem Chriſti
m Domini, cum illis ſe ſigno
crucis ſignat. Sicut enim priùs
cruces faciendo, tanquam Mi-
niſter Chriſti, illa actiuè ſancti-
ficauit, ſic nũc eis ſe ſignando,
paſſiuè ſanctificari petit. Tene-
tur Sacerdos ſumere corpus, &
ſanguinem ab ipſomet conſe-
cratum, ex iure diuino. Quia
eſt ſacrificium, quod agit, &
tres partes habet eſſentiales,
ſcilicet conſecrationem, obla-
tionem, & ſumptionem; nàm
Chriſtus Dominus in vltima
Cœna iſto modo inſtituit, vt
latè patet in locis Scripturæ
Euangeliſtarum, & Apoſtolo-
rum, ſicut paſsìm citantur ſu-
prà, vbi de conſecratione cor-
poris, & ſanguinis egimus. Itẽ
habetur in *can.* 8. *Apoſt. & lib.*
8. *Conſt. Apoſtolicarum, cap.* 20.
in Concil. Nicæn. 93. *diſt. perue-*
nit, ſic legitur: *Euchariſtiam*
n *confectam per ſe de Altari, ſiuè*
de patena ſumat Sacerdos. D.
Bonauentura; *Qui de patena*
corpus Chriſti ſumunt de latitu-
dine charitatis, quæ in patena
figurata eſt. Cubitos autem
teneat Sacerdos ſuper Altare,
dum communicat, ſicut etiam
in conſecratione, vt initio cor-

reſpondeat finis ſacrificij, qui eſt in conſumptione. ſecundùm aliquos Doctores, Sanguinem o ex calice ſumendo, ter haurit, Trinitatem deſignans, purificationem, ſiuè perfuſionem bis, vt per hoc charitas, quæ inter duo conſiſtit, ſignificetur. Noſtrum Cœremoniale ſic habet. Sumendo ſanguinem, poteſt (ſecundùm aliquos) ter calicẽ ori admouere; vnico tamen hauſtu, vt cum ſumat, decentiùs videtur, vna cum particula, neque poſtmodum lambat amplius calicem. Nàm ſi quid remanſerit, purificatione, & ablutione ſumet.

§. II.

De Communione Fidelium.

ANtè purificationem fit p communio fideliũ, quia *Ioann.* 21. Chriſtus poſt reſurrectionem manducauit partem piſcis aſſi, & fauum mellis, & reliquias Diſcipulis dedit. pars piſcis aſſi eſt corpus Chriſti crucifixi, qui fuit in ara crucis aſſatus. fauus mellis eſt ſanguis Chriſti ſuper mel, & fauũ, dulcis animæ diligenti; omnes de manu Sacerdotis communicant, quia Diſcipuli de manu Chriſti communicauerunt; antiquitùs communicabant fideles ſub vtraque ſpecie; ſed in- q gruentibus maximis inconuenientijs, ablatum eſt ab Eccleſia Catholica; nàm ſumptio sãguinis ſpectat ad integritatem ſacrificij, non Sacramenti; & Chriſtus in vltima cœna præcepit communionem ſub vtraque ſpecie tantùm Apoſtolis, vt dictum eſt ſuprà cap. 34. §. 8. de errore Huſſitarum, & hoc approbatum fuit in Concilio vniuerſali Conſtantiæ celebrato, præcipiens ſub anathemate eius obſeruantiam *ſeſſ.* 13. Inſuper in Concilio Tridentin. paſsìm fuit confirmatum, & præcipuè *ſeſſ.* 21. *vbi can.* 1. habetur: *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis, omnes, & ſingulos Chriſti fideles vtramque ſpeciem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit.* Et *can.* 3. *Si quis negauerit totum, & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem, & authorem ſub vna panis ſpecie ſumi, quia, vt falsò quidam aſſerunt, non ſecundùm ipſius Chriſti conſtitutionem ſub vtraque ſpecie ſumatur, anathema ſit.*

§. III.

r Antiquitùs, qui ad communionem accedebant, manus in formam crucis figurabant, ex Synodo 6. in Trullo, can.102. *Si quis immaculati corporis in ſynaxis tempore eſſe particeps voluerit, etiam antequam eius fiat communio, manus in crucis formam figurans ſic accedat, & gratiæ communionem accipiat.* Damaſcenus lib.4. orthodoxæ fidei, c.14. lit.D. *Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibuſque in crucis formam compoſitis, crucifixi corpus ſuſcipiamus; atque & oculis, & labijs, & frõtibus impoſitis, Diuini carbonis participes efficiamur, vt ignis deſiderij in nobis inſiti, aſſumpta ea, quæ ex carbone oritur inflammatione, peccata noſtra exurat, ac pectora noſtra colluſtret.*

§. III.

Quare ſub ſpeciebus alienis ſumitur Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti.

s QVinque de cauſis, præcipuè ſub ſpeciebus panis, & vini corpus Chriſti mãducatur, & ſanguis ſumitur à Sacerdote in ſacrificio Miſſæ. Prima eſt ad augendum meritum, quoniam aliud oculis corporeis videtur, & aliud intellectu fidei creditur, vt fides meritum obtineat, vbi ratio humana experimentũ negat; *de pœnit.d.4.in domo.* Secũda eſt ad fouẽdum ſenſum noſtrum, ne animus abhorreat, quod oculus viſibiliter cerneret, eo quod carnem crudam manducare non conſueuimus, *de conſec.d.2.panis eſt.* Fouetur enim ſenſus in vno, dum ſolita percipit, & ædificatur fides in altero, dum in eo, quod videt, quale ſit illud, quod non videt, agnoſcit. Tertia ad vitandum ridiculum, ne inſultaret Paganus, cum illud ageret Chriſtianus, vt ità veritas adſit, & ridiculũ deſit. Quarta, quia non poteſt mortalis homo intueri claritatem, quæ eſt in corpore Chriſti, ſicut experti ſunt Diſcipuli in transfiguratione, *Matth.*17. Inſuper *Panis confirmat, & vinum lætificet cor hominis, Pſalm.* 103. Quintò non ſumitur ſub ſpecie Agni, ne Iudaizare videamur, de more legali Agnum offerentes.

t In Vitis Patrum legitur de S.Ammone, quod eo celebrãte, Angelus viſus ſit aſtare Altari, & communicantes ſignare, eorumque nomina in libro de-

deſcribere. Io: Chryſoſtomus *lib. 3. & 6. de Sacerdotio*, narrat, Angelorum Choros circa Altare viſos, qui inclinato capite profundam Regi ſuo Chriſto exhiberent reuerentiam, & horrendos ederent clamores. Vndè *hom.* 83. inquit: *Quo non oportet igitur eſſe puriorem, tali fruentem ſacrificio? Quo ſolari radio non ſplendidiorem manũ, carnem hanc diuidentem; os, quod igni ſpiritali repletur; linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris; quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem indè ſplendorem; hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus, & vna caro; quis loquetur potẽtias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?*

Poſt ſumptum ſacrificium non eſt ſpuendum, *de conſec. d.* 11. *vt quid*; nec Euchariſtia, ſicut alius cibus eſt maſticanda; ſed diſcretè, moderatè, & leuitèr anterioribus dentibus tenenda, & lingua mollificanda, ne eius particula dentibus adhæreat, quã fortè poſteà emitti, ſpuendo, contingat, & totum hoc ob reuerentiam tanti Sacramenti, quod ſi neceſſitas v ſpuere cogat, poſt purificationem expuatur in loco remoto, ne pedibus conculcetur; cætera conſule Miſſale Romanum, vbi in eius principio, poſt Rubricas, agit de defectibus, qui contingere poſſunt in celebratione Miſſæ; nàm hic, noſtri iuris non eſt de his agere.

Poſt communionem, in Miſſa ſolemni, illicò de Altari calix aufertur, circa quod notandum eſt, quod corpus Domini remanet ſuper Altare, vſque dum tria capitula compleantur, ſcilicet prologus Dominicæ orationis, & ipſa oratio, & *libera nos, &c.*, quia ipſe Dominus tribus diebus in ſepulchro quieuit. Poſteà verò commixto Domini corpore cum ſanguine, dataque pace, necnon dictis illis tribus orationibus à x Sacerdote, illicò fit cõmmunio, & indè calix, & corporale de Altari totaliter aufertur; quoniam anima Chriſti, quæ ad Inferos deſcendit, vt liberaret iuſtos, & membra eius viuificaret, redijt ad corpus, nec amplius inuentum eſt corpus Domini in ſepulchro; nàm Chriſtus totus homo reſurrexit, y

xit,

xit, & per hoc etiam myſteriū, hic, totus calix velatur; & po-
z teſt etiam affirmari, quod ſicut in offertorio à calice tollitur velum, vt calix à populo videatur, quia tunc Paſſio Domini manifeſtè repræſentatur; finita verò eius repræſentatione, quę, nunc, facta communione, accidit, calix rurſus velo totus tegitur, præcipuè in anteriori parte, ne videatur, vt priùs, quia iàm peracta ſunt myſteria, ideò vndequaque occultatur.

§. IV.

De Ablutione digitorum.

a TRina Sacerdotis ablutio, quæ fit in principio, in medio, & in fine, mundationē cogitationis, loquutionis, & actionis deſignat; vel purgationem peccati originalis, venialis, & criminalis; ſiuè quod agitur per ignorantiam, negligentiam, & induſtriam; ad quorum mundationem offertur ſacrificium ſalutare, *de conſec. d.* 11. *cum omne in princip.* abluit Sacerdos digitos poſt ſumptionem corporis, & ſanguinis, propter reuerentiam tanti Sacramenti, ne fortè remaneat aliquod fragmentum ex contactu eius. Et poteſt referri hęc ablutio ad Baptiſmum, cuius formā Chriſtus poſt reſurrectionē inſtituit, dicens: *Matth.* 28. *v.* 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

b Antè ablutionem digitorū, purificationem ſumit Sacerdos in medio Altaris, ad ſignificādum, quod Chriſtus *Operatus eſt ſalutem in medio terræ*, *Pſ.* 73. *v.* 12. Et *Heb.* 1. *v.* 3. *Purgationem peccatorum faciens.*

c Aliqui dicunt, quod hęc purificatio deſignat illud Pilati, lauantis manus ſuas ad perditionem ſanguinis iuſti ſuper Iudæos, *Matth.* 27. *v.* 24. *Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: accepta aqua lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius: vos videritis, &c.*

d Verba, quæ dicit Sacerdos in ſumptione, tàm corporis, quàm ſanguinis in purificatione, & ablutione digitorum, sūt ex Sanctis Patribus, & dicuntur ex ordinatione Eccleſiæ, quia habentur in Miſſali Romano, quæ eò magis deuotè

dicuntur, eò efficaciùs impetrant effectus gratiarum, qui in eis verbis à Deo petuntur.

§. V.

De his, quæ poſt Communionem peraguntur.

Antiphona, quæ à Sacerdote dicitur, & à Choro concinnitur poſt communionẽ, ad laudes, & gratiarum actionem, de Chriſti corpore, & ſãguine ſuſcepto, deſignat gaudium Apoſtolorum de Chriſti reſurrectione. *Ioann.* 20. *v.* 20. *Gauiſi ſunt ergo Diſcipuli viſo Domino.* Canitur enim ab omnibus, vt notetur communitas gaudij, & quod omnibus Diſcipulis apparuit Dominus. Eſt enim ſimùl gratiarum actio, iuxtà illud *Pſal.* 21. *v.* 27. *Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.*

f Poſteà Sacerdos oſculatur Altare, in medio, innuens ſe credere firmiter, & conſentire his, quæ circa ſacroſanctum ſacrificium peracta ſunt; & conuerſus ad populum, ipſum ſalutans, ad communitatem gaudij, & exultationis imitatur.

Deindè ad cornu Epiſtolæ redit: & hoc innuit, quod in fine Mundi, poſt Antichriſti mortẽ, Chriſti prædicatio redibit ad Iudæos per ſuos Miniſtros; & tunc erit illud *Apoſt. ad Rom.* 9. *verſ.* 27. citans *Iſa.* 10. *Si fuerit numerus filiorum Iſrael, tãquam arena maris, reliquiæ* g

e *ſaluæ fient.* Cornu Epiſtolæ ſignificat populum Iudaicum; Cornu Euangelij populũ Gentilem. Prædicatio Chriſti, & eius Euangelij à Iudæis cæpit, & ad Gentiles tranſijt, & iterũ ad Iudæos redibit, ideò Sacerdos à cornu Epiſtolæ, tranſit ad cornu Euangelij, & è conuerſò. Salutatio Sacerdotis in medio Altaris, ſignificat fidem Chriſti, ad quam vterque populus Iudaicus, & Gentilis vnitur, & reducitur, vt illuminetur, & omne bonum ſuſcipiat; bis ſalutatur populus, dicendo: *Dominus vobiſcum*, antè, & poſt orationem, quia Chriſtus bis ſalutauit Apoſtolos, *Ioann.* 20. *v.* 19. *Venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis, pax vobis.* Et *verſ.* 21. *Dixit ergo eis iterũ pax vobis*; in ſignum duplicis pacis, temporis, & æternitatis, de qua Chriſtus, *Ioann.* 14. *v.* 27. dixit Apoſtolis: *Pacem relin-* h i

linquo vobis, pacem meam do vobis. Prima ſalutatio, quæ
K fit antè collectā, ſignificat benedictionem, quàm Chriſtus aſcendens in Cœlum, dedit Diſcipulis, *Luc.*24. *v.*11. *Eleuatis manibus ſuis benedixit eis; & factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in Cœlum.* Vltima verò ſignificat benedictionem æternalem, & ideò Diaconus ſtatim cantat, *Ite Miſſa eſt*, repræſentans illud *Act.*1. *v.* 11. *Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in Cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum.*

Collectas dicit Sacerdos,
l poſt primam ſalutationem, pro numero ſecretarum, vt inquit Ordo Romanus, in vna, vel pluribus collectis Sacerdos rogat, & ſimùl gratias agit, orat pro ſe, & pro his, qui ad Euchariſtiæ communionem acceſſerūt, vt in poſſeſſione tanti boni, per opera ſanctitatis perſeuerent, gratias agit pro tanti Sacramenti perceptione; innuit autē
m orationem capitis noſtri Ieſu Chriſti, qui pro nobis ſemper apud Patrem interpellat, quod etiam innuitur in concluſione dicendo, *Per Dominum noſtrū, &c.* ſignificat etiam, quod A-
n poſtoli poſt aſcenſionem Domini erant perſeuerantes in oratione. D. Bonauentura ſic inquit: *Collecta poſt communionem ſignificat, quod vndecim Apoſtoli in Galilæa, videntes Dominum, adorauerunt. Item ſignificat, quod in Cœlis pro nobis orat, repræſentatione ſuæ paſſionis, & vulnerum; & quod poſteà iterum ſe oſtendet.*

§. VI.

De dimiſſione Populi in fine Miſſæ.

TRiplici modo innuitur
o Miſſæ finis, vt populus, ab Eccleſia licentiatus, diſcedere poſſit. Primò dicente Diacono in Miſſa ſolemni, vel priuata ipſo Sacerdote: *Ite Miſſa eſt.* Secundò *Benedicamus Domino.* Et tertiò in Miſſis Defunctorum *Requieſcant in pace.*

Primò dimittitur populus,
p in fine Miſſæ, dicendo: *Ite Miſſa eſt.* Semper quando Miſſa concordat cum officio, & in ipſo dicitur Hymnus *Te Deum laudamus*, præterquam in Miſſis Feriæ quintæ in Cœ-

na

na Domini, & Sabbati Sancti, in quorum officijs, tunc propter męſtitiam paſſionis, non dicitur Hymnus *Te Deum, &c.* & tamen in Miſſis, ratione ſolemnitatis dicitur *Ite Miſſa eſt*. Et eſt ſenſus, redite fratres q
ad propria, quia Miſſa, ſeu oblata eſt Deo hoſtia ſalutaris pro nobis, & pro omni populo Chriſtiano; vel eſt annunciatio ad populum, quia Miſſa, ſeu preces ſunt finitæ. Nàm in Concil. Aurelian. *de conſec. d.* 1. *cum ad celebrandum*, ſtatuitur, vt nullus exeat de Eccleſia, donec per Miniſtrum eis annuncietur.

Vel myſticè *Ite Miſſa eſt*, r
id eſt ite poſt Chriſtum, & ſequimini eum; non enim eſt in hoc Mundo ſtandum, ſed ad Patriam per opera bona feſtinandum; quod facilè adimplere poſſumus, quia Miſſa eſt ad Deum Patrem placandum hoſtia ſalutaris, per quam fracta ſunt Tartara, & Paradiſi eſt reſeratus Introitus.

Diaconus, vel Sacerdos di- s
cens *Ite Miſſa eſt* dirigit vultum ſuum ad populum, quia ad eos, quos dimittimus, ſermo dirigitur, & eis, ad quos ſermonem habemus, faciem repræſentamus, ſicut fit quando ſalutatur populus, dicendo, *Dominus vobiſcum*, vel *Orate fratres*, eos hortando ad perſeuerantiam orationis. Dicto à Sa- t
cerdote, vel Diacono *Ite Miſſa eſt*, Chorus gratulanter reſpondet *Deo gratias* imitantes Apoſtolos poſt Aſcenſionē Domini, *Luc.* 24. *v.* 53. *Et ipſi adorantes, regreſſi ſunt in Ieruſalem, cum gaudio magno; & erant ſemper in Templo laudãtes, & benedicentes Deum. Amē.*

Deo gratias, eſt interiectio v
gratulatiua, vel cōgratulatiua, & ſumitur de Eſdra, nō ſecūdū verba, ſed ſecundum ſenſum, quoniam populus Iſrael (dimittente eo Cyro de captiuitate Babylonica) Ieruſalem reuerſus, Deo gratias egit. Sed & Apoſtoli poſt Aſcenſionem Domini regreſſi ſunt in Ieruſalem benedicentes Dominū, vt dictū eſt. Sic & nos accepta vltima benedictione, ad Cœleſtem Patriam ibimus, vbi ſēper erimus in gratiarum actione.

Secundò terminatur Miſſa x
cum illis verbis, *Benedicamus Domino*, ſcilicet in diebus pro feſtis, & generaliter, quando in officio non dicitur Hymnus

Te

Te Deum laudamus; vel quan-
do Miſſa non concordat cum
officio, præterquam in Miſſis
votiuis Angelorum,& in Miſſa
B.Mariæ V.in Sabbato,in qui-
bus quia dicitur Hymnus An-
gelicus *Gloria in excelſis Deo*,
dicitur etiam in fine, *Ite Miſſa
eſt*.per hoc quod dicitur *Bene-* b
dicamus Domino inuitatur po-
y pulus ad gratiarum actiones,&
ſumitur ab Apoſtolo,à Pſalmi-
ſta;& ab Hymno. Triũ puero-
rum, vbi notandum eſt, quod
in primitiua Eccleſia, quando
z Miniſtri celebrabant Miſſam c
ſine frequentia populi, termi-
nabant Miſſam,dicendo, *Bene-
dicamus Domino*; quando verò
populus aderat, dicebant *Ite
Miſſa eſt*; nàm alias populus
neſciebat,quando Miſſa finita
eſſet; & quia in profeſtis die-
bus Miniſtri,vt plurimum, ſine d
frequentia populi Miſſas cele-
brant, ideò ſecundùm morem
antiquum, aliquæ Eccleſiæ ſẽ-
per in profeſtis diebus dicunt
Benedicamus Domino,in ſolem-
nitatibus autem,quia tunc po-
pulus adeſt, vel conuenit, ſem-
a per dicunt *Ite Miſſa eſt*. In
diebus autem ieiuniorum dici-
tur *Benedicamus Domino*, quia e
in omni tempore debemus Dominum benedicere, maximè autem in ſtatu pœnitentiæ, & afflictionis, reportantes manipulos meritis plenos. Nàm *Benedicamus Domino* idem eſt, quod Dominum laudare, & benedicere pro collatis bonis,&c.

Tertiò terminatur Miſſa pro Defunctis dicendo *Requieſcant in pace*, & tunc non reſpondetur *Deo gratias*, ſed *Amen*,ideſt fiat;optatur enim animabus iuſtis, in Chriſto requies, & pax.

Dicendo Sacerdos,vel Diaconus *Benedicamus Domino*, vel *Requieſcant in pace*, nõ ſtat verſus populum,quia illum nõ alloquitur diſtinctè;ſed dirigit faciem ad Altare, & mentem ad Deum, ad quem habetur ſermo.

Item Miſſæ finis, Mundi ſignificat finem,& ideò,tàm *Ite Miſſa eſt*, quàm *Benedicamus Domino*,ſignificant libertatem, quæ iuſtis in Patria dabitur, vbi ſemper Deum benedicent.

§. VII.
De Benedictione nouiſſima.

BEnedictionis formam, antiquæ legis expreſſit aucto-

ctoritas, vt patet *Num.6.verſ.* 22. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere Aaron, & filijs eius: ſic benedicetis filijs Iſrael, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Cõuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem; Inuocabuntque nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.* Item finales benedictiones f ex veteri Teſtamento etiam habentur. Nàm Iſaac, in fine vitæ ſuæ, benedixit Iacob, putans ipſum Eſau, *Geneſ.* 27. *v.* 29. & Iacob omnes filios ſuos, prædicens eis, ſpiritu prophetico, quæ ipſis, & ſuis poſteris, ventura erant, vt habetur *ibidẽ* 49. *v.* 29. Similiter Moyſes benedixit omni populo per Tribus ſuas antè mortem, vt patet *Deut.* 33. *per totum*, & Chriſtus Dominus Diſcipulis, antequã in Cœlum aſcenderet, *Luc.* 24. vt dictum eſt, ideò cum ſeparamur, comitiuam, & protectiuã, quærimus à Superioribus noſtris ſanctam benedictionem.

Sumuntur, & benedictiones g ex *Deut. cap.* 27. vbi Moyſes ſtatuit Sacerdotes ad benedicendum populo. *verſ.* 12. *Hi ſtabunt ad benedicendum populo ſuper Montem Garizim, Iordane tranſmiſſo;* Et *verſ.* 13. *Et è regione, iſti ſtabunt ad maledicendum in Monte Hebal*, ideſt h tranſgreſſores legis, à quibus poſteà excommunicationes in Eccleſia originem habuerunt, 21. *diſt. deniquè*. Regulariter autem maior minori benedicit. Sicut inquit Apoſtolus, *Hebr.* 7. *Quod minùs eſt à maiori benedicitur*. Vndè Abrahã à Melchiſedech benedictus fuit, ideò Sacerdos coram Superiore non debet benedicere, ipſo non annuente, imò Epiſ- i copo Diocæſano Miſſam audiente, Sacerdos Miſſam celebrans, in cunctis licentiam, & benedictionem illius expoſcit, quo permittente, & benedicere nolente, poteſt Sacerdos benedicere, aliter non poteſt, prout in Concil. Aurel *de conſec. d.* 1. *cũ ad celebrandos*, ſtatuitur, & *cap. præcedenti*, ſic habetur, *Populus antè benedictionem Epiſcopi, vel ſi abeſt, Sacerdotis de Eccleſia non diſcedat.*

Sacerdos autem inclinat ſe k antè medium Altaris, & manibus iunctis ſuper illud, dicit. *Placeat tibi Sancta Trinitas obſequium ſeruitutis meæ, &*

preſta: vt ſacrificium, quod oculis
tuæ Maieſtatis indignus obtuli,
tibi ſit acceptabile, mihique, &
omnibus, pro quibus illud obtuli,
ſit, te miſerante, propitiabile per
Chriſtum Dominum noſtrum.
Amen. in qua, vt patet, humiliter
acceptationem, & fructũ ſacrifi-
cij pro ſe, & pro omni Populo
l chriſtiano expoſtulat; & quaſi à
fonte omnium benedictionum,
benedictiones hauriens, oſcu-
latur Altare, eleuat oculos, ex-
tendit, & iungit manus, caput-
que cruci inclinat, vertit faciem
ad Populum, & dicit *Benedicat*
vos omnipotens Deus, Pater, &
Filius, & Spiritus Sanctus. om-
nia hæc, vt dixi, humilem modũ
hauriendi benedictiones à fon-
te omnium benedictionum de-
ſignant, pro vtilitate communi
totius Eccleſiæ. Hæc vltima be-
nedictio, miſſionem Spiritus Sã-
m cti ſignificat; quæ per ſonum, &
linguas innotuit act. 1. *factus*
eſt repente de Cœlo ſonus, tanquã
aduenientis Spiritus vehementis,
& apparuerunt illis diſpertitæ
linguæ, tanquam ignis. Ideò per
verbum oris, & crucis ſignum,
hæc benedictio à Sacerdote ex-
primitur; & licet Spiritus San-
ctus, ſpecialitèr miſſus fuerit in
Apoſtolos, quia opera Trinita-
tis ad extra ſunt indiuiſa, miſ-
ſionem illam tota Sancta Trini-
tas operata fuit; In cuius ſignũ
Epiſcopus, in benedictione epi-
ſcopali, ter ſignum crucis pro-
ducit; Sacerdos ſemel tantum,
in ſignum ſubiectionis Epiſco-
po. D. Bonauen. *Hæc benedictio*
n *ſignat, quod Chriſtus veniet in*
iudicio, & ſe nobis oſtendet, & fi-
delibus ſuis dabit benedictionem
ſuam, & tunc læti vadent ad
manſiones ſuas, de quibus dicitur
Io. 14. in domo Patris mei man-
ſiones multæ ſunt. Deniq; ſignifi-
cat hæc benedictio illam bene-
dictionẽ, quam Chriſtus aſcen-
o dens in Cœlum dedit diſcipu-
lis ſuis, vt dictum eſt, & geſtus
Sacerdotis, ſcilicet eleuatio
oculorum, & manuum, eleua-
tionem oculorum, & manuum
Chriſti innuunt, & quia Chri-
ſtus aſcẽdit in Cęlũ, ideò Sacer-
dos quaſi Chriſtũ ſequi volens,
& ipſi ſe commendans, vertit
ſe ad orientem, formans circu-
p lum. Oſculum Altaris, deſignat,
quod Sacerdos toto mentis af-
fectu omnibus præmiſſis, in ſa-
crificio, aſſentitur.

In Miſſis Defunctorum non
q datur benedictio, eo quod ſo-
lemnitatem habet benedictio,
qua caret Miſſa Defunctorum;

ſicut dictum eſt de Benedictione aquæ, quæ in Calice infunditur, & de Pace à Sacerdote danda, ante communionem; nã iſtæ cæremoniæ ſunt ſolemnitates, quæ fiunt ad vtilitatem ſpiritualem viuornm, ideò ceſſant quando Miſſæ celebrantur pro Defunctis.

§. VIII.

De Euangelio S. Ioannis, in fine Miſſæ.

DAta benedictione nouiſ- r
ſima, Sacerdos vertit ſe ad cornu euagelij, vbi legit Initium Euangelij S. Ioannis. In principio erat Verbũ, &c. quod Euangelium nunquam prætermittitur in Miſſa, ſecũdum ordinem Romanum, niſi quando fit de Feſto in aliqua Dominica, vel Feria, quæ proprium Euãgelium habet, quod eius loco legitur. Excipiuntur etiam aliquæ Miſſæ, vt videre eſt in Rubrica Miſſalis Romani.

Rectè ergo in fine Miſſę, qua- s
ſi ſemper, legitur Euangelium S. Ioãnis, quod incipit. In principio erat Verbum, &c. nam quaſi regale, imò Cęleſte ſignaculum, totam Miſſam obſignãs, ibi apparet, vt videlicet nullus fidelis Miſſæ audeat contradicere; ſicut fiebat in Regno Aſſueri, vt habetur, Eſther. c. 8. v. 8. Litteræ Regis annulo ſuo obſignabantur, ad tollendam omnem contradictionem ſubditorum; vnde ibi dicitur. *Hæc enim conſuetudo erat, vt Epiſtolis, quæ ex Regis nomine mittebantur, & illius Annulo ſignatæ erant, nemo auderet contradicere.* Cum ergo Initium Euangelij S. Ioannis ex profeſſo agat de Chriſti Domini Diuinitate, de Verbi Diuini origine, & æternitate, nec non, & humanitate; Sequitur, totum id, quod agitur in Miſſa, ex Chriſti Domini inſtitutione, eſſe Diuinum pręceptũ, & inſtitutum; quis autem Chriſti fidelium Diuinis inſtitutionibus contradicere audebit. Meritò igitur ponitur hoc Sanctũ Euangeliũ in fine Miſſæ, & nunquam prætermittitur, &c. Quaſi t
quoddam Diuinum, & Cæleſte ſignaculum, vt omnes fideles reuerentèr, & ex toto corde, totum id, quod in Miſſa continetur aſſentiant, & credant, tanquã ipſi Chriſto, & Spiritui Sancto, qui eam dictauerunt.

Inſuper tantæ extimationis, u
& reuerentiæ apud Sanctos Patres,

tres ſemper fuit Initium Euangelij S. Ioannis, propter mira z
Sacramenta, quæ continet, vt illud aureis literis exararent, & in frontibus Eccleſiarum, tanquam Diuinũ ſignaculũ ponebant, vt omnes, piè, & deuotè legerent, omnes humili, & contrito corde colerent; omnes, tãquam ſignum, è Cœlo miſſum, adorarent. Mirum igitur non eſt ſi ex pia, & ſancta con-
x ſuetudine fideliũ in vnoquoq; altari litteris exaratum proponatur, & in fine Sacroſãcti Miſſę ſacrificij legatur, ſicut tanquam Regis omnium Cæleſte ſignaculum, ad cõfirmationem eorum, quæ habentur in Miſſa, tanquam ab ipſo Chriſto, qui Deus eſt, edocta, & illuſtrata. Hinc D. Auguſt. *lib.* 10. *de Ciuit. Dei cap.* 29. inquit *Initium Sancti Euangelij ſecundum Ioãnem aureis literis cõſcribendum,* a
& per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum.

Circa finẽ Euangelij S. Io: ad
y illa verba, *& Verbũ Caro factũ eſt*, Sacerdos, & Populus genuflectunt, tum ob reuerentiam, & adorationẽ Myſterij Incarnationis, tum ob imitationẽ humili- b
tatis Filij Dei, *qui cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens.* Phil. 2. v. 6. in fine verò reſpondetur à Miniſtro, *Deo gratias*: non ſolum, vt actione gratiarum hoc tremendum, & venerabile ſacrificium ſemper terminetur ſed etiam vt myſterium innuat, ad differentiam alterius Euangelij, quod antè offertorium legitur, in cuius fine reſpondetur, *Laus tibi Chriſte*, nam illud ſignificat prædicationem Chriſti, ideòque ipſi laus tribuitur; hoc prædicationem Apoſtolorum, qui tam in proſperis, quã in aduerſis, ſemper Deo gratias agebant, perinde cum iſtis verbis, *Deo gratias* terminatur.

§. IX.

De Actione gratiarum, poſt Miſſæ celebrationem.

Miſſa celebrata, ac peracto Sacro Myſterio, Sacerdos recedit ab altari, ac Veſtiarium ingreditur, vbi ſacras veſtes reponit, & pro gratiarum actione dicit Antiphonã. Triũ puerorum, &c. cum reliquis vt habetur in principio Miſſalis.

Receſſus Sacerdotis à conſpectu Populi ſignificat Chriſtum, ab hoc Mundo receden-

tem,& in Cœlum aſcendētem, Act. 1. v. 9. *& nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.*

Antiphona. Trium puerorũ, c &c. cum cantico Benedicite, &c. & Pſal. 150. Laudate Dominum in Sanctis eius; cum reliquis, antiquus eſt mos in Eccleſia, imò definitur in pluribus Concilijs prouincialibus, nam anno Domini 506. tempore Symmachi Papæ celebratum fuit Cōcilium Agathenſe, & extat *tomo* 2. Concil. vbi *de conſecrat. d.* 5. *conuenit.* ſic habetur. *Et quia conuenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus ęqualitèr cuſtodiri, ſtudēdum eſt, ſicut vbique fit, vt poſt antiphonas, collectiones per ordinem ab Epiſcopis, vel Præsbyteris dicantur, & hymni matutini, vel veſpertini decantentur diebus omnibus, & in concluſione matutinarum, vel veſpertinarum, & miſſarum poſt hymnos capitella de pſalmis dicantur, & Plebs collecta oratione ad veſperam ab Epiſcopo, cum benedictione mittatur.*

Item in Concilio Toletano 4. celebrato Anno Domini 643. d ſub Theodoro Papa primo, ſic habetur c. 13. *Hymnum quoque triũ puerorũ, &c. in quo vniuerſa Cæli, terræque Creatura Deum collaudat, & quem Eccleſia Catholica per totum Orbem diffuſa celebrat, quidam Sacerdotes in Miſſa Dominicorum dierum, & in ſolemnitatibus Martyrum canere negligunt. Proindè Sanctum Concilium inſtituit, vt per omnes Hyſpaniæ Eccleſias, vel Gallicię, in omnium miſſarum ſolemnitatibus, idem in publico decātetur; communionem amiſſuri, qui & antiquam huius Hymni conſuetudinem, noſtramque definitionem exceſſerint.* extat hoc e Concilium tom. 3. conciliorum, ex his habetur, immmemorabilem vſum fuiſſe in Eccleſia, huiuſmodi genus gratias agendi, poſt peractum ſacrificium; vndè Apoſtolus Epheſ. 5. v. 20. *Gratias agentes ſemper, pro omnibus, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo, & Patri.*

Hi canones, licet hodie non obligent ſub peccato mortali ex conſuetudine Eccleſiæ, ta- f men Sacerdos debet has laudes, & hymnos ſemper poſt Miſſam cum maxima deuotione, & feruore recitare; primò, quia in Miſſali Romano à B. Pio V. reformato ponuntur pro gratiarum actione, & eos ex negligentia relinquere, citrà contemptum, eſt peccatum veniale;

ſe-

ſecundò,vt gratum ſe exhibeat
ſuo dilectiſſimo ſponſo, ſcilicet
Chriſto Domino,qui tanto be-
neficio eum fecit dignum,vide-
licèt cibo,& potu Cæleſti,Cor-
pore, & Sanguine ſuo pręetioſiſ-
ſimo,& recordetur illius, quod
D.Bonauentura inquit in opu-
ſculo de præparatione ad Miſ-
ſam *c.*14.*Cum autem Sacramẽ-*
g *tum expletum fuerit, cogitet Sa-*
cerdos in corde ſuo, poſt tàm no-
bilem cibum, nolo ſtercora degu-
ſtare,& cum ipſe ſit ſumma Iu-
cunditas,nolo de cætero affici cir-
ca aliquam creaturam; ſi autem
nullam affectionem habuit, reco-
gitet ſignum eſſe infirmitatis,vel
h *mortis; ignem poſuit in ſinu, &*
calorem non ſentit; mel poſuit in
ore,& dulcedinem non percipit,
& ideò talis miſeriam ſuam re-
cognoſcat,& mutet in melius vi-
tam ſuam.Si verò refectionem
i *ibi recepit,non ſibi attribuat; ſed*
infinitæ Diuinæ Maieſtatis Bo-
nitati, quæ ad bonos, & malos
extenditur,& dicat in corde. In
me Dominus operatur mirabilia
ad deteſtationem miſeriæ meę;&
ad conuincendum beneficijs ini-
quitatem meam magnam;nam
me mortuum fecit ſentire, &
vermem viliſſimum Cæleſtia de-
guſtare;ſi mihi peccatori talia fe-
cit Dominus, quid faciet ſi cor-
rexero vitam meam,& continuè
voluero in melius promouere, &
cæleſtibus vacare meditationi-
bus,& ſibi ſoli de cætero adhęre-
re?quod tamẽ facere potuerit au-
xilio Dei,nõ propria virtute; &
ſicuti cogitat; ſic opere adimple-
at. D. autem Augu. *tom.* 3.*lib.*
ex ſententijs. Sent. 189. inquit.
Inueniet illic vitam ſuam, qui
hic diſcreuerit cauſam ſuam. Et
k ſer.1.de tempo. *mutet vitam,*
qui vult accipere vitã. Nam ſi
non mutat vitam ad Iudicium
accipit vitam.

ADDITIO.

QVoniam, poſt huiuſmodi myſteriorum miſſæ tractatus editionem, caſu legi D. Auguſtinum, pulchra ſatis de cantu Eccleſiaſtico proferentẽ, opere pretium duxi, hìc, ad calcem illius ſcribere, quæ ad §. vnicum capitis octaui pag. 38. erant apponenda, vbi agitur de tono vocis in Miſſa.

D. Auguſt. *lib. 9. confeſſ. c. 6.* inquit ſic. *quantum fleui in hymnis, & canticis tuis, ſuauè ſonantis Eccleſiæ tuæ voce commotus acriter; voces illæ confluebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat indè affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis, & c. 7. & tamen tunc, cum ita fragaret odor vnguentorum tuorum, non currebamus poſt te, & ideò plus flebam inter cantica hymnorum tuorum, olim ſuſpirans tibi; & tandem reſpirans quantum patet aura in domo fænea.* Et *lib. 10. c. 33. aliquãdo autem hanc ipſam fallaciam immoderatiùs cauens, erro nimia ſeueritate; ſed valdè interdum, vt melos omne cantilenarum ſuauium, quibus Dauidicum pſalterium frequentatur, ab auribus meis remoueri velim, atque ipſius Eccleſiæ: tutiuſq; mihi videtur, quod de Alexandrino Epiſcopo Athanaſio ſæpè mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem pſalmi, vt pronuncianti vicinior eſſet, quam canenti. Verumtamèn cum reminiſcor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuę in primordijs recuperatæ fidei meæ, & nunc ipſo commoueor, non cantu ſed rebus, quæ cantantur, cum liquida voce, & conuenientiſſima modulatione cantantur; magnam inſtituti huius vtilitatem agnoſco.*

Cantum Eccleſiaſticum (prę-ter conſuetudinem in Eccleſia immemorabilem, vt patet ex dictis D. Augu.) confirmat Cõcilum Trid. *ſeſſ. 23. c. 18.* vbi præcipit; Alumnos Seminarij cantum addiſcere ad Miniſterium Eccleſiæ, cui inſeruiunt: extat etiam conſenſus Eccleſiæ Orientalis antiquiſſimus. Græci enim, & muſicum cantũ probant, & exercent in eorum Eccleſijs. Cantorum enim Inſtitutio in Eccleſia eſt vetuſtiſ-

ſima, extat enim *canon Apo-*
ſtol.43.& 69. & apud S. Igna-
tium Mart. *Epiſt. ad Philippen-*
ſes. De his plura Io. Diaconus
lib.2. de vita S. Gregorij Magni
c.6.7.8.& 9.

Inſuper vſus canendi pſal-
mos,& hymnos in Eccleſia,de-
p ſendi poſſe ex ſcripturis, affir-
mat D.Augu. *Epiſt.119. ad Ia-*
nuarium c.18. & *lib.1. retract.*
c.19. his verbis. *Sine dubitatio-*
ne faciendum eſt, maximè illud,
quod etiam de ſcripturis defendi
poteſt,ſicut de Hymnis, & Pſal-
mis canendis, cum & ipſius Do-
mini, & Apoſtolorum habemus
documenta,& exempla, & præ-
cepta de hac re tam vtili. Dauid
autem Propheta,& Rex, aucto-
re D. Auguſt. *de Ciuit. Dei lib.*
17. cap. 14. erat vir in canticis,
q eruditus, qui harmoniam mu-
ſicam, non vulgari voluptate,
ſed voluntate fideli dilexerat,
eaque Deo ſuo cantabat; imò
Cantores inſtituit, qui coram
Arca fœderis Domini Muſicis
inſtrumentis, & modulatis vo-
cibus decantarẽt 2. *Paralip.17.*
v.6. de quo Iſidor. *lib. 2. c.22.*
Amalar Fortun. *lib.3. de Eccle-*
ſiaſt. offic. cap.3. Innoc. III. *lib.1.*
Myſt. Euang. legis, c 2. Lyranus
vbi ſupra. Ex nouo teſtamento,
cantus in Eccleſia etiam pro-
r batur Luc. 19.*v.*37. *Et cum ap-*
propinquaret(Ieſus) iam ad de-
ſcenſum Montis Oliueti cœperunt
omnes turbæ Diſcipulorum gau-
dentes laudare Deum voce Ma-
gna ſuper omnibus, quas vide-
rant,virtutibus,dicentes: benedi-
ctus, qui venit Rex in nomine
Domini, pax in Cælo, & gloria
in excelſis. Philo Iudęus, *lib. de*
s *vita contemplatiua*, enarrans
Eccleſiaſticę Inſtitutionis initia,
& de prioribus Chriſtianis
agens, inquit. *Non ſolum ſubti-*
lius intelligunt hymnos veterum;
ſed ipſi faciunt nouos in Deum
omnibus eos, & metris, & ſonis,
honeſta ſatis, & ſuaui compage
modulantes, & poſtea. *Vnus,ex*
omnibus conſurgens in medio,
pſalmum honeſtis modulis cãtat.

Excitat enim Eccleſiaſticus
t cantus, & harmonia fidelium
mentes ad ardentem cupidita-
tem eius,quod in cantico dici-
tur;ſopit,ex carne, inſurgentes
affectiones, cogitationes malas
expellit, & corda cæleſti ſua-
uitate irrigat. Verùm ad can-
u tãdum laudes Diuinas tales in
Eccleſijs debent conſtitui,quo-
rum mens cum voce concordet
ſecundum illud Apoſtoli 1. *cor.*
14.*v.*15. *Pſallam ſpiritu,pſallã,*

&

& mente. Inde Concil. Aquiſgr. c. 132. & 33. *tales eligantur, qui non ſuperbè, ſed humilitèr, & ſapientèr Domino laudes debitas perſoluant, & ſuauitate lectionis, ac melodiæ, & doctos demulceant, & minus doctos erudiant: potiuſque exoptent in lectione, vel cantu, Populi ædificationem, quam popularem vaniſſimam adulationem.* Synodus mediolanenſis ſub Sācto Carolo Borromæo ann. 1565. *cap.* de muſica, & cātoribus. *Cantus, & ſoni, graues ſint, pÿ, ac diſtinti, & Domui Dei, ac Diuinis laudibus accomodati, vt ſimul, & verba intelligantur, & ad pietatem Auditores excitētur.* In Cōcil. Trid. c. de obſeruandis, & euitādis in celebratione Miſſę decretū eſt, ab Eccleſijs arceri muſicas eas, vbi, ſiue organo, ſiue cātù, laſciuū, aut impurū aliquid miſcetur: D. Hieronymus *ad Epheſ. c. 1. can.* cātātes *diſt.* 92. ſuper verba illa. *Epheſ. 5. v. 19. Cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Inquit. *Audiant hoc adoleſcentuli, audiant hi, quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt, Deo, non voce, ſed corde cantandū; nec in Tragædorum modū, guttur, & fauces dulci medicamine colliniendas, vt in Eccleſia Theatrales moduli audiantur, & cantica, ſed in timore, in opere, in ſciētia ſcripturarum. Quamuis ſit aliquis, vt ſolent Græci appellare cacotonos, ſi bona opera habuerit, dulcis apud Deum Cantor eſt; ſic cantet ſeruus Chriſti, vt non vox canentis, ſed verba placeant, quę leguntur: vt ſpiritus, qui erat in Saule ab ÿs eÿciatur, qui ſimiliter ab eo poſſidentur, & non introducatur in eos, qui de Dei domo, ſcenam fecere Populorum.* vbi D. Th. 2. 2. *q.* 111. *ar.* 2. monet. D. Hieronymum his verbis, non purè, & ſimpliciter cantum improbare; verùm arguere eos, qui in Eccleſia canunt more theatrico, vel vt ille loquitur Tragædorum modo, non ad deuotionē excitandam, ſed oſtentationis gratia, vel ad delectationem prouocandam. D. Augu. *lib.* 10. *confeſſ. c.* 33. inquit. *Cum accidit, vt me amplius cantus, quam res, quæ cantatur moueat, pœnalitèr me peccare confiteor, & tunc mallem, me non audire cantantem.* Meritò Cornelius Muſſus Epiſcopus Bitontinus, ex ordine Minorum aſſumptus. Sermone de pſalmodia, monet Cantores, ſeu Muſicos, quotiès Muſæum aſcendunt, orationem præmittere ad Domi-

·minum, vt det illis vocem, in
ore beneſonantem, & ſursùm
habeant corda ad Dominum.

Pag.27.c.6. lit. H. addatur.
Epiſcopus ſacris indutus veſti-
h bus de ſacrario procedit comi-
tatus à præsbyteris, & cæteris
Eccleſiæ ordinibus. Præcedit
vexillum Crucis, cũ acolythis
candelabra, & incenſum por-
tantibus, ob reuerẽtiam Cru-
cifixi, & alia myſteria, quę cap.
24. explicantur. Ipſe autẽ Epi-
ſcopus illis veſtibus ſacris, vt
armis ſpiritualibus phaleratus,
& quaſi armatorum acie ſtipa-
tus, in curru gloriæ ſuæ digni-
tatis euectus, ad altare accedit,
vt expugnator, & Aduocatus;
ſpiritales enim nequitias ex-
pugnat; & cauſam Populi, vt
Moyſes, apud Deum agit, vn-
de *Pſal.67. v.18. Currus Dei*
decem millibus multiplex, millia
lætantium; Dominus in eis in
Sina, in Sancto. Etenim comita-
tus eius decẽ ordinibus diſtin-
guitur. Videlicet Præsbyteris,
Diaconibus, Subdiaconibus,
Acolythis, Exorciſtis, Lectori-
bus, Oſtiarijs, Cantoribus, &
Confeſſoribus vtriuſq; ſexus,
ſcilicet viris, & mulieribus; cũ
quibus omnibus (ſcil. eorum
operibus ſanctis) Epiſcopus,
vt caſtrorũ acies benè ordina-
ta *cant.6.v.3.* & Deum vincit,
ideſt placat, & Dæmones ex-
pugnat.

Pag. 49. ad cap. 14. lit. M.
Sacerdos cum dicit *oremus*
m extendit, & iungit manus.
Manuũ extenſione, quaſi aſtan-
tium corda colligit; iunctione
verò, eadem quaſi in vnum ad
orationem cõgregat, ideò ſicut
omnium Syndicus dicit clara
voce *oremus*.

Ad caput 27. de offertorio
pag. 77. lit. x. In Sabbati San-
x cti Miſſa non dicitur, ſeu can-
tatur offertorium, quia mulie-
res, quæ vnguenta detulerunt
ad Sepulchrum, licet prò vo-
luntate ea obtulerunt Domi-
no; Chriſtus, autem iam reſur-
rexerat à mortuis, ideò Corpus
eius non vnxerunt, ergò eorum
oblatio non deducitur ad pra-
xim; ſilentium cãtorum Sancta-
rum mulierum ſilentiũ indicat.

In c.29. de oblatione Sacer-
dotis, & officio miniſtrorũ; &c.

Pag.82. lit.n. Calix diſcoope-
n ritur à Diacono, quia tũc paſſio
Chriſti incipit manifeſtè repræ-
ſentari, quæ repræſentatio ex
euangelica traditione, vel do-
ctrina in Eccleſia habetur.
Quod autem Diaconus, & Sub-

diaconis infundunt vinum, & aquam in Calice cum ſigno crucis facto à Sacerdote, & præparant oblata. Eſt ſignum illorum, qui Concilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerēt, & occiderent. Matth. 26.

Ad c. 36. §. 7. de pacis oſculo. p. 172. lit. z. Epiſcopus quando ſolemnitèr celebrat dat pacem z Prçsbytero aſſiſtēti, eodē modo, quo ſacerdos Diacono; & Præsbyter aſſiſtens alijs in Choro, &c. Vt in cæremoniali. *Epiſcop. lib.* 1. *cap.* 24. habetur. Quando autem Epiſcopus confert ordinationes dat pacē vni ex quolibet ordine, qui dant pacem omnibus ordinatis, quilibet in ſuo ordine. Ratio primi eſt, ſecundum Amalaricum *pag. mihi* 180., quia oſculū Vicarij Chriſti oſculo Chriſti congruit, & ſicut Chriſtus primò oſculū his præbuit, qui primò crediderunt; ſic Epiſcopus miniſtris primis. Ratio ſecundi eſt, quia nouos Candidatos, in ipſa ordinatione, Epiſcopus inſtituit; ideò tanquam nouos ſibi commilitones adiunctos in adminiſtratione ouium ſuarum, ſingulos ſalutat, oſculum pacis cuilibet ordini dando, & repræſentat Chriſtum, qui pacis oſculo reconciliauit Eccleſiam, ſiue de nouo, ſiue de veteri teſtamento, vt inquit Apoſtolus *Epheſ.* 2. *v.* 14. *Ipſe enim eſt pax noſtra qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem materiæ ſoluens, inimicitias in carne ſua.*

Ad §. 5. c. 37. p. 80. lit. e. in Miſſa Sabbati Sancti nō dicitur Antiphona poſt cōmunionē, quia in hac Miſſa non cōmunicant fideles: ſed tantum Sacerdos omniū nomine, qui pro laude, poſt cōmunionem cantat veſperas, &c. e

Ad §. 6. eiuſdem cap. pag. 182. lit. v. à Sabbato Sancto vſque ad Sabbatum in Albis incluſiuè *Ite Miſſa eſt* dicitur cum duplici *Alleluia*, & reſpondetur à Choro, vel à Miniſtro Deogratias ſimilitèr cum duplici *Alleluia*; nam propter paſchalem lætitiam, quæ remiſſionem peccatorum innuit, abbundant voces lætitiæ, & duplex *Alleluia*, hìc innuit duplicem ſtolam, animæ, & corporis, quæ nobis donabitur ex Chriſti Domini reſurrectione; ideò Chorus reſpondet *Deo gratias*, cum duplici *Alleluia*, ideſt Deo gratias agit de hac duplici ſtola, quæ ſibi repromittitur. v

Explicit tractatus de Sacroſanctis Miſſæ Myſterijs.

PRÆ-

PRÆFATIO

AD APPENDICEM

DE VALORE MISSÆ.

DVM in hac mortali vita ſumus,ſic tentationum ſtimulis agitamur, vt continuò in contradictione carnis, cum ſpiritu experimur. *Caro enim*,inquit Apoſtolus, *Galat.* 5. *v.*17. *concupiſcit aduerſus Spiritum; Spiritus aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcumque vultis illa faciatis.* Hinc eſt,quod multi tentationibus ſuccumbunt,& quod peius,remedijs ſpiritualibus,contra ipſas tentationes,non vtuntur,& taliter diſtracti,humanis onuſti paſſionibus, aliquando ad altare,(quod Sanctum eſt)audent accedere, ad maximum ſanctitatis dedecus;ſacra tractant,ad ipſorumet ruinam, & perditionẽ, ideò opere pretium apponendam duxi,ad calcem de Sacroſanctis Miſſæ Myſterijs, hanc Appendicem fructibus ſaluberrimis ſcatentem,ad nutrimentum bonorum,& purgationem malorum; in ea namque continentur multa vtilia,erudita,& deuota, videlicet quotuplex ſit valor Miſſæ,an finitus,vel infinitus; meritum, & demeritum,dignè,& indignè offerentium, &c.in quibus,pluribus Reuelationibus ex libris S.Birgittæ, & S.Methildis excerptis,necnon Sanctorum Patrum auctoritatibus apparet meritum, & vtilitas magna dignè offerentium; & è contrario damnum,& Iactura maxima animæ,& corporis indignè offerentium, vt eius aſpectu,& conſideratione,boni Sacerdotes ſemper proficiant in melius;mali verò,ne deteriores fiant;ſed conuertantur ad viam ſalutis; & meritum, vtilitatemq;tanti ſacrificij, bonis actibus, conſequi mereantur.

APPENDIX

De merito, ſiue valore Miſſæ.

CAP. VNICVM.

SAcrificium Miſſæ eſt meritorium, ſatisfactorium, & impetratorium. Ratio primi eſt, quia Iuſtis viatoribus, mediantibus bonis actibus ipſorum, obtinet augumentum gratiæ, dum ſpecialia auxilia illis impetrat, quibus ipſi bona opera præſtant, ac ſubindè maiorem gratiam conſequuntur; nam ſacrificium Miſſæ non confert alicui immediatè gratiam iuſtificantem, eiuſque augumentum; eoquod non poteſt fidelis, præſertim rationis Compos, iuſtificari, nec augumentum gratiæ ſuſcipere, abſque vllo ſuo omninò actu, vel abſque vllius Sacramenti ſuſceptione.

Ratio ſecundi eſt. Quia Miſſa operatur iuſtis remiſſionem pænæ temporalis, quæ reſtat poſt remiſſionem culpæ; nam cum eiuſmodi effectus non requirat actualem diſpoſitionem in ſuſcipiente, aptiſſimus videtur, vt per cauſam merè extrinſecam alicui conferatur. Et eſt ferè communis Doctorum ſententia.

Ratio Tertij eſt. Nam Miſſa valet ad quæuis beneficia, mediatè, vel immediatè impetrāda, quæ ratione aliqua, ad ſalutem animæ promerendam, ſpectant. Fundamentum eiuſmodi aſſertionis eſt, quia oratio in ſe, ad hæc impetranda, eſt efficaciſſima; Sacrificium verò Miſſæ eſt orationis genus præſtantiſſimum, quod nobis (eo etiam fine) Chriſtus Dominus inſtituit, vt per gratiſſimæ illius Hoſtiæ oblationem, & ſacrificij cruenti repræſentationem facilius omnia à Deo impetremus.

Valor autem hìc Miſſæ diſtinguitur ab effectù. Valor enim ſignificat dignitatem moralem, quam oblatio habet, vt ipſa ſufficere poſſit ad meritū, ſatisfactionem, & impetrationem, ſi iuxtà Diuinam ordinationem ad aliquid horum refe-

fe-

ſeratur: effectus autem eſt id, quod de facto datur, dariue poteſt, ob talem oblationem, iuxtà Chriſti inſtitutionem. Hìc enim effectus intelligitur ex opere operato, qui duplicitèr eſſe poteſt, Infinitus, vȝ. intenſiuè, vt ſi alicui remittatur pœna infinita, aut conferatur infinita gratia, Et extenſiuè, vt ſi infinitis hominibus, ſingulis finita gratia conferatur; vel pœna remittatur.

Inſupèr iſte effectus vtroque modo conſideratus, duplicitèr dici poteſt infinitus; primò, quaſi in actù primo, ità vȝ; vt hoc ſacrificium, quantum eſt ex parte ſua, & Chriſti inſtitutione, habeat ſufficientem vim, ad producendos eiuſmodi effectus, ſi ſufficientèr applicaretur. Secundò, quaſi in actù ſecundò, ità ſcilicèt, vt de factò producat aliquando effectum infinitum. Et hunc ſenſum ſecundum, nemo vnquam intendit, neque intendere poteſt, niſi forſitan dicat, per ſacrificium iſtud, remitti mediatè peccatū mortale, & pœna æterna, quatenus contrictionis gratiā impetrat, vt tradit D.Tho. *in 4.d.12.cap.2.ar.2.*

§. I.

De opinione Doctorum circà valorem Miſſæ.

DVæ opiniones Doctorum ſunt circa valorē Miſſæ. Prima. Sacrificiū Miſſæ ex ſe, & ex natura ſua, tam ratione rei oblatæ, quam principalis offerentis, qui eſt Chriſtus, habet valorem infinitum intenſiuè. Ità Caieta. *3.p.q.* 79. *art.* 5. *& opſc.to.2. tract.* 3. *q.2.* Sylueſt. *verb. Miſſa.1.q.9.* Angel. *eodem titul. qu.*52. Armilla ibi. *nu.*33. Viguer. *in inſtitut. Theolog.c.*16.§.2. Canus *lib.*12. *de locis c.*13. *ad* 10. Cord. *lib.1.q.3.opin.*5. *concluſ.2. &* 3. Petrus de Soto *lect.7.de euchar.* Petrus Nauar. *lib.2.de reſtitu.c.2.nu.*268. Ludou. Beia *p.* 1. *reſponſ. caſ.*22. Aragon. *de Iuſtit.q.*85.*ar.*3. Vaſquez *to.3.in 3.p.diſp.* 230. *cap.*3. & alij, quos refert Suarez *to.3.in 3.p.diſp.79.ſect.*11. & inclinat *D.Tho.3.p.q.76.ar.*5. apud Nouar. *ſumm. cap.* 25. *num.*94.

Ducuntur primò, quia Sacrificium iſtud eſt infinitum ex parte rei oblatæ, ac ſimilitèr ex parte principalis offerentis, qui

eſt

eſt Chriſtus. Secundò, quia Sacrificium eſt infinitum in repræſentando, & continendo virtutẽ paſſionis Chriſti, ideòque æſtimatur veluti organum continens in ſe totam Sacrificij Crucis virtutem, vt habetur ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. & 2. Nec obſtat, quod Sacerdos offerens ſit perſona finita; non enim offert in ſua, ſed in Chriſti perſona, atque ideò eius ſacrificium reputatur infiniti valoris.

Secunda opinio negat Sacrificium Miſſæ habere valorem, ſeù effectum infinitum intenſiuè, àc proindè, cum pro multis offertur non tantum valere ſingulis, ac ſi pro vno ſolum offerretur: quod negat prima opinio. Ità Scotus *quodlib.* 20. *ar.* 1. & 3. D. Tho. *in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *ar.* 4. *quæſtiunc.* 3. *ad* 2. D. Bona. *ar.* 2. ibi *q.* 3. *ad vltim.* Riccar. *ar.* 2. *q.* 3. Palud. *q.* 2. *Maior etiam q.* 2. Dura. *q.* 3. Adria. *quodlib.* 8. *ar.* 3. Grabiel *in can. lect.* 26. & 27. Sotus *lib.* 9. *de Iuſt. q.* 2. *ar.* 2. *concl.* 2. Couar. *cap.* Alma mater 1. *p.* §. 5. *n.* 5. & *ſeq.* Nauar. *manual. c.* 25. *n.* 92. & 110. Medina *tract. de oratione q.* 20. Angles *p.* 1. *Florum Theol. qq. in* 4. *ſen. q. de valor. Miſſæ ar.* 2. *concl.* 2. Io: Arboſeus *lib.* 2. Theoſophię *ca.* 7. Io: Sennius *in concordia cap.* 131. Azor. *p.* 2. *inſtitut. mor. lib.* 10. *c.* 20. *q.* 8. & 9. Tolet. *inſtru. lib. c.* 8. *in* 2. Valentia *to.* 4. *in* 3. *p. diſpu.* 6. *q.* 11. *pun.* 1. Sed prę cipuè Bellarmi. *to.* 2. *contro. lib.* 2. *de Miſſa c.* 4. *propoſit.* 4. & Suarez vbi ſupra *ſect.* 12. *concl.* 2. cum multis alijs, quos refert Fraxinellus *tract. de oblig. Sacerd. ſect.* 3. *præno.* 4. §. 1. *n.* 2.

Ducuntur potiſſimum iſti Doctores ex hoc; quia eſtò res oblata, in hoc ſacrificio, ſit infinita ipſa tamen oblatio, in qua ſacrificij eſſentia conſiſtit, finita eſt, & ab offerente finito, cuiuſmodi eſt Sacerdos: igitur ſi pro multis offeratur, non ità prodeſt ſingulis, ac ſi pro vno tantum offerretur.

§. II.
De opinione Auctoris.

Dico primo. Valor Miſſæ (qui ex opere operato eſt, & dicitur) eſt indeficiens, infallibilis, & certus; Infinitus, quoad ſufficientiam, non quoad efficaciam. Sicut aliàs dicitur de merito Chriſti, eiuſque ſatisfactione. Prima pars proba-

batur, quia ſacrificium hoc eſt idē prorſus, & eiusdem dignitatis cum Sacrificio Cœnæ, vt rectè Suarez *ſect.* 11. *dicto* 1. probat igitur ſi ille valor fuit indeficiēs, infallibilis, & certus, ergo, & iſte. Secunda pars et ā probatur; nam ſi Sacrificium Cœnæ à Chriſto Domino fuiſſet applicatū pro infinitis, v. g. animabus exiſtentibus in Purgatorio, omnibus, ac ſingulis prodeſſet, Igitur ità de Miſſa ſentiendum eſt, Conſequentia patet, quoniam verba conſecrationis à Sacerdote prolata, nō ſunt minus efficacia, ad myſterium perficiendum, quam fuere prolata à Chriſto Domino, quamuis Sacerdos non ſit formalitèr, & realitèr Chriſtus; eſt tamèn myſticè Chriſtus, in cuius perſona loquitur, & vera profert eadē verba, quæ Chriſtus protulit; ergò, & oblatio, quatenus ab illo eſt, ſub hac ratione, eſt ęquè digna, ac eiuſdem valoris. Dicitur quoad ſufficientiam, non quoad efficaciam; nam licet oblatio illa ſit infiniti valoris in ſe, tamen nunquam producit effectum infinitum intenſiuè, eoquod Chriſtus Dominus ad talem effectum Sacrificium non inſtituit, nec decuit inſtitui. Niſi intelligas Sacrificium Miſſæ, producere effectum infinitum mediatè, non immediatè, videlicèt impetrādo peccatori gratias præuenientes, quibus conuerſus, obtinet peccati mortalis, & pœnæ remiſſionem æternæ.

Dico ſecundo. Effectus, quē actualitèr valor Miſſæ producit, eſt finitus intenſiuus. (Ad hunc ſenſum, exiſtimo, accedit ſecundæ opinionis ſenſus.) Et tenet expræſsè Suarez *ſect.* 11. *concluſ.* 2. Fagundez *lib.* 3. *de primo præcepto Eccleſiæ c.* 6. *num.* 8.

Probatur primò. Valor huiuſmodi, ſeù effectus ex opere operato, non pertinet ad ſufficientiam, ſed ad efficaciam; at quoad efficaciam, non poteſt hoc Sacrificium eſſe infinitum; cum nec Sacrificium Crucis id habuerit: efficacia enim reſpicit effectum in re ipſa dandum: conſtat autem non dari, nec dari poſſe effectum infinitum intenſiuè, ergò, &c.

Probatur ſecundò. Valor Miſſæ, ſeù effectus hìc non eſt menſurandus ex infinitate Sacrificij; ſed ex inſtitutione Chriſti Domini. Vndè eſtò Sacri-

cri-

crificium hoc incruentum ſit infiniti valoris, quantum ad ſufficientiam ex ſe; eſt tamen inſtitutum, (inter alia) vt ſit quoddam, eiusdem Chriſti Inſtrumentum ad ſui Sacrificij cruenti ſatisfactionem, nobis applicandam; non potuit autẽ hoc Sacrificium aſſumi, vt Inſtrumentum, niſi ad determinatum,& finitum effectum,qui per Chriſti Domini voluntatẽ taxari debuit;ſicut etiam taxatus eſt effectus Euchariſtiæ, vt eſt Sacramentum;eſtò ſub hac ratione, ſit etiam infinitum.

Itẽ in Eccleſia militanti ſemper fuit communis ſenſus,vt ad obtinenda Dei beneficia,plura Sacrificia celebrari curat; ſi enim Miſſæ fructus eſſet infinitus intenſiuè, vna ſufficeret ad obtinenda omnia, quæ petuntur;igitur eſt finitus.

Notandum verò, quod hìc triplex valor,ſiuè effectus Miſſę,videlicèt meritorius,ſatisfactorius,& impetratorius, non ſunt in eadem æqualitate merendi; nam duo primi dicunt reſpectum ad meritum, & ſatisfactionem Chriſti Viatoris, ſiuè ad illum actum Cœnæ, in qua Chriſtus myſticè ſacrificauit ſuum Corpus,& ſuum Sanguinem,& hoc tremendum Sacrificium inſtituit,& ſecundum illud meritum,& illam ſatisfactionem, Miſſa producit hos effectus;nam Chriſtus Dominus,nunc,cum ſit Beatus, non eſt in ſtatu merendi, nec ſatiſfaciendi,nam ad nouum meritum,& ſatisfactionem requiritur noua libertas, quæ ſit in ſtatu viæ; Hæc autem non reperitur in Chriſto glorioſo,&c. Circa effectum impetratorium, non eſt ſic diſcurrendum; nam Chriſtus Dominus, quatenus eſt glorioſus,poteſt interpellare pro nobis, & quod ſibi placuerit, ſimiliter ad fauorem noſtrum impetrare; Chriſtus namque,& Sancti omnes ſemper interpellant pro nobis ad Deum, & hìc ſẽſus ſemper fuit catholicus, & communis in Eccleſia; vndè 1.Io:*c.2.v.1.Filioli mei hæc ſcribo vobis,vt non peccetis;ſed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem,Ieſum Chriſtum Iuſtum.*

§. III.
De triplici offerentium Genere in Miſſa.

PRimus,& Principalis offerens in Miſſa, eſt Chriſtus Do-

Dominus, qui, miniſterio Sacerdotũ, ſe Patri quotidiè offert. Ità habetur expreſsè in Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 2. vbi ſic ait. *Vna, eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens, Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum, tunc, in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.* Id etiam docet D.Tho. *3. par. q.* 82. *art.* 7. *ſol. ad* 3. *& q.* 83. *ar.* 1. *in ſolut. ſimiliter ad* 3. Sotus *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 1. & Suarez *to.* 3. *diſp.* 77. *ſect.* 1. cum, per eum, allegatis. Et probatur ex eo, quia Chriſtus, in ſcriptura ſæpiſſimè, vocatur Sacerdos in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedech. *Pſal.* 109. *v.* 4., non poteſt ſic dici, per ſolam oblationem factam in paſſione ſua, vt conſtat, & conſequenter tali nomine inſignitur, quia nunc etiam perpetuò ſacrificat, mediantibus Sacerdotibus, vndè Chryſoſtomus *hom.* 20. *ad Populum Antioch.* inquit; *Cum videris Sacerdotem offerentẽ, ne vt Sacerdotem eſſe putes hoc facientẽ; ſed Chriſti manum inuiſibilitèr extẽſam; ipſe enim eſt, qui offert, & offertur.*

Secundus offerens eſt tota Eccleſia Catholica, & Apoſtolica, quæ tanquam Communitas, & Fidelium Congregatio, illam immaculatam Victimam, Chriſtum Dominum, Deo Patri offert, per Sacerdotes miniſtros ſuos; vndè, ſicut Ciuitas dicitur agere, quod apud Regem legatus eius agit; ità Eccleſia, dicitur offerre, quod per Sacerdotes ſuos, apud Deũ Patrem offert. Atque ideò Cõcil. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 6. docet; Miſſas etiam priuatas eſſe cõmunes, quia nomine totius Eccleſię, à publicis miniſtris, ideſt Sacerdotibus, offeruntur. Et *cap.* 1. ait hoc viſibile Sacramẽtum à Chriſto Domino relictum eſſe dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, vt illud per Sacerdotes offerat. Et D.Thom. *q.* 83. *art.* 1. aſſerit, quod in orationibus, quas profert Sacerdos, loquitur etiam non in perſona propria, ſed in perſona Eccleſiæ, in cuius vnitate conſtituitur. Immò Eccleſia dicitur offerens, non ſolum, quia Sacrificiũ illud per Sacerdotes Deo offert, tanquam per ſuos miniſtros, ſed quia de proprijs etiã bonis apponit orationes, pios ritus, & cæremonias, myſterijs plenas, quibus augetur valor Miſſę accidentaliter.

Tertius offerens eſt ipſe Sa-

 cer-

cerdos; immò, & omnes Catholici, nō excommunicati; per Sacerdotem quodammodò offerre dicũtur, quatenus Sacerdos, in perſona totius Eccleſię hoc Sacrificium offert; ſed pręcipuè, qui Miſſę Sacrificio aliqua ratione cooperatur, curando nimirum pro ſe celebrari, vel ei miniſtrando, vel etiam aſſiſtendo. Ità expreſsè colligitur ex illis verbis Canon. Miſſæ. *Et omnium Circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio; pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis*; Quę verba explicans Innoc. III. infrà citandus, inquit, ideò eſſe in Canone appoſita, quia prædictum Miſſæ Sacrificium, non ſolum offertur à Sacerdotibus; ſed etiã ab vniuerſis fidelibus, pręſertim aſſiſtentibus, eidemque miniſtrantibus, quod nos notauimus in expoſitione Canonis *c.34.* §. 1., & meritò, quia, quod caput efficit, rectè etiam membra dicuntur efficere; cum igitur cuncti fideles ſint Eccleſię membra, conſequenter offerunt Sacrificium illud, quod Eccleſia, per ſuos Sacerdotes, offert. Sic D. Thom. *q. 82. art. 6. & 7.* Innoc. *lib. 3. de myſterijs Miſſæ c. 5. & 6.* Gabriel. *lect. 27. in can.* & plures alij, quos refert, & ſequitur Suarez. *tom. 3. diſput. 77. ſect. 3. initio.*

Nec obeſt, ſi dicas, vt aliquis offerre dicatur, neceſſariò requiri actionem aliquam ad Sacrificium concurrere; Offerre enim nil aliud eſt, quam ſacrificare, aut Sacrificium offerre; id autem non videtur poſſe tribui cũctis fidelibus, maximè laicis: nam illi, vel dicuntur offerre per intentionē, ſeu actũ internum; vel per externam affectionem Sacrificij; interna deuotio, ſeu intentio non ſufficit, cum enim Miſſæ Sacrificium ſit viſibile, conſequenter in externa actione conſiſtit; actio verò externa ſacrificandi, non conuenit Laicis, quippè cũ nō ſint conſecrati, proindè nec poſſunt ſacrificare; igitur; nec indè offerentes nuncupari.

Reſp. Offerentes moralitèr poſſe, per actionem externam, duplicitèr tali titulo affici. Primò generaliſſima quadam ratione, quatenus ſunt Eccleſiæ membra; quia, quod caput efficit, membra eius efficere dicuntur; & ſic cuncti fideles dicuntur offerentes, ex dictis.

Secundò magis ſpecialitèr,

dan-

dando nimirum eleemoſynam, ſeu ſtipēdium Sacerdoti, vt ſacrificet,& offerat; quod enim quis per alium facit,per ſeipsũ facere videtur,vel dicitur; vndè,qui per alium occidit, per ſeipſum occidere dicitur; & qui per alium eleemoſynam porrigit,ipſe porrigere dicitur. Similitèr philoſophandum de adſtantibus, & inſeruientibus ſacrificio Miſſæ; Hi namque, aliquo modo,cooperari dicuntur ipſi Sacerdoti; vndè, ſicut conſulentes homicidium,& illi aſſiſtentes, authoritatem præbendo,homicidæ moralitèr dicuntur,quippè, qui ex huiuſmodi conſilio, & præſentia illi moralitèr cooperantur. Ità offerentes moralitèr dicuntur, qui quouis modo ex prædictis Sacerdoti cooperantur. Immò tãtò perfectius rationem iſtam offerendi,quis participat, quãtò magis, vel pluribus modis ad ipſum ſacrificium offerendum concurrit, & cooperatur: atque ideò,magis offert,qui in Miſſa miniſtrat,quam qui ſimplicitèr aſſiſtit, & ſic de alijs. Lege miran. Manual. prælato. *to.1.q.41.ar.13.*

§. IV.

De triplici valore Miſſæ, Iuxtà triplex genus offerentium.

IVxtà hæc tria offerentium genera, conſiderandus eſt triplex valor, qui in Miſſæ sacrificio reperitur.

Primus valor reſpondet ipſi ſacrificio quoad ſubſtantiam in ſe conſiderato, ideſt, quatenus à principali offerente procedit; & quidem huiuſmodi valor ſemper eſt indeficiens, infallibilis, & certus, quoad gradum ſaltem, dumodò is, pro quo ſacrificium offertur, non ponat obicem; non enim pendet à bono,vel malo Sacerdote, ſed ex Chriſti inſtitutione dumtaxat.

Secundus valor,reſpondet ſecundò offerenti, nempè Eccleſiæ militanti;& eſt ſimilitèr indeficiens, & infallibilis; tum quia Eccleſia ipſa offerens eſt pia,ſancta,& Deo grata; Victima etiam,quam offert, cum ſit ipſe Chriſtus,ſub ſpeciebus ſacramentalibus exiſtens, eſt ſimilitèr grata, & accepta Deo; immò gratiſſima, & acceptiſſima:tum quia orationes, & cæ-

remoniæ, quibus offertur, vtpotè myſterijs plenæ,& ab Eccleſia militante, dilectiſſima Chriſti Sponſa, inſtitutæ, ſunt quoque Deo gratæ,& acceptę; ac proindè cum hæc omnia nō poſſint non eſſe grata, & accepta Deo, Similiter effectus, & valor sacrificij oblati, non poteſt non eſſe infallibilitèr indeficiens, nihil pendens à bono, vel malo Sacerdote.Ità D. Tho. *3. p. quæſt.* 82. *ar.* 6. Gab. *in can. Miſſæ lect.* 29. Azor. *to.* 1. *inſtit. mor. lib.* 10. *c.* 20. *q.* 2. §. *deindè ſciendum eſt*; Tol. etiam *lib.* 2. *c.* 8. *n.* 1. eſtò aliquantulū obſcurè; ſed apertè Henriq. *lib.* 4. *de Miſſa*, *c.* 17. *num.* 3. & alij quos ipſe refert ad Marg. lit. m.

Differt autem hìc ſecundus à primò, quia primus eſt maior, & certus ſemper in gradu, nihil minuens, aut accreſcens, atque ex infallibili iuſtitiæ lege, pro animabus Purgatorij ſatisfacit, vt docet Sotus *in* 4. *d.* 21. *q.* 2. *ar.* 3. Azor. *to.* 1. *lib.* 10. *c.* 22. *q.* 10. Henriq. *lib.* 9. *de Miſſa c.* 16. *n.* 1. & Fagundez *lib.* 3. *de primo præcept. Eccleſię c.* 6. *n.* 14.

Secundus autem valor eſt minor, nec certus in gradu, ſed maior, vel minor, pro maiori, vel minori deuotione, numero, & ſanctitate iuſtorum, in Eccleſia militante, offerentium. vndè cum valor primus ſit certus, & ſubſtantiæ sacrificij in ſe conſiderati reſpondeat, rectè appellari poteſt ſubſtantialis; ſecundus verò, accidentalis, vt tradit Fagundez citatus; differunt ſimilitèr, quia sacrificium Miſſæ, prout offertur in perſona Chriſti, eſt meritoriū, ſatisfactorium, & impetratoriū iuxtà ea, quæ dicta ſunt ſupra initio capitis; at prout offertur in perſona Eccleſiæ non habet vim merendi, aut ſatisfaciendi, benè tamen impetrandi; quoniam, & ſi communitas non poſſit aliquid mereri, aut ſatiſfacere, cum huiuſmodi actiones ſint perſonales; poteſt tamen per legatum ſuum aliquid impetrare.

Tertius valor, in sacrificio Miſſæ conſiderandus, reſpondet ipſi Sacerdoti, & alijs offerentibus: atque hic valor, nec eſt certus in gradù, cum accreſcat, & decreſcat, pro maiori, vel minori offerentium bonitate; néc eſt infallibilis orationes namque, preces, & ritus, quibus Sacerdos in Miſſa vtitur, ſi conſiderentur, vt ab ipſo, tanquam à perſona priuata

pro-

procedunt,nihil valent,nec ipſi, nec alijs, ex opere operato; Immò eidem Sacerdoti ſacrificium potius nocet, ſi in peccato mortali exiſtens, celebrare contingat. Ità Toletus,& alij infra citandi.

Ex dictis itaque, ſatis apertè deducitur, valorem reſpondentem, tam primario offerenti, ideſt Chriſto, quam ſecundario, ideſt toti Eccleſiæ militanti, eſſe ex opere operato, cũ vterque ſit indeficiens, & infallibilis; Valorem autem reſpondentem tertiò offerenti, ideſt Sacerdoti, vt perſonę priuatę,& alijs, eſſe ex opere operantis, cum hìc non ſit infallibilis, ſed pendeat à bonitate, vel malitia Sacerdotis,& aliorum offerentium.

Cæterum, vt faciliùs comprǽhendantur, quæ dicta ſunt; placet de ſingulis addere auctores,& rationes.

Primam partem videlicèt, quod valor Miſſæ quatenus à Chriſto procedit eſt indeficiẽs, infallibilis, & certus quoad gradum, &c. Tradunt Scotus *quolib.* 20. D. Thom. *3. p. q.* 79. *ar.* 5. *&* *q.* 82. *ar.* 1. Caiet. *to.* 2. *opuſcul. tract.* 3. *q.* 2. Albertinus *in* 4. *diſt.* 13: *ar.* 31. Dominicus de Soto ibi. *q.* 2. *ar.* 1. *& lib.* 3. *de Iuſtitia q.* 2. *ar.* 2. Petrus de Soto *lect.* 7. *de Euchariſt.* Canus *lib.* 12. *de loc. Theol. c.* 12. *ad* 9. Caſtro *verb. Miſſa hæreſ.* 2. Cord. *lib.* 1. *q.* 3. Bellarm. *to.* 1. *lib.* 2. *de Sacrif. c.* 4. Miranda *man. prœla. to.* 1. *q.* 41. *ar.* 6. *&* Suarez *to.* 3. *diſpu.* 79. *ſect.* 1. *cõcluſ.* 1. Vb aſſerit, nullum Catholicum contradicentem inueniſſe. Ducuntur autem iſti Doctores, tum ex inſtitutione Chriſti Domini, qui ſicut potuit, ità voluit merita ſua in certa proportione ipſi externo actui ſacrificij annectere, ad certum effectum conferendum ei, pro quo offertur; quod verò alicui operi, non ex natura ſua, ſed ex Chriſti inſtitutione communicatur, ex opere operato virtutẽ habere dicimus, vt patet in Sacramẽtis, quæ ideò dicuntur ex opere operato habere vim tollẽdi peccata, quia id cõmunicauit ipſis Chriſtus, nõ ex natura rei; ſed ex ſua inſtitutione; tum etiã, quia alias Chriſtianus Populus ſępiſſimè deciperetur, dum ſacrificium pro ſe, ac præſertim pro defunctis offerri curat, ſi ab offerentium dignitate, aut deuotione pęnderet, quoniam, abſ-

que vlla ſua culpa, is pro quo ſacrificium offerendum eſſet, priuaretur omni ſacrificij fructu, ſi offerentes in peccato exiſterent, id autem, communi Eccleſiæ ſenſui, & Chriſti inſtitutioni repugnat.

Secundam partem, (de qua maior eſt controuerſia) videlicet, quod valor Miſſæ reſpondens offerenti, ſcilicèt Eccleſię, ſit etiam indeficiens, ac infallibilis, tuetur Gabriel *ſuper canon. Miſſæ lect.* 26. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 20. *q.* 2. Enriq. & Tolet. *vbi ſupra*; Fagundez *n.* 13. citãtur etiam pro hac parte Innoc. *lib.* 3. *c.* 15. Ruper. *lib.* 2. *diuinor. officiorum c.* 6. & alij apud Enriq. Scotus ſimiliter apud Suarez eadem *diſp.* 79. *art.* 1. *ſect.* 11. *concl.* 3. vbi ipſe cũ Cordo. Couar. oppoſitum cenſet probabilius.

Mihi autem ſatis probabile, & magis pium videtur, cum priori ſententia, aſſerere valorẽ Miſſæ reſpectù ſecundi offerẽtis, ideſt Eccleſiæ militantis, eo modo, quo diximus ſupra, eſſe ex opere operato, ideſt indeficientem, & infallibilem; attenta dignitate, & gratia, qua Eccleſia apud Deum valet. Cum enim ipſa ſemper Deo ſit accepta, vt dilecta Sponſa; eiuſdẽ preces etiam, & munera, per miniſtros ſuos Deo oblata, ſimiliter ei grata ſunt; ſicut munera vnius Principis, alteri per legatum oblata, ſunt eidem grata; eſtò legatus ſecũdum ſe, fortaſsè, ingratus exiſtat.

Neq; obſtat, ſi dicas, quod oppoſitum videtur potius, experientia conſtare, cum Sacerdos in perſona Eccleſiæ celebrans, non ſemper impetrat id, quod per Sacrificium petit, ſiue ex defectu deuotionis, ſiue, quia Deus, ſecundũ ſuæ Prouidẽtiæ rationem, iudicat hìc, & nunc non conuenire.

Reſpondetur. idem poſſe obijci de Sacrificio, per Sacerdotem, in perſona Chriſti, celebrato; ſæpè enim experimur nos, non impetrare, per Sacrificium, quod petimus, idque, ob eandem rationem. Nihilominùs credibile omninò eſt, nunquam nos, ità fruſtrari hoc effectu, quin, & ſi non concedatur, quod petitur, aliquid aliud tñ largiatur nobis Deus; prout hic, & nunc iudicat expedire. Vndè Coninch. *dub.* 8. *n.* 144. ait, quod quatenus miniſter ſuſtinet perſonam Chriſti, & Eccleſiæ, eſtò non ſemper

obti-

obtineat in particulari, quod petit, attamen nunquam ſua impetratione, ità fruſtratur, quin ſaltē Deus largiatur Eccleſiæ aliquid in genere; prout ipſius Prouidentiæ viſum fuerit: immò etiam ſi miniſter improbus exiſtat, at quatenùs in perſona Chriſti celebrat, credibile eſt, ſemper aliquid obtinere ei, pro quo orat, modò hic nō ponat obicem, id autem intellige, dū miniſter pro alio offerat; nec.n. videtur rationi cōſonum, vt Sacerdos improbus aliquid ſibi impetret per eam orationem, qua enormiter peccat. Atque idem, probabiliter, cum quadam proportione, cēſet ipſe Coninch. *dub.* 7. *n.* 122. dici poſſe de vi operandi, quam hoc Sacrificium habet ex eo, quod in perſona Eccleſiæ offeratur; & quidem dignitatem Chriſti, & Eccleſiæ ità decet, vt non fruſtretur omninò eius operatio, quam hic, & nunc per Sacerdotem offert.

Tertiam partem, videlicèt valorem Sacerdoti, vt perſonę priuatę, & alijs ſimiliter offerentibus, reſpondentem, non eſſe certum in gradù, nec infallibilem. Nemo reprobat, ſeu impugnat, ſed potius amplectuntur omnes, & meritò; Cum enim Sacrificium iſtud ſit actus perfectiſſimus Religionis, eoſdem planè effectus poteſt habere, quos habent alię actiones virtutis, atque eiſdem omninò modis, nempè per modum meriti de cōdigno, vel de cōgruo; per modum ſatisfactionis, & per modum impetrationis. Ad primum operandi modum neceſſariò requiritur, vt offerens ſit in gratia, maximè quando meritum eſt de cōndigno; nam in illo de congruo non ſemper neceſſariò requiritur. Ad ſecundum autem etiam iuxtà opinionem probabilem multorum Doctorum requiritur gratia, itaut qui extra gratiam exiſtit, nec mereri de condigno, nec ſatisfacere poteſt; eſtò per modum orationis queat aliquid à Deo impetrare, cum ritè orat, itaut non peccet in ipſa oratione; vt peccat, qui in peccato ſacrificat, niſi ex facti ignorantia aliquādo excuſetur. Hinc autem manifeſtè infertur, quod tertius valor offerentis, in Miſſæ Sacrificio, ſit ex opere operantis; nam in præſenti negotio, opus operantis, id dicitur, quod reſpondet cuilibet, pro ſuo volun-

luntatis affectu, quia Miſſæ Sacrificium modo aliquo offert; vel id, quod ex bono, pioque, ac religioſo Sacerdotis affectu, exiſtit, vt docet Azor. *c.* 20. *q.* 2.*verſu.* Deindè ſciendum eſt.

§. V.

De Dubijs, & Difficultatibus, quæ in præſenti materia oriri poſſunt.

QVæres primò, an idem ſit ſentiendum de valore Miſſæ, ſeu Sacrificij, quatenus offertur in perſona Eccleſiæ; vel etiam ex opere operantis reſpectu Sacerdotis, ſeu cuiuſcumque alterius offerentis priuati.

Reſp. affirmatiuè, remota infallibilitate, & indeficientia. Et in primis, ſi loquamur de Miſſæ ſacrificio, quatenus offertur in perſona Eccleſiæ, cōſentiunt omnes, quod valor eius ſit finitus ad impetrādum. Ratio eſt, quia hìc valor fundatur in ſanctitate Eccleſiæ, vt dictum eſt ſupra, ſanctitas autē Eccleſiæ finita eſt, ac ſubindè finitus etiam eſt eius valor, & quoad hoc, locum habet doctrina D.Tho.*3. p. q. 79. ar.* 1. aſſerentis. Oblationem magis attendi ex conditione offerentis, quam ex dignitate rei oblatæ atque hinc deducit Suaerz *ſect.* 11.*concl.* 3. valorem hunc poſſe creſcere, & minui, quo in Eccleſia fuerint ſanctior es.

Si autem loquamur de valore Miſſæ, prout tertio offerenti reſpondet, eſt ſimiliter finitus intenſiuè, tum in ratione meriti, quia ſacerdos, ſeu quicumque alius offerens priuatus, nō meretur, niſi vnum, vel alterum gradum gratię, ſeu gloriæ: tum in ratione ſatisfactionis, quia non debet niſi certam, ac finitam pænam; tum etiam in ratione impetrationis, quippe perſona ſic offerens, finita eſt, eiuſque actio ſimiliter finita, etiam in genere moris; atque id indicat præcitata D. Thomę doctrina, quæ ſumpta eſt ex D. Gregorio *lib.* 7. Regiſtri *Epiſt.* 12. dicente *Hinc patentèr oſtenditur, quia non offerens à muneribus; ſed munera ab offerente placuerunt, quoniam in omnipotentis Dei Iudicio, non quod datur, ſed à quo datur inſpicitur,* & *hom.* 5. in euange. ait idem D.Grego. *non perpendit Deus in ſuo ſacrificio quantum, ſed ex quanto offeratur.* Ex his autem

ver-

verbis non eſt inferendum rem oblatam nihil conferre; ſed nõ ſufficere ad meritum offerentis, abſque dignitate, ac effectu eiuſdem, vt rectè obſeruat Suarez ibi. *concluſ.* 4.

Queres ſecundò. An idem ſit omninò ſentiendum de Sacrificio cruento, & incruento.

Reſp. negatiuè; nam hęc duo ſacrificia conueniũt quodammodo, & differunt etiam inter ſe. Conueniunt, quod in vtroque eſt eadem Hoſtia, atque idẽ principalis offerens, nempè Chriſtus, vt habetur in Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 2. Differunt autem, primò, in modo offerendi, quia in hoc eſt incruentus, & ſub ſpeciebus Sacramentalibus: in illo eſt cruentus, & in propria, ac naturali Chriſti ſpecie. Secundò, in modo operandi ſuum effectum; tum quia incruentum hoc habet omnem virtutem ſuam ex illo cruento, non è conuerſo; tum quia, illud eſt cauſa generalis totius noſtræ Iuſtificationis, & gratię, quam, ſub quauis ratione à Deo ſuſcipimus: ſecus eſt de hoc; multas enim gratias, & media ſalutis noſtræ, à Deo accipimus independenter ab hoc ſacrificio, cuiuſmodi ſunt, quæ nobis, vel per alia Sacramenta, vel ratione alicuius meriti præcedentis, vel ex mero Dei placito, abſque vllo ad actiones humanas reſpectu Diuina Bonitas confert. Tertiò etiam, quia ſacrificium cruentum ſalutem noſtram operatum eſt per modum meriti de condigno, ſatisfactionis, ac ſolutionis pretij ad remiſſionem omnium peccatorum, ad omnẽ gratiam, & gloriam, omniaque Dei beneficia, quæ vnquam alicui puro homini conferantur, & infinities maiora obtinenda, ſufficientis; ità tamen, vt per illud, nulli in particulari pars aliqua huius pretij applicetur: applicatur autem, partim per ſacrificium incruentum, partim per Sacramẽta, partim actibus noſtris ex gratia factis; & partim ab ipſa prouidentia Diuina, quæ ſua bona diſtribuit, prout vult. Cruentum igitur ſacrificium operatur ſuũ effectum, de condigno nouum noſtræ redemptionis prẽtium merendo. Incruentum autem abſque vllo nouo merito; ex Chriſti voluntate, ac inſtitutione, meritum, & pretium iam acquiſitũ certis perſonis iam applicando. Quartò

differunt,quia cum immediatus ſacrificij cruenti effectus ſit redemptionis noſtræ pretiũ, quaſi in abſtracto,& prout cõcipitur nulli applicatum; hinc fit quod effectus ipſe ſit omninò par dignitati eiusdem ſacrificij, & conſequenter omni ratione non ſolum illimitatus; ſed inſuper infinitus, atq; ideò pretium iſtud ex ſe eſt ſufficiens ad infinitos homines redimendos, etiam ſi per impoſſibile ſinguli infinita peccata patraſſent,necnon ad infinities plura, & maiora, cuiuſuis generis beneficia à Deo impetranda: Incruentum autem ſacrificium,& ſi ex ſe,& ratione rei oblatæ,ac primarij offerentis,ſit quidem infiniti valoris; ſemper tamen habet finitum, determinatumque effectum,quia cum creatura infinita,ſit impoſſibilis, conſequenter, nec gratia infinita ei dari,nec effectus vllus indeterminatus, determinato actù certæ perſonæ applicari valet.

Dices. Actio humana Chriſti,qua corpus ſuum in cruce obtulit, fuit finita, vt conſtat, igitur, & valor ipſius ſacrificij fuit finitus.

Reſpondetur. Quod licèt,dicta operatio finita eſſet, in eſſe phyſico,& naturali; attamèn vt vitalitèr proueniebat à perſona Diuina, & ab homine infinitè grato, per vnionis hypoſtaticæ gratiam;ea ipſa actio humana, & oblatio,in eſſe moris, & in entitate morali, erat Patri infinitè grata, & accepta. Atque hinc prouenit, quod cum effectus immediatus ſacrificij cruenti fuerit abſolutè infinitus, conſequentèr ſuffecerit, illud ſemel fuiſſe oblatum pro omnibus remiſſionibus,& gratijs obtinendis à Deo: è conuersò autem, cum effectus ſacrificij incruenti ſit certus, & limitatus, ſępius pro diuerſis indulgentijs, & gratijs à Deo impetrandis, offerri ſolet.

Quæres tertiò. An valor, ſeù effectus ſacrificij incruenti, ſit ſaltem infinitus extenſiuè, itàut, ſi pro multis offeratur, ſiue diuerſis ſpecialibus intentionibus,ſiue vna tantum communi, vt pro Populo,ſeu communitate,non minuatur fructus in ſingulis.

Auctores primæ ſententiæ præſertim Caieta; Syluest; Canus,Cordo; Arago; & Petrus de Soto,affirmãt, ducti potiſſimùm ex infinitate rei oblatæ, ſeù ipſius ſacrificij; immò eſtò pona-

natur, quod effectus Sacrificij ſit abſolutè finitus intenſiuè; adhuc videtur poſſe defendi, quod applicatus pro pluribus, non minuatur; vt patet de igne, qui pluribus ſubiectis, æquè diſpoſitis ſimul applicatus, poſſet in ſingulis producere calorem, æquè intenſum: atque idẽ videtur affirmari de huius Sacrificij fructu, ſi pro pluribus applicetur.

Nihilominus reſpondetur negatiuè, atque ità ſentiunt auctores ſecundæ ſententiæ. Ratio autem potiſſima, & aptiſſima ad veritatem explicandam, inſinuatur à Bellarmino *lib. 2. de Miſſa cap. 4 propoſ.* 4. & à Suarez *ſect.* 12. *concl.* 2. pendetque omninò ex Chriſti inſtitutione: nã ſicut quodlibet opus Chriſti, ex ſe, ſufficiens erat ad noſtram redemptionẽ plenè operandam, atque, vt nos per illud, gloriam, ſine vllis noſtris meritis proprijs, obtinere poſſemus; quia tamen Chriſtus pactum inijt cum Patre, vt noſtra redẽptio, non consũmaretur, niſi per ſuam mortem, nec nos gloriam, abſque noſtra cooperatione conſequeremur; idcircò Chriſti merita, non habuerunt completam vim, de facto, aliter noſtram ſalutem operandi; ità Miſſæ Sacrificium, in quo offertur, & eſt principalis offerens ipſe Chriſtus; eſtò, ex ſe, ſit infiniti valoris, non tamen habet infinitum effectum, ratione contrarij pacti, vt ſupra initi; & ſic exemplũ de igne non probat, quia ignis eſt agens naturale; Chriſtus verò agens liberum.

Sed iam probatur. Primò ſic, ex caſu Eccleſiæ, quæ vera eſt Chriſti inſtitutionis Interpres, cum à Spiritu Sancto regatur; nam alioquin Sacerdotes immeritò vni ſoli applicarẽt Miſſę fructum: ſi enim abſque vnius detrimento, ſeu præiudicio poſſent multi æqualem fructum percipere, nulla quidem adeſſet ratio, Miſſam ſic vni applicandi, vt alij excludantur: at ſi Miſſa ſit infiniti valoris extenſiuè, pro pluribus applicata, tantùm ſingulis valeret, ac ſi pro vno dũtaxat celebraretur, igitur ex debito charitatis tenerentur Sacerdotes, ad quodlibet Sacrificium, pro omnibus fidelibus æqualiter offerendum, cuius tamen oppoſitum fit, iuxtà laudabilem, & antiquam Eccleſiæ conſuetudinem.

Secundò, quia Sacerdos poſſet plura ſtipendia integra, pro

tot Miſſis celebrandis accipere, ſub intuitu vnius Miſſæ ; atque vnico Sacrificio, pro omnibus ſatisfacere,totum illud ſingulis applicando, quod videtur ſatis abſurdum, & contra communẽ Eccleſiæ praxim. Immò contra Decretum S. Congregat. Cardinalium Concil. Trid. Interp. cum aſſenſu Summi Pontif. Vrbani Octaui. Vbi inhibetur Sacerdotibus cuiuſuis dignitatis, condit.Status,& preeminentiæ, ne plura ſtipendia integra accipiant,pro vna Miſſa celebrāda; ſed tot Miſſæ celebrentur,quot, ad rationem ſtipendij, acceperunt celebrandas,vt habetur in Bullario.

Tertiò , quia in hoc ſatisfactionis effectu , non eſt alia intenſio effectus, quam multitudo ſatisfactionis ; ſed effectus Sacrificij eſt limitatus intenſiuè, vt habetur ex dictis, ergò ſatisfactio,per hoc Sacrificium, applicanda , ſicut, & limitata, quoad intenſionem,ſeu magnitudinem,ità,& quoad multitudinem , & conſequentèr reſpectù cuiuſcumque perſonæ, vel multitudinis perſonarum. Patet conſequentia,quoniam quantitas effectus eiuſdem rationis eſt,ſiue vni,ſiue multis applicetur ; atque in hoc eſt magnum diſcrimen circà illam ſimilitudinem , quam ſupra ex actione ignis deſumptam inſinuauimus; nam quod ignis poſſit interdū effectum æquè intēſum in multis ſubiectis producere;non tamen intenſiorem in eodem ſubiecto cauſare, hoc inde prouenit , quia multiplicatio effectus,eſt res ſatis diuerſa à maiori intenſione, & propterea nil mirum , quin virtus cauſæ ad vnam ſufficiat,& non ad aliam. Adde , vt dixi; quod ignis agit ex neceſſitate naturæ in quodlibet paſſum, æquè propinquū, & diſpoſitum : Miſſæ autem ſuffragium agit ſecundū Chriſti inſtitutionem , & liberam applicantis intentionem . Ità Riccar.Dur.Medi. , & Cordo. vt ſupra.

Quæres quartò. An vis huius ſacrificij poſſit modo aliquo dici , ſaltem Syncategorematicè infinita.

Reſp.affirmatiuè , ſi Sermo ſit de fructu offerentibus reſpondente,qui per modum impetrationis obtinetur; is enim ratione deuotionis , aut multitudinis offerentium,poteſt in infinitum ſemper creſcere. Ratio eſt;tum quia , quo offeren-

tes plures ſunt, aut deuotiùs offerunt ſacrificium, eò maiorem habet vim impetrandi, ſicut enim multiplicantur perſonæ offerentes, ità multiplicãtur oblationes, quaſi partiales, & ex omnibus conflatur, quaſi vna integra, quæ moralitèr loquendo, eò maioris valoris exiſtit, quo ex pluribus partialibus conſtat, ſi cætera ſint paria. Tum quia, licet fructus impetrationis non fundetur in promiſſione aliqua ſpeciali, fundatur, ſaltem, in intrinſeca dignitate, & valore ipſius sacrificij, in ſe conſiderati, & cõſequentèr sacrificium iſtud de ſe eſt ſufficiens ad impetrandũ quodlibet beneficium, ſeu beneficiorum multitudinem, quãuis enim beneficia in numero, ſeu perfectione, augeantur in infinitum, adhuc illa, sacrificiũ, ratione rei oblatæ, & principalis offerentis, longè ſuperat, atque excedit. Ità habetur ex D. Tho. *in 4. diſ. 45. ar. 4. quæſtiuncul.* 2. Suarez *diſp. 79. ſect.* 12. *concl.* 3.

Hinc infertur, quod quando plures eandem Miſſam audiũt, vel ei inſeruiunt, & ità eam, modo aliquo ſimul cum Sacerdote offerunt, omnes, & ſinguli, quatenus offerentes ſunt, integrum percipiunt fructum, non minorem, quam ſi vnus tantum eſſet offerens. Vnde, iuxta hunc ſenſum, poteſt fructus huius sacrificij dici ſimilitèr quodammodo infinitus; vel potius augumentabilis in infinitum extenſiuè. Ità Suarez ibi *concl.* 1. & Conich. *dub.* 10. *nu.* 189. ratio eſt. Tum quia audientes Miſſam, quo plures concurrerent, eò minorem fructum perciperent, ſolũ ob multitudinem audientium, quod eſt valdè abſurdũ; immò multorum preces, per modũ vnius Deo oblatæ, ſunt magis efficaces, quam ſi ſingulæ ſeparatim offerantur. Hic enim locum etiam habet, commune illud axioma *virtus vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa*. Atque ideò Eccleſia, in neceſſitatibus publicis, curat multos ad orandum ſimul conuenire. Tum quia cũ ibi ſint diſtinctæ oblationes, vt diximus, conſequẽter ſunt etiã diſtincti effectus ijs reſpondẽtes, qui potius creſcũt ex multitudine offerentium, cum ſic mutuò ſe ſe ad maiorem deuotionem excitent.

§. VI.

De Vtilitate eorum, qui deuotè Miſſam audiunt.

HIc placet apponere vtilitates, & fructus, quos, audientes Miſſam deuotè, conſequuntur; qui licet ſic numeroſi ſint, vt explicari, ad ſufficientiam, nequeant; tamen nõnullos, ob deuotionem chriſtianorum catholicorum, ponam; præcipuè illos, quos colligit, ex Sanctis Patribus, venerabilis P. Bernardinus de Buſtis Ordinis minorum, in Roſario Sermonum. *p. 2. ſermone* 13. *tertia parte ſermonis. De Sacrificio Miſſæ*; qui breuitatis cauſa ad duodecim fructus, ſeu vtilitates audientium Miſſam, reducit.

Prima igitur vtilitas Miſſæ, dicitur *receptionis*; ſecundum enim quod colligitur ex dictis Auguſtini in *c. quia paſſus*; *de conſecratione d.* 2. Ille, qui deuotè intereſt Miſſæ; ſi illa die moriatur contritus de peccatis ſuis, licet actualitèr recipere non potuerit Eccleſiaſtica Sacramenta; tamen illa cenſetur obtinuiſſe, & recipiſſe.

Secunda vtilitas dicitur *impetrationis*, de qua, inquit Hieronymus, *abſque dubio dabit nobis Dominus Deus illud, quod in Miſſa petimus, & quod magis eſt, etiam ſæpè dat, quod non petimus, Vndè immolata, eſt Dei glorificatio, Sanctarum animarum refectio, & humani generis exaltatio; qui ergo deuotè intereſt Miſſæ, in qua filius Dei offertur Patri, & quidquid petitur, in nomine eius poſtulatur; quodcumque iuſtum petierit, obtinebit; dicente ipſo Domino Ieſu Io.* 16. *quodcumque petieritis Patrem, in nomine meo, dabit vobis.*

Tertia vtilitas, dicitur *meritationis*. Magis enim meretur audiens vnam Miſſam deuotè, & ſine peccato mortali, & multò magis eam celebrans, quam ſi peregrinando tranſiret totum ſpatium terræ, & omnem ſubſtantiam ſuam erogaret pauperibus, ſecundum Bernardum; vnde dixit Auguſt. quod omnes paſſus, quos facit homo, eundo ad miſſam, ab Angelo ſcribũtur, & pro quolibet paſſu Dominus dabit bonum præmium.

Quarta vtilitas, dicitur *conuerſionis*. Secundum enim Ambro-

broſium; illud, quod homo comedit poſt auditionem Miſſæ, in melius nutrimentum conuertitur, & magis proficit, & conuenit naturæ.

Quinta vtilitas, dicitur *ſuperationis*. Secundum enim Anſelmũ, plus valet vna Miſſa audita in vita, quã millæ dictæ poſt mortẽ pro eadẽ perſona; vna Miſſa ſuperat virtutem omnium aliarum orationum, quantum ad remiſſionem culpæ, & pœnæ impetrandam; & meritò, nam ſicut caput eſt nobilior pars corporis, & in dignitate, excedit omnia alia membra, *l. cum in diuerſis, ff. de Religione, & ſumptibus funeribus*; Ità oratio capitis noſtri plus valet, quam orationes omnium membrorum Corporis Miſtici: & ideò Miſſa, quæ oratio eſt capitis noſtri Chriſti, & eius sacrificium, plus eſt grata Patri Cæleſti, & magis ab eo obtinet, quam quæcumque orationes cunctorum Sãctorum.

Sexta vtilitas, ſecundum Bernardum, dicitur *parturitionis*. Ait enim quod ſi mulier grauida deuotè audiat Miſſam, ſi eodem die pepererit, nõ ſentiet in die magnum dolorem.

Septima vtilitas, dicitur *ſaluationis*; ſecundũ enim Chryſoſtomum, celebratio Miſſæ, quodammodo, tantum valet, quantum mors Chriſti in Cruce; ſicut enim per mortem Chriſti redempti ſumus, ſic per celebrationem Miſſæ ſalutem conſequimur; vndè ſecundum Grego. *Pro qualibet Miſſa vnus peccator conuertitur, & vna anima abſoluitur à pœna ſibi, pro peccatis, debita, & vnus iuſtus in via rectitudinis conſeruatur*; & propterea idem Grego. in collecta Miſſæ dicit, *ſit ablutio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit viuorum, atque mortuorum fidelium remiſſio omnium delictorum.*

Octaua vtilitas, quæ ſequitur ex prædictis, dicitur *mitigationis, ſiue relaxationis*: ſecundum enim Hieronymum, *Animæ, quæ ſunt in Purgatorio, pro quibus ſolet Sacerdos in Miſſa orare, interim nullum tormentum ſuſtinent, dum Miſſa celebratur*; Dicit quoq; Grego. quod *pœna viuorum, & mortuorum, interim dum Miſſa celebratur, relaxatur, & præcipuè illorũ, pro quibus oratur ſpecialitèr*; idem quoque Grego. de ſacrificio Miſsæ inquit; *hæc*

vi-

ctione;Septimò, quando accipitur benedictio Sacerdotis in fine Miſſæ; hæc omnia probantur per capitulum dictum.*prima.q.* 1.vna cum capitulo.*Tres ſunt.*de *pœnit.d.* 1. & *c.de quotidianis,de pœnit.d.* 3. vna cum ſuis gloſſis; & propter hoc Eccleſia ſtatuit,vt quotidiè Miſſę celebrentur,vndè *de conſe. d.*2. *c. iteratur*. Scriptum eſt. *Iteratur quotidiè hæc oblatio, licèt Chriſtus ſemel tantum paſſus ſit, quia quotidiè peccamus,peccatis, ſine quibus mortalis infirmitas viuere non poteſt.Et ideò,quia quotidiè labimur,quotidiè Chriſtus ꝑ nobis myſticè immolatur.*

Nota autem totum hoc, quod dicitur de remiſſione culparum venialium, ſemper intelligitur cum actu internò fidelium, ſiue doloris, vel feruoris,aut deuotionis,& cætera huiuſmodi.

Decima vtilitas poteſt appellari *conſeruationis*, quam ponit Auguſt. *in lib. de corpore Chriſti*. Dicit enim quòd illo die, quo quis videt corpus Chriſti, lumen oculorum conſeruatur ei; & quod pro illo tempore, quo quis audit Miſſam,non ſeneſcit, ſed ſeruatur in eodem vigore, quo erat quando incæpit audire Miſſam. Sicut, & Adam,cum de ligno vitæ comedebat, non infirmabatur,nec ſeneſcebat, nec vita eius breuiabatur.

Vndecima vtilitas dicitur *augmentationis*; de qua Innocentius *in lib.*3. *de officio Miſſæ cap.fin.*dicit. *Per huius Sacramenti virtutem, vniuerſa in nobis virtutes augentur,& omnium gratiarum fructus exuberant.*

Duodecima vtilitas dicitur *præſeruationis*. Pręſeruat enim Deus audientem Miſſam à multis periculis, vt aſſerit Augu. dicens, *quod illo die, quoquis Miſſam audierit deuotè,morte ſubitanea non morietur;etſi abſque communione deceſſerit, pro communicato habebitur*; & iterũ ait;*in illa hora viſionis corporis Chriſti,Diabolus exit de corpore cuiuslibet peccatoris, deuotè illud aſpicientis; & qui Miſſam integrè,& deuotè audierit, non deficiet,illo die,ſibi cibus neceſſarius.*Idem quoque; quod per auditionem miſſæ, homo liberatur à multis malis,& periculis, affirmat Grego. *in* 4.*Dialogorum.*

§. VII.

De Sanctis Reuelationibus circa Miſſam, & ipſius fructum.

EX multis Sanctis reuelationibus conſtat fructum magnum animarum fidelium ex deuota aſſiſtentia ad Miſſæ Sacrificium.

Primò, ex reuelatione S. Metildi facta, vt ipſamet refert, *lib. 3. de ſpirituali gratia c.* 20. Septem modis Chriſtus, in Euchariſtiæ Sacramēto, ſuper Altare venit. Primus modus dicitur *humilitatis*. Chriſtus Dominus in Sacrificio Miſſæ tanta humilitate venit, vt nullus, quanquam malus, & ſceleſtus ſit, ad ipſum contritus, & humiliatus accedat, quin ab eo non amplectatur, & in filiorum Dei aggregetur. Secundus modus eſt *patientiæ*. Cum tanta patiētia pro iniurijs ſibi à peccatoribus illatis, Chriſtus Dñs venit ſuper Altare, vt nullus ei ſit inimicus, quin reconciliationem petens, ei denegetur, immò maxima peccata, ab eo patrata, cum magna patientia Chriſtus ſuffert. Tertius modus eſt amoris. Cum tanto affectu, & amore venit, vt nullus ibi præſens, etiam frigidiſſimus in eius charitate, immò in ſua culpa durus, & oſtinatus; quin, ſi velit in fornace charitatis eius accendi, non aduratur; Quartus modus eſt *liberalitatis*. Cum tanta liberalitate in Euchariſtia apparet Chriſtus Dominus, vt nullus ibi præſens, tam pauper, immò ſummè mendicus, quin ab eius magnificentia ditari abbundantius non poſſit. Quintus eſt *dulcedinis*. Tanta ſuauitate, & dulcedine omnibus in ſufficientem cibum ad manducandum ſe præbet, vt nullus ibi præſens, infirmus, & famelicus, quin ab eo copioſè reficiatur, & ſatietur. Sextus modus dicitur *illuminationis*, Tanto lumine, & claritate eſt in Sacrificio Miſſæ, vt nulla mens fidelis, tam cæca, & tenebroſa ſit, quin ab eo illuſtrari non poſſit. Septimus modus dicitur *abbundantiæ*; tam plenus ſanctitate, & gratia, vt nullus ibi aſſiſtens, tam tæpidus, & indeuotus ſit; quin ab eo non poſſit excitari, nec non inferuorari ad amorem eius, & charitatem proximi.

Cap. 19. eiuſdem libri 3. Chriſtus Dominus loquitur

eidem. Qui deuotè Miſſæ Sacrificio aſſiſtit; in hora mortis eius, tot Sanctos nobiles aſſiſtentes habebit; (ſcilicèt à me miſſos), quot Miſſas deuotè audiuerit.

Lib.1.c.6.circa finem.Chriſtus loquitur eidem. Aſſiſtentes Miſſæ Sacrificio, & deuotè recitantes orationem Dominicam ad illa verba.*Sanctus, Sãctus, &c.* Et ſucceſſiuè dicunt hãc orationem. *Ieſu dulciſſime, & pÿsſime Domine;omnipotenti, ſapientisſimo, ac dulcisſimo cordis tui amore, diſpone cor meum ad recipiẽdum ſpiritualiter corpus tuum,vt per me ſemper tua Diuina voluntas adimpleatur.* Ante benedictionem,quę fit in fine Miſſæ dicat.*Laudo te amor fortisſime; glorifico te amor ſapientìsſime; magnifico te amor benignisſime, & dulcisſime propter omnia bona, quæ operatus es in nobis diuinitate, & humanitate,& operabis per ſæcula ſęculorum reſpectu amoris cordis tui.* Hæc facientes,quando Miſſæ Sacrificio aſſiſtunt ad benedictionem Sacerdotis, quæ fit in fine Miſſæ,his benedictionibus ego replebo:ſcilicet.*Benedicat vobis omnipotentia mea; doceat vos ſapientia mea; Dulciſſima bonitas mea repleat vos, & ad me,ſine fine attrahat, & vniat.* Omnia hęc ex reuelationibus S. Metildis in locis citatis.

Ex reuelationibus B. Gertrud.*lib.* 4.c. 25. Quotiescumque fidelis Chriſtianus deuotè adorauerit Chriſtum in Sacramento euchariſtiæ;toties augebit meritum ſuum in Cœlo; quia tot gradus accidentalis gaudij obtinebit in Cœlo, quoties deuotè, & humiliter, in terra, corpus Chriſti aſpexerit; & ſi hoc obtinere nõ potuerit; vehemẽs deſiderium, hoc adimplendi, ei habetur pro facto.*Et lib.3.eiuſdem c.*18. §. 4. deuotè aſſiſtentes ad Sacrificium Miſſæ, Deus Pater placido vultu, eos intuetur,ratione Hoſtiæ Sacroſanctæ, ipſi, ab eis oblatæ;& accidit eis, ſicut illis,qui ex tenebricoſo loco exeunt,videntes lumen Solis, ſtatim totaliter illuminantur.

§. VIII.

Væ, & lamentationes Chriſti Domini, contra Sacerdotes, indignè Miſſam celebrantes, &c.

VSque modò diximus bona optima, quæ præparat Chriſtus Dñs bonis chriſtianis, & etiã malis quãdo de peccatis cõterũtur dũ aſſiſtũt, in oblatione Sacræ Hoſtię. Nũc videndum eſt de malo maximo, quod euenit illis, qui indignè, & cum paccato mortali accedunt ad Altare, ad tractandam oblationẽ ſacram; de his enim maximè conqueritur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & væ, & maledictiones eis minatur, ſi non reſipiſcant; vt habetur *to.* 1. *lib.* 1. *c.* 47. *nu.* 3. D. Birgittæ Reuelat.

Chriſtus loquitur. Sicut enim aliquid aridum, & citò arſurũ, ſi igni apponeretur, citò conſumitur, & nihil remanet de figura lignorum, ſed totũ eſt ignis; ſic dictis illis verbis. *Hoc eſt Corpus meum.* (Scilicèt à Sacerdote); quod primus fuit panis, fit ſtatim corpus meum, nec inceditur, ſicut ligna, igne; ſed Deitate mea, ideò, qui comedũt panẽ meũ, produnt me; quę autem poterit eſſe abominabilior interfectio, quam illa, vbi aliquis interficit ſeipſum; aut quæ deterior proditio, quam vbi duo indiſſolubili vinculo iuncti, alius alium prodit, vt puta, coniuges? Quid autem facit conſors, cum prodere voluerit conſortem? Verè dicit ei ſub ſimulatione, eamus ad locum illum, vt impleam tecum voluntatem meam; illa autem, in vera ſimplicitate, parata ad omnem voluntatem conſortis, vadit cum eo; ſed cum opportunum tempus, & locum inuenerit, producit contra eam tria inſtrumenta proditionis; aut enim habet aliquid, ità ponderoſum, quod vno ictu, interficit eam; aut ità acutum, quod ſtatim intrat in viſcera, aut aliquid, quo ſuffocatur ſtatim, & intercluditur ſpiritus vitalis. Cum autem mortua fuerit Coniux, cogitat proditor apud ſe. Nunc malè feci; ſi apertum, & publicũ erit facinus meum, condemnabor ad mortem, ideò vadit, & ponit corpus illud cõſortis mortuæ in occulto loco, ne detegatur peccatum ſuum. Sic faciunt mihi Sacerdotes, qui

qui proditores mei ſunt; Ipſi enim,& ego, vno vinculo ligamur; quando ſumunt panem, & proferendo verba faciunt inde corpus meum verum, quod de Virgine ſumpſi. Hoc non poſſent omnes Angeli facere, quia Sacerdotibus ſolis illam dignitatem dedi, & ad ſummos ordines ipſos elegi; ſed ipſi faciũt mihi ſicut proditores; nam oſtendunt mihi faciem lætam, & blandam, & ducunt me in occultum locum, vt prodant; Sacerdotes ipſi, tunc oſtendũt faciem lætam, cum videntur eſſe boni, & ſimplices; ducunt me in conclaui, cum procedunt ad altare; tunc ego paratus ſum quaſi ſponſa, vel ſponſus, facere omnem voluntatem eorum; ſed ipſi produnt me. Primò adhibent mihi ponderoſum, quando Diuinum Officium, quod dicunt mihi, eſt eis oneroſum, & graue; magis enim loquuntur centum verba pro Mundo, quam pro honore meo vnum; magis darent centum marchas auri prò Mundo, quã vnum denarium pro me; magis centies laborarent pro propria vtilitate, & Mundi, quam ſemel pro honore meo. Hoc onere deprimunt me, quaſi mortuus ſim à cordibus eorum. Secundò pungunt me quaſi acuto ferro, quod intrat in viſcera, quando Sacerdos accedit ad Altare, cogitat, & pænitet, habens firmam voluntatem peccandi iterum, peracto officio, cogitando ſecum. Benè pæniteo de peccato; ſed non relinquam illam à me, cum qua peccaui, ità quod non amplius faciam; iſti quaſi ferro acutiſſimo me pungunt. Tertiò quaſi ſuffocatur ſpiritus, cum cogitãt ſecum ſic. Bonum, & delectabile eſt eſſe cum Mundo; bonum eſt luxuriari, & non poſſum cõtineri. Faciam voluntatem meã in iuuentute, cum autem ſenuerim, tunc abſtinere volo, & me emendare; ex iſta peſſima cogitatione ſuffocatur ſpiritus. Sed quæritur, quomodo? Vtiq; cor eorum ſic frigidatur, & tepeſcit à me, & ab omni bono, vt nunquam calefieri poterit, nec reſurgere ad charitatem meam. Sicũt enim ex glacie, etiam ſi adhibeatur ignis, non ſurgit flamma, ſed liqueſcit; ſic iſti, etiam ſi dedero eis gratiam meam, & audierint verba admonitionis, non tamen exurgunt ad viam vitæ, ſed arent, & deficiunt ab omni bono; ſic ergo

go produnt me, ex eo ſcilicèt, quod oſtendunt ſe ſimplices,& non ſunt,& quia grauantur,vel turbantur ex honore meo, quo deberent delectari;ex eo,quod habent voluntatem peccandi, & promittunt ſe vſque in finē peccaturos. Tunc etiam quaſi abſcondunt me, & ponunt me in loco occulto, quando cogitant apud ſe. Scio me peccaſſe ſi abſtineo à Sacrificio,confundor, & diiudicor ab omnibus; & accedūt ad Altare, impudētèr, & ponunt me ante ſe, & tractant me Deum verum, & hominem, cum quibus ſum, quaſi in occulto loco, quia nullus ſcit,nec conſiderat, quā praui, & deformes ſunt, ante quos, quaſi in occulto iaceo Deus, quia etiam ſi peſſimus homo fuerit Sacerdos, & dixerit verba illa, ſcilicet, *Hoc eſt Corpus meum*; ipſe conſecrat verum corpus meum, & iaceo ante eum,verus Deus, & homo, ſed cum ipſe applicuerit me ad os ſuum,tunc ego deſum per gratiam, cum deitate,& humanitate ab ipſo:forma autem panis, & ſapor remanet ſibi non quod non veracitèr ibi ſim cum malis,ſicut cum bonis, propter Sacramenti inſtitutionem;ſed quia ſimilem effectum non habent boni, & mali. Ecce tales Sacerdotes non ſunt mei Sacerdotes,ſed veri proditores; ipſi,& me vendūt,quaſi Iudas, & produnt. Ego conſpicio Paganos,& Iudæos,ſed nullos video eis deteriores,quia ipſi Sacerdotes ſunt in eodem peccato,quo cecidit Lucifer. Nunc etiam dico tibi Iudicium eorū, & cui sūt ſimiles. Horum iudicium eſt maledictio. Sicut maledixit Dauid eis,qui non obediunt Deo,qui cum eſſet iuſtus Propheta,& Rex, non maledixit ex ira,vel mala voluntate, ſeu ex impatientia,ſed ex iuſtitia Dei;Sic ego,qui melior ſum Dauid, maledico eis, qui ſunt Sacerdotes,non ex ira,vel mala volūtate,ſed ex iuſtitia. Maledictum ergo ſit omne, quod de terra ad vtilitatem ſuam receperint,quia nō laudant Deū, & Creatorem ſuum, qui dedit eis hæc;maledictus ſit cibus,& potus eorum, qui intrat in os eorum,qui pauit corpus in cibum vermium, & animam ad Infernum. Maledictum ſit corpus eorum, quod reſurget in Infernum, ſine fine arſurum. Maledicti ſint anni eorum,quibus vixerūt inutiliter. Maledi-

ęta ſit hora, quæ incipit eis in Inferno, & nunquam finietur. Maledicti ſint oculi eorum, quibus viderunt lumen Cœli. Maledictæ ſint aures eorum, quibus audierunt veba mea, & nō curabant. Maledictus ſit guſtus eorũ, quo guſtauerũt dona mea. Maledictus ſit tactus eorum, quo tractauerunt me. Maledictus ſit odoratus eorum, quo odorauerunt delectabilia, & me neglexerunt delectabiliorem ſuper omnia; ſed quæritur, quomodo maledicuntur? vtique. Maledictus erit viſus eorum, quia non videbunt viſionem Dei in me, ſed tenebras, & pænas Inferni. Maledictæ ſunt aures eorum, quia non audient verba mea, ſed clamorem Inferni, & horrorem. Maledictus eſt guſtus eorum, quia non guſtabunt de bonis meis æternis, gaudium, ſed amaritudinem æternam. Maledictus eſt tactus eorum, quia non tractabunt me, ſed ignem perpetuũ. Maledictus eſt odoratus eorũ, quia non odorabunt odorem illum ſuauiſſimum in Regno meo, excedentem omnia aromata; ſed fætorem in Inferno habebunt, amariorem felle, & peiorem ſulphure. Maledicti ſunt à Cœlo, & Terra, & ab omnibus Creaturis inſenſatis, quia ipſæ obediunt Deo, & laudant, & iſti ſpreuerunt. Propterea *Iuro in veritate mea, quia ſum veritas, quod ſi ſic moriuntur, & in tali diſpoſitione; qua nunc conſtituti ſunt, nunquam charitas mea, nec virtus concludet eos in ſe; ſed ſine fine damnabuntur.*

Annotationes ſuper hanc reuelationem D. Birgittæ ex Cardinali Turræcremata.

S*Icut enim aliquid aridum, & citò arſurum, ſi igni apponeretur, citò conſumitur, & nihil remanet de figura lignorũ, ſed totum eſt ignis. Sic dictis illis verbis. Hoc eſt corpus meum, (ſcilicet à Sacerdote) quod prius fuit panis, fit ſtatim corpus meũ.*

Hoc loco, in quo de Euchariſtiæ Sacramento agitur, tria breuiter à nobis notanda ſunt. Primò quidem exemplum allatum conuerſionis ligni in ignẽ, non eſſe per omnia ſimile conuerſioni illi, quo ſubſtantia panis, tranſit in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem; quandoquidem illa non eſt totalis cõuerſio, cum lignorum materia ſu-

ſuperſit; hæc vero tranſubſtantiatio dicitur, quia eſt totius ſubſtantiæ in aliam ſubſtantiam conuerſio, vt patet ex Concilio Romano ſub Greg. 7. ex Concil. Later. ſub Inno. 3. &c. firmiter de Summa Trinitate, & Fide catholica, & Concil. Conſtan. *ſeſſ.* 8. & Concil. Florent; & Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 4. verba quæ ſequuntu, ſcilicèt, nihil remanet de figura lignorum, indicant, quod ſicut omnis lignorum figura, poſt conuerſionem, penitus deperditur; ità quoq; prolatis verbis, nihil de ſubſtantia panis ſub his ſpeciebus reperitur, & ex hac parte adductum exemplum quadrat. Secundò animaduertendum eſt nobis, quod cum legimus hic, quod prius fuit panis, ſtatim fit Corpus Chriſti; verbum, fieri, non eſſe ſumendum ſecundum proprietatem ſermonis, quia in rigore formaliter hæc propoſitio non eſt vera; ſubſtantia panis fit corpus Chriſti: ſumitur ergo pro actu conuerſionis, & tranſubſtantiationis, quia verè ſubſtantia panis conuertitur, & tranſubſtantiatur in Corpus Chriſti: atque ſic explicandi ſunt plures, ex Sanctis Patribus, qui, hac loquendi forma vſi ſunt. Poſtremò admonere lectorem cenſui, huiuſmodi conuerſionem, & tranſubſtantiationem non fieri per motum localem; ſed motu inſtantaneo, quia ſcribitur hic, *dictis illis verbis, ſtatim fit corpus meum*; & in eodem inſtanti, quo deſinit panis, incipit eſſe corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus, neque enim aliqua ſucceſſionis ratio excogitari poteſt, cum præſertim principium efficiẽs ſit infinitæ Potentię, quod ſicut poteſt eleuare creaturam, quæ viribus proprijs non valet producere, ità poteſt eleuare eam ad modum operandi independenter à motu, à tempore, & à ſucceſſione; quod annotauit D. Tho. 3. *p. q.* 75. *ar.* 7.

Hoc non poſſent omnes Angeli facere, quia Sacerdotibus ſolis, illam dignitatem dedi.

QVemadmodũ Deus poteſtatem ſuam non alligauit Sacramentis, vt ſine ipſis Sacramentalem effectum conferre non poſſet, ita quoque ſuam virtutem, non ſic Eccleſię Miniſtris, ac Sacerdotibus alligauit, vt etiam Sanctis Angelis, Sacramentorum miniſterium, com-

committere minimè poſſet, quod ſatis apertè ipſemet Chriſtus Dominus teſtatur *lib.* 4.Reuel. *cap.* 133. eiuſdem D. Birg.paulò antè medium, cum dicit: *Elegi Sacerdotes, pre omnibus Angelis, & iuſtis, & dedi eis ſolis poteſtatem, vt corpus meũ tractarent; ſi enim voluiſſem, potuiſſem benè eligere Angelum aliquem ad tale officium.* Cum autem legimus hoc loco, quod Angeli nec poſſunt hoc facere, intelligendum eſt, ſecundum ordinariam poteſtatem, per quam ſolis Sacerdotibus, Sacramenti Euchariſtiæ adminiſtratio commiſſa eſt à Deo, quippè, qui cum ſacrorũ ordinum ſuſceptione, & Sacerdotalis characteris impreſſione, Diuinitus acceperunt poteſtatem corpus Dominicum conſecrandi, quod Sanctis Angelis non eſt conceſſum. *Sed cũ ipſe applicuerit me ad os ſuum, tunc ego deſum per gratiã, cum Deitate, & humanitate ab ipſo.* Hæc verba non indicant, Deũ deſinere eſſe ſub ſpeciebus ſacramentalibus, quotieſcumq; aut malus Sacerdos, aut quilibet alius, indignè hoc Sacramentum ſuſcipit. Sed intelligendum eſt, quod Chriſtus ibi deſit eſſe per gratiam, quatenus indigno illius effectum denegat, qui eſt ſpiritualis refectio, & robur, & alia, quæ dignè ſumentibus concedi ſolẽt; & dicitur deſinere eſſe cum Deitate, & humanitate, quia cum neutro eorum Chriſtus concurrit ad effectum ſacramentalem conferendum; atque ſic eſſe huiuſmodi verba interpretanda: patet infrà, cum dicitur: *Non quod non veraciter ibi ſim cum malis, ſicut cum bonis, propter Sacramenti inſtitutionem; ſed quia ſimilem effectũ non habent boni, & mali*, quod egregiè explicat D. Auguſtin. *lib.* 5.*de Baptiſmo*: *Sicut Iudas*, inquit, *cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, ſed malè accipiendo, locum in ſe Diabolo præbuit; ſic ſi indignè quiſque ſumpſerit Dominicum Sacramentum, non efficit, vt quia ipſe malus eſt, malum ſit; aut quia non ad ſalutem accepit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & ſanguis nihilominus erat illis, quibus dicebat Apoſtolus* 2.*Corinth.* 11. *qui enim mãducat indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit*, idem tradi-

 dit

dit D.Thom. 3. *p.qu.*80.*art.*3.

Chriſtus oſtendit ſponſæ (ideſt D. Birgittæ) qualem charitatē fecerit Sacerdotibus; ſed ipſi ingrati, quaſi adultera perſona, Chriſtum contemnunt, tres alios amatores, ſcilicet mundum, carnem, & Diabolum, diligentes, & hoc oſtendit in anima vnius Sacerdotis, nouiter defuncti, æternaliter condemnati. ex *lib.* 4. *Reuel. eiuſdem cap.* 135.

Chriſtus loquitur. Ego ſum, quaſi ſponſus, qui ſponſam ſuam, cum omni charitate ducit in domum ſuam. Sic ego coniunxi Sacerdotes mihi, cū corpore meo, vt ipſi eſſent in me, & ego in eis; ſed mihi reſpondent, ſicut adultera ſponſo. Verba tua non placent mihi, diuitiæ tuæ vaneſcunt, voluptas tua, quaſi venenum. Ego habeo tres, quos magis diligere volo, & ſequi, cui vir manſuetus reſpondit. Sponſa mea, audi me, expecta magis, quia verba tua debent eſſe mea; voluntas mea, voluntas tua; diuitiæ meæ, diuitiæ tuæ, voluptas tua, voluptas mea; quæ nullo modo vult audire; ſed diſcedit ad illos tres: cumque diſceſſiſſet longè, vt non videretur ſponſus. Primus illorum, ideſt mundus, ait: hic eſt diuiſio viarum; & ego non poſſum amplius ſequi eam, ideò ego volo habere omnes diuitias eius. Secundus dicit, ideſt corpus; ego mortalis ſum, & cibus fiam vermium, ipſa autem immortalis, ideò relinquam eam hic. Tertius ait, ideſt Diabolus, ego ſum immortalis, & ſine fine manſurus, quia noluit eſſe cum viro ſuo, ſine fine ſequetur me. Sic faciunt mihi iſti maledicti Sacerdotes, ipſi deberent eſſe membrum meum, & ità excellentes præ alijs, ſicut digitus in manu; ſed ipſi deteriores ſunt Diabolo; & ideò præ omnibus Diabolis, profundiùs ſummergentur in Infernum, niſi ſe emēdauerint. Ego voco eos, quaſi ſponſus; omne quod poſſum facio eis; ſed eò longiùs diſcedunt, quò plus voco. Verba mea non placent eis, diuitiæ meę oneroſæ ſunt, dulcia verba mea, quaſi venenum abominantur; curro poſt eos monendo, quaſi pius pater; ſupportando, quaſi mitis Dominus; donis attrahendo, quaſi bonus ſponſus; ſed ipſi eò magis auertunt ſe, quo plus voco; tres amicos, magis quam me, diligunt, ideſt mundum,

dum, & corpus; ideò tertius, ideſt Diabolus, recipiet eos, & nunquam dormiet: ideò vę eis, quod vnquam Sacerdotes, & membra mea facti ſunt. Ille Sacerdos, qui nunc moriebatur, habuit tria. Primò ſuperbiam, quia veſtiuit ſe, ſicut Epiſcopus. Secundò laudatus de ſapientia. Tertiò ad quodcumque voluit, & corpori placuit, flexit voluntatem ſuam, abſtinuit pro ſalute corporis, & quidquid ei placuit fecit, non voluntatem meam; ſed quid nunc profuit ei? ideò pro ſuperbia, eſt antè me quaſi ad medietatem corruptus, & fœtidus, & plenus vlceribus, & corrupta carne. Pro laude, eſt neglectus antè me, & negligetur ab hominibus. Pro voluntate propria, corpus receperũt vermes, animam Dœmones, ſine fine cruciantes. Ecce miſeri quid diligũt, & quid faciũt, vbi nunc amici eius, vbi bona, vbi honor, & gloria; pro his omnibus habebit nunc perpetuam confuſionem; ipſi emunt paruum, ideſt temporalem honorem, & dimittunt magnum, ideſt æternum gaudium. Væ talibus, quod vnquam nati fuerunt. Ipſi enim profundiùs cadunt in Infernum, quam aliquis alius.

Chriſtus dicit, quod honorauit Sacerdotes præ omnibus Angelis, & hominibus; ſed ipſi præ cęteris eum prouocant, quorum damnatio, in anima vnius Sacerdotis æternaliter damnata, manifeſtatur.

Ex *lib.4. Reuel. eiuſdem, cap. 134. Mater loquitur.*

Maria ait: Recordare Paſſionem Filij mei, ipſe iàm venit. Et ecce apparuit S. Io: Baptiſta, & ait ad B. Virginem Mariam: in mille annis, nunquam fuit tanta ira Dei ſuper mundum. Cumque veniſſet Filius ait ad ſponſam. Vna hora eſt à principio mecum, & quot vobiſcum tempora ſunt, hoc non eſt mecum, niſi quaſi vna hora. Dixi tibi priùs de Sacerdotibus, quod inter omnes Angelos, & homines ipſos elegi, nunc ipſi mihi, præ cæteris, ſunt moleſtiores. Et ecce apparuerunt Dœmones, habentes vnam animam in manibus, dicentes ad inuicem: Ecce pugil. Reſpondit Iudex: quia corporales non audiunt ea, quæ ſunt ſpiritus, nec oculus corporalis poteſt videre ſpiritualia, tamen propter iſtam, quæ

aſtat, cuius oculum intelligentiæ aperio, dicite, qua iuſtitia habetis illam animam. Reſpóderunt. Per nouem iura, vel tranſgreſſiones poſſidemus eã. Primò, tribus fuit infrà nos, tribus alijs, æqualis fuit nobis; tribus alijs, fuit ſupra nos. Primum ius eſt, quod fuit, extra bonus, intus malus. Secundum, quia quandoque fuit plenus cupiditate ſua, & gula, quandoque abſtinuit propter vtilitatem corporis, vel infirmitatẽ. Tertiò, quandoque fuit ſeuerus in verbis, & operibus; ſed quandoque reſperſa erat ſeueritas, & malitia ſua, aliqua de cauſa ſibi ipſi vtili. Nos autem non habemus iſta, quia tales ſumus extra, quales intus, ſemper ſeueri in malitia, & ſemper cupidi ad malum; tribus erat nobis par, quia tribus excidimus, ſcilicet ſuperbia, cupiditate, & inuidia. Hæc tria ipſe habuit; tribus fuit ſupra nos, & maior in malitia, quam nos, quia Sacerdos erat, & corpus tuum tractabat; primò, quia os ſuum non cuſtodiuit, cum quo proferret verba tua; ſed ſicut canis latrat, ſic ipſe protulit verba tua, ſicut canis. Cumque proferret verba tua, nos timuimus, quaſi ille, qui audit aliquẽ terribilem ſonum, quo protinus territi, receſſimus ab eo; ipſe autem ſine verecundia, & timore ſubſtitit; Secundò non cuſtodiebat manus ſuas, cum quibus tractabat mundiſſimũ corpus tuum, ſed omni delectabili maculabat; cumque tractaret manibus corpus tuũ, quod dicto verbo, hoc, idem erat, quod in ventre Virginis fuit, & crucifixum eſt; Nos, ſicut homo timore, toto corpore percuſſus, timuimus, quamuis non ex charitate aliqua; ſed ex timore potentiæ tuæ, & magnitudinis virtutis tuæ; ipſe autem ſtabat imperterritus, & non curauit; cumque applicuit te ad os ſuum, quod erat quaſi vas immundiſſimum omni ſpurcitia; nos fuimus, quaſi homines diſſoluti viribus, & quaſi ille, cui omnis virtus deficit, necnon, & quaſi mortui prętimore; cum tamen immortales ſumus; & ille non timuit, nec contremuit te contingere; ſed quia Dominum Maieſtatis non decuit intrare in tam confuſum vas, receſſiſti cum Deitate tua, & humanitate, & illo ſolo remanente; qui, præ timore, ad horam diſceſſimus, reuer-

uertebamur cum furore. In omnibus his præcellit nos in malitia, & ideò iuſtè poſſidemus eum. Ergo, quia iuſtus Iudex es; fac nobis de eo iudicium: reſpondit Iudex:audio quid exigitis; ſed tu miſera anima dic,iſta audiente, qualē circa finem tuum, cum adhuc, cum ratione, & robore corporis fruereris, habuiſti voluntatem? reſpondit illa; voluntas mea fuit ſine fine peccare,nec vnquam deſiſtere;ſed quia ſciui me non ſemper vixurum, ſtatui vſque ad extremum pūctum peccare, & in tali intentione ſeparabar à corpore: tūc ait Iudex. Conſcientia tua eſt Iudex tuus. Ergo in conſcientia tua dic,quale iudicium mereris. Reſpondit anima: Iudicium meum eſt amariſſimum ſupplicium, & peſſimum, ſine fine duraturum, abſque omni miſericordia. Tunc Dœmones, poſt auditum iudicium eius, diſceſſerunt cum ea, tunc Dominus dixit ad illam. Ecce ſponſa quid Sacerdotes faciūt mihi, ipſos præ omnibus Angelis,& hominibus elegi,& ſuper omnes honoraui; ipſi autē præ omnibus Iudæis,& Gentilibus,& præ omnibus Dœmonibus,me magis prouocant.

Chriſtus reuelat ſponſæ, quā abominabilis eſt,coram Deo,Presbyter celebrans in peccato mortali, & qualiter Dœmones aſſiſtunt ei in celebratione Miſſæ;& de eius grauiſſima pœna futura, ſi non conuertatur,ex tom.2.Reuel. eiuſdem D. Birgittæ, lib.6. cap.9.

Chriſtus loquitur. Ille Presbyter, pro quo tu oras, eſt quaſi forceps, per quam aurū virtutis meæ extrahetur, ipſe eſt,quaſi ouis degenerans, non curans audire vocem matris. Cum accedit ad altare meum, adſtant ad latera eius Dœmones, cuius, & animam inhabitant, quia mortua eſt ante me. 1. Cū imponit ſibi ſuperhumerale, Dœmones obumbrant animam eius,vt non cogitet,& non intelligat, quam terribile eſt accedere ad altare meum, & quam mundus eſſe deberet, qui mihi mundiſſimo aſtare debet. 2. cum induit ſe alba, duritia cordis, & indeuotione induitur, quia cogitat peccatum ſuum non eſſe graue,ſupplicium æternum futurū non magnum; & quale gaudiū eſt æternum nunquam venit in mentem eius. 3. cum impo-

ponit ſibi ſtolam, Diabolus graue iugũ imponit collo eius, ità quod delectat eum peccati dulcedo; & ſic onerat animam eius, quod non ſinit eum ingemiſcere, vel conſiderare peccatum ſuum. 4. cum imponit ſibi manipulum, omnia opera ad Deum, fiunt ſibi grauia, & oneroſa, & erubeſcibilia; terrena autem leuia. 5. cum cingit ſe cingulo, tunc ligatur voluntas eius cum Diabolo, ità quod velit, & proponit morari in peccato, & tũc diſſoluitur charitas mea cum eo, quia voluntas eius eſt ad omne illud, quod Diabolus ei inſpirat in mentem, niſi refrenaretur occulto iudicio meo. 6. cum induit ſe caſulam; tunc Diabolus perfidia induit eum, quando autem legit Cõfiteor, Dœmones reſpondent, mentitus es, nos ſumus teſtes, quod confeſſio eius eſt ſimilis Iudæ, quia dicit aliud ore, & aliud habet in corde. Cum accedit ad altare, tũc ego auerto faciem meam ab eo. De quocumque autem legit Miſſam, ſiuè de Matre mea ſiuè de Sanctis: ſic mihi charum eſt, ac ſi meretrix menſtruum ſuum, in vaſe poſitum, offerret alicui nobili, ad bibendum; aut ſi aliquis diceret inimico ſuo, caue tibi; ego quæro damnum tuũ. Quando verò conſecrat corpus meum, & dicit: *Hoc eſt corpus meum*; tunc fugiunt Dœmones ab eo, & corpus eius remanet quaſi truncus, quia anima eius mortua eſt antè oculos meos. Cum autem corpus meum applicat ad os ſuum, ex præſumptione illa, omnis turba Dœmonum reuertitur ad eum, quia charitatem nullam ad me habet. Ego quippè ſic miſericors ſum, quod ſi diceret contrito corde, & emẽdationis propoſito; Domine propter tuam paſſionem, & charitatem, quam erga homines habes, indulge mihi peccata mea, ego ſuſciperem eum, & non reuerterentur Dęmones ad eum; ſed ipſe ſtercus mundi habet in ore, in corde autem ſunt vermes ſcaturientes, & ideò non placet ei dulcedo verborum meorum. In corde cogitationes inutiles comedunt eum, ne cogitet aliquid de me; propterea nunquã accedet ad altare meum; quid eſt autem altare meum, niſi illa cœleſtis menſa, & gloria in Cœlis, de qua Angeli, & Sancti

ꝺti lætantur; hoc repræſentat altare illud in Eccleſia de lapidibus, vbi quotidiè corpus meum, in Cruce crucifixum, immolatur; ſicut olim in lege, ſacrificia repræſentabant, quæ nunc aguntur in Eccleſia. Quid notat menſa cœleſtis, niſi iubilationem, & gaudium Angelorum? hoc gaudium nunquam experietur ipſe in gloria æterna. Antè hoc altare meum, nūquam ſtabit, nec videbit faciē meam, filij autem mei; ipſi autē videbunt faciem meam. Ego ſum ſicut verus Pellicanus, quia proprium ſanguinem dabo eis, & reficio in præſenti, & in futuro, vſque ad ſatietatem; illum autem paſcet Aquila illa abominabilis, cuius conſuetudo eſt, pullis ſuis poſt ſatietatē, aliqua ſubtrahere neceſſaria, ità quod macies, ex fame proueniens, omni tempore vitæ eorum apparet in eis. Sic Diabolus delectatione ſua ad tempus paſcet eum, vt poſteà famem gaudij ſentiat, & durabit ſine fine in eo. Verumtamen cū viuit, miſericordia mea aperta eſt ei, ſi conuertatur.

(†)

Declaratio.

HIc Sacerdos fuit Aduocatus, & Collector pecuniarum, & ad perſuaſionem Dominæ Birgittæ, depoſitus ab officio, qui totus furibundus dixit ei; Domina iàm priuaſtis me honore, & beneficio, quantum lucrata eſtis; meliùs fuiſſet vobis, ſedere in domo veſtra, quam diſcordias ſeminare. Illa reſpondit dicens; quidquid Rex egit, ego cōſului ſibi pro ſalute animę veſtrę, & honore; non enim poteſt Clericus, qui ſors Dei eſt, tale officium habere, ſine periculo animæ; reſpondit ille; quid vobis cum anima mea? Dimitte me tranſire in hoc mundo, vt poſſum, quia anima mea benè placitabit in futuro pro ſe; cui iterum Domina inquit; ideò dico tibi, & abſque dubio erit, ſicut audiui in iudicio Dei, quod niſi citiùs caueris tibi, & correxeris te, ſicut ego vocor Birgitta, ſic tu, nec euades iudicium ſingulare Dei, & conſuetam mortem; ideò non longè poſt idem Sacerdos, per Epiſcopum priuatus Eccleſia, horribili, & inauditâ morte mortuus eſt, nam cum campana

na funderetur ; æs ebulliens exilijt de formella, & circumquaq;eum combuſſit.

Annotationes ſuper Reuelationem ſupradictam.

Num. 1. *Cum imponit ſibi ſuperhumerale, Dæmones obumbrant animam eius, vt non cogitet, & non intelligat, quã terribile eſt accedere ad altare meum.*

SYmbolum, & ſacrarum veſtium Sacerdotis myſteria in principio noſtri Manualis, *cap.* 1. poſuimus; quod ergo ibi notauimus, non eſt hic repetẽdum, tamen pro intelligentia verborum Chriſti Domini aliqua notanda ſunt ſuper eadem myſteria.

Superhumerale, ideſt amictus, collum Sacerdotis, & renes tegit, & in monachis totũ caput, vt intelligas ſignificare in Sacerdote moderationem potentiarum animæ, nempè intellectus, & voluntatis, quæ principalitèr in capite reſidẽt; inſuper caſtigationem ſenſuũ hominis, ſcilicet viſus, auditus, & odoratus, vocis, & linguæ. Item virtutem caſtitatis, quæ per renes innuitur præcinctos. Has omnes virtutes Sacerdos imitari tenetur, vt dignè ad altare miniſtrare poſſit; & ideò Sacerdos dum celebraturus, primò ſumit amictum, intelligat his virtutibus ſe ornatum eſſe debere; ſed quoniam peccatorum caligine, ac tenebris, quandoque obcœcatur, myſteria iſta non percipit, quia à Dœmonibus obumbratur, & hoc eſt quod dicitur: *Cum imponit ſibi ſuperhumerale, Dæmones obumbrant animam eius, vt non cogitet, & non intelligat, quam terribile eſt accedere ad altare meum, & quam mundus eſſe deberet, qui mihi mundiſſimo adſtare debet.*

Num. 2. *Cum induit ſe alba, duritia cordis, & indeuotione induitur.*

HOc genus veſtis indicat perſeuerantiam in bonis actibus per totam vitam, quæ Sacerdoti penitùs neceſſaria eſt; ideò vſque ad talos pertingit, ſicut ergo bonus Sacerdos hanc veſtem aſſumendo, perſeuerantiam in bonis aſſumpſiſſe profitetur; ità è contra, malus

Sacerdos cum induit ſe albã; duritiã cordis, & indeuotionẽ induiſſe, hoc loco perhibetur, quia ad malum voluntatem habet.

Num. 3. *Cum imponit ſibi Stolam, Diabolus graue iugum imponit collo eius.*

STola, ſiue orarium, iugum Domini ſignificat, quod leue, & ſuaue eſt bonis, graue,& oneroſum malis; ſicut ergo Stola collo boni Sacerdotis aptata, iugũ Chriſti ſuaue,ipſi impoſitum,eſſe denotat; ità quoque, hic ſcribitur, Stola, à malo Sacerdote indignè celebraturo ſuſcepta, *Diabolũ graue iugũ illi impoſuiſſe notat.*

Num. 4. *Cum imponit ſibi Manipulum,omnia opera ad Deũ fiunt ſibi grauia, & oneroſa, & erubeſcibilia; terrena autem leuia.*

MAnipulum bonorum operum, ac vigilantiæ Sacerdotalis,ſiue laboris, ſymbolum eſt, quibus bonis actibus, cum careat malus Sacerdos; mirum non eſt,ſi cum ſibi imponendo,deſignat, vt ſcribitur hic. *Opera Dei, ſibi oneroſa, ac grauia eſſe; terrena autem leuia.*

Num. 5. *Cum autem cingit ſe Cingulo; tunc ligatur voluntas eius cum Diabolo.*

CIngulum caſtitatem, & cum Deo vnionem ſignificat, quibus bonis Sacerdos bonus, cum Deo iungitur; ẽ contra, malus pluribus peccatorum funibus, cum Dæmone ſtringit ſe, & ligat; & hoc eſt, quod dicitur. *Cum autem cingit ſe cingulo, tunc ligatur voluntas eius cum Diabolo.*

Num. 6. *Cum induit ſe Caſulam; tunc Diabolus perfidia induit eum.*

CAſula Planeta vocatur, eò quod omnes veſtes Sacerdotales cooperit, & planat, & charitatem indicat,quę omnibus virtutibus supereminet, & formam tradit; ſicut ergò bonus Sacerdos celebraturus, caſulam cæteris veſtibus ſuperponens charitatem alijs virtutibus adiũgere indicat;ità quoque malus caſulam aſſumens, reliquis vitijs perfidiã, & oſtina-

nationem addere inſinuat, & ideò legimus hic; *Quod Diabolus perfidia induit eum.*

Num. 7. *Ego ſum, ſicut verus Pellicanus, quia proprium Sanguinem dabo eis, & reficio, in præſenti, & in futuro, vſque ad ſatietatem.*

SCribunt de hac Aue Naturales, vt refert D. Iſidorus, & D. Auguſt. in *Pſal.* 101., & ſi certum non ſit; ipſam roſtro pullos ſuos occidere; (quanquam alij dicant occidi à ſerpente, quando Pellicanus abeſt;) eoſque in nido occiſos triduò lugere; ac demum ſeipſam vulnerare, & ſanguinem ſuum ſuper filios fundere, quo illi perfuſi ad vitam redeunt: ex his, optimè, Sancti Patres colligunt, Chriſtum Dominū per Pellicanum deſignari, qui ſuo Sanguine, peccato occiſos homines, viuificauit; aut etiam, teſte eodem Auguſtino, ibidē. Chriſtus eſt Pellicanus ſolitudinis, quia ſolus de Virgine natus eſt. Sic Hieronym. Greg. Euthymius, Gloſſa; & alij plures.

Chriſtus comparat ſe Moyſi educenti Iſrael per Mare Rubrum, vbi aquæ ſtabant à dextris, & ſiniſtris, quaſi murus, & quod Iſrael, ideſt mali Sacerdotes negligunt Chriſtum, & diligunt Vitulum aureum, ideſt mūdum, & quod Chriſtus honorauit Sacerdotes ſeptem ordinibus, à quibus ſemptemplicitèr ſunt auerſi. Ex lib. 4. reuel. D. Birg. cap. 133.

Mater loquebatur. Sic auidi fuerunt inimici filij mei in ſāguinem eius, vt eo mortuo, vulnerauerunt eum. Præpara ergo te, quia filius meus cum exercitu magno venit loqui tibi. Indè veniens ipſe, ait. Ego ſimilaui me prius Moyſi in figura, qui cum educeret populum, ſtabat aqua quaſi murus à dextris, & à ſiniſtris. I. ego certè ſum ille Moyſes in figura, qui eduxi populum Chriſtianum, ideſt aperui eis cęlum, & oſtendi eis viam, quam incederent, liberans eos à Pharaone, ideſt à Diabolo, qui eos oppreſſerat. 2. Ibant autem quaſi inter duos muros maris, à dextris, & ſiniſtris, quorum vnus non vlteriùs procederet, alter non retrocederet, ſed ſic ambo firmitèr ſtarent. Hi duo muri erant duæ leges. Primus erat vetus lex, quæ vlteriùs nō pro-

porocederet. Secūdus erat noua lex, quæ non retrocederet, inter hos duos muros, ſcilicet leges firmitèr ſtantes, ego ibā ad Crucem, quaſi per Mare Rubrum, quia ſanguine meo rubricatum eſt totum corpus meum, rubricatū eſt lignū prius album, rubricata eſt lancea, & redemi Populum meum captiuatum, vt me diligeret. Nunc autem negligit me Iſrael, ideſt Sacerdotes diligunt alium Deum. 3. Diligunt enim, ſicut prius dixi, vitulum aureum per affectum mundi, qui eſt dulcis per voluptatem, & ardet in eis per affectionem. Stat fortis cū pedibus, & capite, & gutture gulæ. Habent me inſuper pro idolo, & claudunt ſuper me ne ingrediar. Offerunt mihi thus, ſed non placet mihi, quia non pro me, ſed pro ſe faciunt. Curuant mihi genua obedientiæ, & voluntatis ſuæ, ſed ad deſiderium ſuum, vt eis aliquid temporale impendam. Clamāt, ſed aures meæ non audiunt, quia non ex deuotione, nec intentione. Audite omnes exercitus, & omnes Angeli. 4. Elegi Sacerdotes præ ōnibus Angelis, & Iuſtis, & dedi eis poteſtatem, vt Corpus meum tractarent; Si enim voluiſſem, potuiſſem benè eligere Angelum aliquem ad tale officium, ſed tantum dilexi Sacerdotes, vt eis tantum honorem concederem, & conſtitui eos, vt ſtarent antè me, quaſi in ſeptem ordinibus. Deberent enim eſſe patientes quaſi oues. Stabiles quaſi murus boni fundamenti. Animoſi quaſi milites. Sapientes quaſi ſerpētes. Pudici quaſi Virgo. Mundi quaſi Angelus. Ardentes amore quaſi ſponſa ad cubile viri ſui. Nunc autem auerterūt ſe peſſimè, ſunt enim feri quaſi Lupi rapaces, qui in fame, & cupiditate ſua nulli cedunt, nulli deferunt honorem, nihil erubeſcunt. Secundò inſtabiles quaſi lapis in muro infirmo, quia diffidunt de fundamento, ideſt de Deo, quod non poſſit eis dare neceſſaria, vel nō velit ſuſtētare eos. Tertiò ſunt in tenebris quaſi fures ambulantes in tenebris vitiorum, nec ſunt audaces, quaſi milites ad pugnandum pro honore Dei, vel ad aggrediendum opus virile. Quartò ſtant quaſi aſinus, qui caput inclinat ad terram. Sic ipſi ſtolidi, & inſipientes ſemper terrena meditantur, & præſentia, & nunquam futura.

 Quin-

Quintò impudici ſunt quaſi meretrices, procedunt ad me in habitu meretricio, omnia membra habent ad luxuriandum. Sextò ſunt quaſi pice deformitèr maculati, omnes, qui accedunt ad eos deturpantur. Septimò ſunt abominabiles quaſi vomitus; & leuius, & melius eſſet mihi accedere ad vomitum, quã ad delectationem habendam cum eis. Ità autem abominabiles ſunt, vt omnis exercitus Cæli abominetur eos. Quid autem turpius eſſet, quã quod aliquis nudus os ſuum in inferiora membra mitteret, & comederet ſtercora ſua, & biberet vrinam ſuam. Sic ſunt iſti turpes in conſpectu meo. Cum autem induunt ſe veſtibus Sacerdotum, quæ ſunt veſtes animæ in figura, quia veſtes illæ deſignant, talem debere animam eſſe, induunt ſe quaſi veri proditores. Sicut enim ille; qui fidem dederat inimico Domini ſui, ſi pugnare debet cum Domino ſuo cõtra eum, ebetat omnia arma ſua, nè noceant inimico. Sic iſti cum induunt veſtes Sacerdotum, quæ ſunt veſtes animæ in figura, quibus contra Diabolũ muniri deberent, omnia ebetata ſunt, nè noceant Diabolo, & ne timeat ea; ſed quæritur quomodo? Vtiquè, cum induunt ſe armis continentiæ, ebetata ſunt per luxuriam, Ideò nõ pũgunt diabolum. Cum autem induunt ſe armis charitatis, nihil nocent, quia ebetata ſunt per malitiã. Arma itaque iſta, ideſt veſtes, quibus induuntur non ſunt ad defenſionem Domini, ſed ad viſionem ſolam, ſicut ſolent proditores aliud facere, & aliud oſtendere. Sic itaque, ò amici mei, iſti maledicti Sacerdotes ſimulatoriè accedunt ad me, quaſi proditores. Attamen ego idem, qui ſum Deus, & Dominus veſter, & totius creaturæ in Cœlo, & in terra, venio ad eos, & iaceo antè eos in altari, verus Deus, & verus Homo, poſtquã dixerint illa verba. *Hoc eſt enim Corpus meum.* Venio ad eos, vt ſponſus, vt voluptatem deitatis cum eis habeam, ſed inuenio in eis Diabolum. 5. Ideò cum applicant me ad os ſuum, recedo ab eis cum deitate, & humanitate mea, & Diabolus, qui in præſentia Domini fugit perterritus, lætus redit. Audite inſuper amici mei, qualem dignitatem contuli Sacerdotibus, præ omni-

nibus Angelis, & hominibus. Ego dedi eis quinque. Primò facultatem ligandi, & ſoluendi in Cœlo, & in terra. Secundò dedi eis, vt de inimico peſſimo facerent amicum, de Diabolo Angelum meum. Tertiò dedi eis poteſtatem predicandi verba mea. Quartò poteſtaté conſecrandi, & ſanctificandi Corpus meum, quod nullus Angelus facere poteſt. Quintò tractare corpus meum, quod nullus veſtrũ, ſi iacerem antè vos, auderet contingere. Nunc cõquæror ſuper eos quinque; Primò, quod Infernũ aperiunt, & claudunt Cęlum ingredientibus. Secundò de amico faciũt inimicũ, & eum qui accedit ad eos cum vno vulnere, vulnerãt duobus, quia videns vitam cõfiſſam Sacerdotum, cogitat ſecum, ſi ipſe facit, magis ego faciam. Tertiò verba mea annihilant, & mendacium ſuum affirmant, veritatem meam negant. Quartò vendunt me ore ſuo, quem ſanctificare deberét. Quintò corpus meum amarius crucifigunt, quam Iudæi. Ecce amici mei, quos elegi, & ſic dilexi, quomodo mihi rependũt. Ego coniunxi eos mihi cum corpore meo, & ipſi diſſoluunt vinculum noſtrum. Ideò ſicut proditores, non ſicut Sacerdotes iudicabuntur, ſi ſe non emendauerint.

Notæ ſuper Reuelationem, ſupradictam.

N. 1. *Ego certè ſum ille Moyſes in figura, qui eduxi Populum Chriſtianum.*

Meritò Saluator noſter, hoc loco Moyſi ſe ſimilem facit, quoniam ſicut Moyſes Iudaicum Populum de Ægypto eduxit, eumque de manibus Faraonis liberauit; ſic ipſe Populum ſuum educens de Inferno, per vias rectas deduxit, & illi Regnum Dei oſtẽdit Pſal. 106. Hac etiam eadem ratione comparat Rabbanus. Chriſtum Moyſi *Num.* 7. Multiplicem (inquit) Moyſes ſignificationem habet; figuram habet Iudaici Populi, dum caudam ſerpentis tenet, ſignificat enim Iudæos in fine Mundi ad fidem Chriſti uenturos. Chriſti etiam perſonam gerit, dum electos ſuos de ſpirituali Ægipto per aquam Baptiſmi liberat, ſcilicet dum Populum de Ægypto per mare rubrum edu-

educit, cum Tabernaculum complet,erigit,& ungit.hactenus Rabbanus: cui etiam quãplures alij ex Patribus adſtipulantur, dicunt etiam Moyſem deſignare Chriſtum, vt ad placandum Deum in confractione ſtetit Pſal. 105. Et Chriſtus verè per paſſionem ſuam ſic ſtetit in confractione, vt nulla pars corporis reliqua fuerit, quæ non flagellis,verberibuſq; confracta non ſit, ſicque Patrẽ ſuum nobis propitiũ reddidit: & ſicut Moyſes Tabernaculũ ſanctificauit Exod.40.Ità Chriſtus Eccleſiam Sanctam effecit: vt autem vitulum ignè conſumendum tradit Exod.23.Chriſtum notabat Idolatriam penitùs deſtruentem;poſtremo ſicut Moyſes conſtitutus fuerat in Populo eorum Miniſter, quæ ad Deum ſpectabant, ac etiam Iudices diſtribuebat Exod.18. Optimè Saluatorem noſtrum præmonſtrabat, Diuina ſubminiſtrantem, & Eccleſiæ Miniſtros conſtituentem, hæc, & alia ſexcenta,quæ ad hoc comprobandum poſſemus adducere, clarè oſtendunt Moyſem Chriſti geſſiſſe figuram, quod etiam affirmarunt Diuus Auguſt.*lib.22.contra Fauſtum cap.* 90. Vener. Beda *ſuper Exod.c.* 1. Diuus Bernar. *ſerm.* 1. *de octaua Paſchatis*,Gregor. Nyſſen.*de vita Moyſis*.D. Gregor. Papa *ſuper primum Regum cap.* 7. Baſilius *de Spiritu Sancto cap.* 14.

Num.2.*Ibant autem quaſi inter duos muros maris, adextris, & ſiniſtris.*

VT præſentis notæ verborũ ſenſus legentibus pateat, vidẽdum eſt primò, quod per duos muros maris hic intelligendum ſit, quiq; fuerint, qui inter hos duos muros trãſierint: & quidem quantum ex Textu colligi poteſt, hoc loco ſermo fit de Populo Iudaico, qui ex Pharaonis ſeruitute liberato, per mare rubrum tranſibat,eorum Duce Moyſe prçcedente, qua de re latiſſimè agitur Exod. 14. Vbi hæc tota hiſtoria narratur. *Ibant autem quaſi inter duos muros*. Aqua enim, vt annotauit Lyranus ibidem, ſtetit, atque in altum eſt euecta ad ſimilitudinẽ muri, ex vtraque parte, ità vt per medium maris ſicco pede Iudæi tranſire potuerint,& idcircò legitur ibi: *Diuiſaque eſt a-*

qua,

qua, & ingreſſi ſunt filij Iſrael per mediũ maris ſicci, quæ ſanè diuiſio non ex flante vento proceſſit, ſed à Domino facta eſt; ventus tamen fundum maris diſcoopertũ aquis deſiccauit, vt Iudæi commodiùs, & mundiùs abirent.

N. 3. *Diligunt enim, ſicut prius dixi, vitulum aureum per affectum Mundi.*

CVm in ſacris litteris per aureum vitulum diuitiæ, ſuperbia, ac luxuria deſignentur, dubitari minimè poteſt, cũ hoc loco Chriſtus Dominus Sacerdotes redarguit, quod vitulum diligant aureum, inſinuare voluiſſe Sacerdotes illius tẽporis ſuperbos, auaros, ac luxuriæ vitio deditos fuiſſe, quod ſatis apertè ipſemet hoc eodem cap. aliquanto poſt declarat cum dicit. *Nunc autem auerterunt ſe peſſimè, ſunt enim quaſi lupi rapaces, qui in fame, & cupiditate ſua nulli cedunt, sũt inſtabiles quaſi lapis in muro infirmo, quia de fundamento diffidunt, ideſt de Deo, quod nõ poſſit eis dare neceſſaria, vel nõ velit eos ſuſtentare. Tertiò ſunt in tenebris, quaſi fures ambulãtes in tenebris vitiorum, ſtant etiam quaſi aſinus, qui caput inclinat ad terram, ſic ipſi ſtolidi & inſipientes ſemper terrena meditantur, & præſentia, & nunquam futura, poſtremò impudici ſunt quaſi meretrices.* Ex his ergò palàm fit, quid ſit aureũ diligere vitulum, diximus enim aliud non eſſe, quam ſuperbiam, incontinentiam, ac temporales diuitias amare, & ideò Pſal. 49. Dauid affirmat, Dominum non accepiſſe vitulos de domo, vbi Diuus Hieronym. per vitulos, ſuperbos, & incontinentes intelligit, idem habet Orig. Homilia 9. ſuper Exod. & ſuper Num. Homilia 27. Et Diuus Gregor. ſuper primum Regum cap. 14.

Num. 4. *Elegi Sacerdotes præ omnibus Angelis, & iuſtis, & dedi eis ſolis poteſtatem, vt Corpus meum tractarent; Si enim voluiſſem, potuiſſem benè eligere Angelum, &c.*

QVemadmodũ Deus poteſtatem ſuam non alligauit Sacramentis, vt ſine ipſis Sacramentalem effectũ conferre non poſſit, ità quoq; ſuam virtutem, non ſic Eccle-

ſiæ

ſiæ miniſtris alligauit, vt etiam Sanctis Angelis Sacramentorũ miniſterium committere minimè poſſet, &c. vt dictum eſt ſupra pag. 234. *col.* 2.

Cum autem induunt ſe veſtibus Sacerdotum, quæ ſunt veſtes animæ in figura, &c. induunt ſe quaſi veri proditores, &c.

VEſtiũ Sacerdotis myſteria diximus in principio noſtri tractatus *c.* 1. §. 5. *pag.* 7. nã ſeptuplex veſtis Sacerdotis eſt ſignificatiua ſeptuplicis virtutis animæ eius, nẽpè fidei, ſpei, & charitatis, quæ ſunt virtutes theologales. Prudentiæ, Fortitudinis, Iuſtitiæ, & Temperantiæ, quæ ſunt virtutes Cardinales, quibus omnibus debet abundare Sacerdos, vt poſſit expugnare nequitiã Diaboli; vtique Sacerdos carẽs virtutibus iſtis, & vitijs oppoſitis ſcatens, ebetat arma, quibus cõtra inimicos Chriſti pugnat, ideò nõ pungunt arma ſpiritualia Diabolum, ſed potiùs iuuant; vt dicitur in Textù, &c.

Num. 5. *Ideò cum applicant me ad os ſuum recedo ab eis cum Deitate, & humanitate.*

QVomodo Chriſtus non deſinat eſſe ſub ſpeciebus Sacramentalibus quotieſcumq; ſumitur à fidelibus indignè, ſed tantum deſinit eſſe per gratiam dictum eſt etiam ſupra. pag. 253. *col.* 1.

CONSILIVM AVCTORIS.

VT Sacerdotes hoc Dei rigoroſum iudicium præcauere ſtudeant, & tãtum myſterium ſanctè tractare dignentur, maximoperè curent, vt antequam ad altare accedant, Miſſæ celebrationi deuotè aſſiſtant, ad præparationem; & poſt peractum à ſe venerabile Sacrificium, aliã Miſsam audiant pro gratiarũ actione, ſi in iſto exercitio ſancto Sacerdotes feruentes, & perſeuerantes fuerint. Fructus vberrimos ex Euchariſtia reportabũt, & Miſſam cum magna deuotione, & cordis ſui delicijs celebrabunt.

CON-

CONCLVSIO OPERIS

CApitulum hoc de valore Miſſæ, & eius fructuoſis effectibus, nempè de merito offerentiū, & demerito indignè miniſtrantium, vt patet in diſtinctis collectionibus, & paragraphis, pro facilitate legentium, Explicit hac die quintadecima Menſis Februarij 1681. In Sabbato, dum Eccleſia Minorum celebrat tranſlationem D. Antonij Patauini, cum memoria Sanctorum Martyrum Fauſtini, & Iouitæ; quorum meritis, & interceſſione, Deus benedictus in ſæcula ſæculorum, propitius ſit mihi peccatori, & omnibus catholicis Sacerdotibus, vt ego, & ipſi, dignè, & competenter celebrare poſſimus ſacroſanctum Miſſæ myſterium, vndè mercedem magnam colligamus in æternum manſurā. Sicut enim Circulus inter omnes Geometricas figuras perfectiſſimus eſt, & principatum obtinet, eoquod in eius efformatione vnde incipit, ibi etiam, & deſinit motus; ideò æternitati cōparatur, nam principio, & fine caret. Sic nos opus hoc, tanquam circulum compaginauimus, vel ipſæ figuræ circulari comparauimus; nam in principio tractatus Myſteriorum Miſſæ *Cap.*1. §. 5. 6. & 7. Egimus de veſtibus ſacris, quibus Sacerdos celebraturus induitur; nunc autem in fine, & totius operis complemento, §. 8. *Capitis vnici de valore Miſſæ*, de ipſis ſacris veſtibus, occaſione ſupracitatæ Reuelationis, tractauimus, vt ſicut in principio vtilitas ſpiritualis ex ipſis ſacris veſtibus deſcribitur: Sic in fine operis Iactura, & ruina ex indigna adminiſtratione, ab ipſis veſtibus Sacerdotalibus manifeſtetur, ideòquè opus hoc nobis, & cæteris Sacerdotibus ſit ad Gloriam æternitatis aditus, & poſſeſſio; mediantibus meritis, quæ per deuotam, & Sanctam Miſſæ celebrationem, Chriſtus Dominus noſter dignetur omnibus ſua benignitate, concedere.

Ad laudem Omnipotentis Dei, Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, & Seraphici Patris noſtri S. Franciſci, nec non omnium Sanctorum. Amen.

PROTESTATIO AVCTORIS.

HÆc, quæ diximus in toto hoc opere, tam de Myſterijs, quam valore, & fructibus Miſſæ. Omnia, & per omnia pedibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubmitto ad correctionem, & directionem; quia ipſa, iuxta promiſſum Chriſti Domini, eſt in terris metrum, & menſura, Arbitra, & Iudex totius Catholicæ veritatis. Ego autem rogaui pro te (Petre) vt non deficiat fides tua. Luc. 22. v. 23.

FINIS.

INDEX

Capitulorum, & §. §., quæ in hoc Opere continentur.

Cap. 1. *PRæfatio Operis pag.* 1.

§. 1. *Sacrificiũ Miſſę ab Apoſtolis celebratur.* 2.

§. 2. *Quid in Miſſa continetur.* 3.

§. 3. *Vbi, & quando Miſſa celebratur.* 4.

§. 4. *Partes Miſſæ quid ſignificent.* 6.

§. 5. *Veſtium Sacerdotis myſteria.* 7.

§. 6. *De ſingularibus Epiſcopi veſtibus, & ornamentis in Miſſa.* 15.

§. 7. *De cæteris veſtibus, quæ Sacerdoti, & Miniſtris ad Miſſam deſeruiunt.* 16.

§. 8. *Quid in Miſſa habetur* 18.

cap. 2. *De quinque pſalmis, quos Pontifex, vel Sacerdos celebraturus dicit.* 19.

cap. 3. *De capitis compoſitione, & manuum lotione.* 20.

cap. 4. *de aquæ benedictæ aſperſione.* 22.

Prima Pars Miſſæ.

cap. 5. *De officio, ſeu introitu Miſſæ.* 24.

cap. 6. *De ingreſſu Sacerdotis ad Altare.* 26.

cap. 7. *De confeſſione facienda in Miſſa.* 27.

§. 1. *De inclinatione Sacerdotis in Miſſa.* 29.

§. 2. *De genuflexione Sacerdotis in Miſſa.* 32.

cap. 8. *De oſculo Altaris.* 36.

§. *vnicum. De tono vocis in Miſſa.* 38.

cap. 9. *De incenſo benedicendo, & in thuribulo ponendo.* 38.

cap. 10. *De Thurificatione.* 40.

cap. 11. *Qualiter Sacerdos, & Miniſtri ſtare debẽt ad Altare.* 43.

cap. 12. *De Græco idiomate, Kyrie eleiſon.* 45.

cap. 13. *De cantico Angelorum, Gloria in excelſis Deo.* 46.

cap. 14. *De ſalutatione ad Populum.* 47.

cap. 15. *De oratione, ſiue collecta.* 50.

cap. 16. De Epiſtola. 53.
cap. 17. De reuerentia, poſt lectam Epiſtolam, faciẽda. 56.
cap. 18. De ſeſſione Epiſcopi; Sacerdotis, & Miniſtrorum in Miſſa 57.
cap. 19. De Graduali. 59.
cap. 20. De Alleluia. 60.
cap. 21. De Tractu. 61.
cap. 22. De Proſa, ſeu Sequentia. 63.
cap. 23. De mutatione Sacerdotis. 64.
cap. 24. De Euangelio. 65.
cap. 25. De Symbolo. 73.
cap. 26. De Prædicatione. 75.
Secunda Pars Miſſæ.
Cap. 27. De Offertorio. 76.
cap. 28. De Palla, & Corporali. 78.
c. 29. De oblatione Sacerdotis, & officio miniſtrorum circa illam. 79.
§. 1. De myſterijs patenæ. 85.
§. 2. De oblationibus Populi 86.
cap. 30. De ſecunda Thurificatione. 88.
§. vnicum de manuum ablutione. 90.
cap. 31. De inclinatione Sacerdotis, & oſculo Altaris; ac oratione ſecreta poſt primam oblationem. 91.
cap. 32. De Præfatione. 95.
cap. 33. De cantico, ſiue hymno Seraphinorum. Sanctus, &c. 99.
cap. 34. De ſecreta, vel Canone Miſſæ. 101.
§. 1. Expoſitio Sacri Canonis Miſſæ. 103.
§. 2. Communicantes, &c. 106.
§. 3. Hanc igitur, &c. 108.
§. 4. Quam oblationem, &c. 109.
§. 5. Qui pridie quam pateretur. 111.
§. 6. De conſecratione Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti. 115.
§. 7. De conſecratione Sanguinis Chriſti. 117.
§. 8. Error Huſſitarum reijcitur. 118.
§. 9. Expoſitio verborum conſecrationis Sanguinis. 119.
§. 10. Quare Corpus, & Sanguis Chriſti ſeparatim conſecrantur. 121.
§. 11. Quare poſt conſecrationem eleuatur à Sacerdote Hoſtia, & Calix. 122.
§. 12. De verbis, quæ dicit Sacerdos poſt conſecrationem Calicis. 123.
§. 13. De lumine accenſo, campanula, quæ pulſatur, & incenſo, quod adoletur ad eleuationem Sacramẽti. 124.

§.15. *De coniunctione digitorum Sacerdotis.* 125.
*cap.*35. *De oblatione Sacrificij, & cæteris ſacri canonis partibus.* 125.
§.1. *Quid innuunt crucis ſignacula ſuper Corpus, & Sanguinem Chriſti.* 127.
§.2. *De proſequutione canonis.* 131.
§.3. *De ſupplicatione Sacerdotis ad Deum.* 133.
§.4. *Defunctorum fidelium ſuffragium.* 137.
§.5. *De tunſione pectoris, &c.* 139.
§.6. *Quare Calix, & non Hoſtia cooperitur.* 144.
§.7. *De finali concluſione canonis.* 145.

Tertia pars Miſſæ.

Cap. 36. 146.
§.1. *De præfatione.* 146.
§.2. *De oratione Dominicali* 147.
§.3. *De embolyſmo, & ſilentio* 160.
§.4. *De reſumptione patenæ.* 161.
§.5. *De fractione Hoſtiæ.* 163.
§.6. *De cantico. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis.* 168.
§.7. *De pacis oſculo.* 171.

Quarta pars Miſſæ.

*C.*37. *De gratiarũ actione.* 173.
§.1. *De Sancta communione.* 174.
§.2. *De communione fidelium* 176.
§.3. *Quare ſub ſpeciebus alienis ſumitur Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti.* 177.
§.4. *De ablutione digitorum.* 179.
§.5. *De his, quæ poſt communionem peraguntur.* 180.
§.6. *De dimiſſione Populi in fine Miſſæ.* 181.
§.7. *De benedictione nouiſſima.* 183.
§.8. *De Euangelio S. Ioannis, in fine Miſſæ.* 186.
§.9. *De actione gratiarum poſt Miſſæ celebrationem.* 187.
Additio ad tractatum de Myſterijs Miſſæ. 190.
Præfatio ad Appendicem de valore Miſſæ. 193.

Appendix.

Cap. vnicum. De merito, ſiuè valore Miſſæ. 196.
§.1. *De opinione Doctorum circa valorem Miſſæ.* 197.
§.2. *De opinione Auctoris.* 198.
§.3. *De triplici offerentium genere in Miſſa* 200.
§.4. *De triplici valore Miſſæ, iuxta triplex genus offerentium.* 203.

§.5.

§.5. *De dubijs,& difficultatibus,quæ in preſenti materia oriri poſſunt.* 208.
§.6. *De vtilitate eorum, qui deuotè Miſſam audiũt.*214.
§.7. *De Sanctis reuelationibus circa Miſſam, & eius fructum.*228.
§.8. *Væ, & lamentationes Chriſti Domini, contra Sacerdotes indignè Miſſam celebrantes.*230.

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ, quæ in hoc opere continentur.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Libro Geneſis.

*Cap.*2. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* 73. *lit.* f.
cap. 4. *reſpexit Dominus ad Abel,& munera eius,ad Cayn autem, & munera illius non reſpexit.* 132. *lit.*d.
*cap.*14.*v.*18.*At vero Melchiſedech proferens panem,& vinum;erat enim Sacerdos Dei altiſſimi.*112.*lit.*a.132.*lit.*c.
V. 22. *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum.* 53.*lit.*e.
*cap.*17. *Nequaquam vocaberis Abram, ſed Abraham, quia patrem multarum gentium conſtitui te.* 133.*lit.*k.
cap. 18. *Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis, & cinis.*93.*lit.*b.
*cap.*22.*verſ.* 1. *Tentauit Deus Abraham.* 158. *lit.* k. *V.* 2. *Tolle filium tuum vnigenitum,quem diligis Iſaac,& vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi* 123.*lit.*o.

Ex Libro Exodi.

cap. 12. *Et comedetis feſtinantèr.*102.*lit.* z.*v.* 8. *Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus.v.*15.*Septẽ diebus azyma comedetis; in die primo non erit fermentum in domibus veſtris: quicumque co-*

comederit fermentatum peribit anima illa de Iſrael à primo die vſque ad diem ſeptimum. 113.*lit.*h.
Cap. 15. *Quid clamas ad me* 152. *lit.* y.
cap. 17. *Aaron autem, & Hur ſuſtentabant manus eius ex vtraque parte.* 53.
cap. 19. *Hæc dices Domui Iacob, & annuntiabis filijs Iſrael. v.* 9. *nunciauit ergo Moyſes verba populi ad Dominum.* 159.*lit.*v.
cap. 20. *Altare de terra facietis mibi* 66.*lit.*c.*v.*26.*non aſcẽdes per gradus ad altare meum.* 136.
cap. 23. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* 86. *lit.*c.
cap. 24. *Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum.* 120.*lit.*f.
c. 30.*v.*10.*Deprecabitur Aaron ſuper cornua Altaris, & placabit ſuper eo in generationibus veſtris.* 50. *lit.* q. *verſicolo* 37. *Talem compoſitionem non facietis in vſus veſtros, quia Sanctum eſt Domino, & homo quicumq; fecerit ſimile, vt odore illius perfruatur peribit de Populis ſuis.* 39.*lit.*q.

Ex Libro Leuitici.

Cap. 1. *Ponetq; manum ſuper caput Hoſtiæ, & acceptabilis erit, atq; in expiationem proficiens.* 88.*lit.*k.
cap. 2. *Quidquid obtuleris Sacrificij, ſale condies; nõ auferes ſal fœderis Domini Dei tui de Sacrificio tuo; in omni oblatione tua offeres ſal.* 112.*lit.*f.
cap. 6. *Ignis in Altari meo ſemper ardebit.* 136.*lit.* f.
cap. 19. *Sancti eſtote quoniam ego Sanctus ſum Dominus Deus veſter.* 100. *lit.*i.
cap. 22. *Offeretis panes duos Sacerdoti, qui cedunt in vsũ eius, & vocabitis hunc diem celeberrimum, & Sanctiſſimum.* 88.*lit.*l.

Ex Libro Numeri.

C. 6. *Loquutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: loquere Aaron, & filijs eius: ſic benedicetis filijs Iſrael, & dicetis eis: benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciẽ ſuam tibi, & miſereatur tui. Cõuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem; inuocabuntq; nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicã eis.* 184.*lit.*c.

Ex Deuteronomio.

cap. 11. *Terra enim ad quam in-*

ingredieris montuoſa eſt, & campeſtris, de Cœlo expectans pluuiam. 59. *lit*.g.
Cap.22.*Non arabis in boue ſimul cum Aſino*. 46. *lit*. z.
cap.27.*Hiſtabunt ad benedicendum Populo ſuper Montem Garizim, Iordane tranſmiſſo, & verſ*. 13. *& è regione iſti ſtabunt ad maledicendum in monte Hebal* 184. *lit*.g.

Ex Libro Iudicum.

Cap.6.*Dominus tecum*.48.*lit*.d.

Ex Libro 3. Regum.

Cap.8.*Salomon ſtetit ante Altare Domini in cõſpectu Eccleſiæ Iſrael, & expandit manus ſuas in Cęlũ*.53.*lit*.e.

Ex Libris Eſdrę.

Lib. 1. *cap*.10. *Sedit omnis Populus in platea domus Dei*. 15.*lit*.n.
Lib.2.*cap*.8.*v*.8.*Et legerunt in libro legis Dei diſtinctè, & apertè ad intelligendum, & intellexerunt cum legeretur*. 75. *lit*. l.*v*. 4.*Stetit autem Eſdras ſcriba ſuper gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum*. 75. *lit*.m.

Ex Libro Tobiæ.

Cap. 4. *Ex tua ſubſtantia fac eleemoſynam*.87.*lit*.d. *v*.18. *panem tuum, & vinum tuũ ſuper ſepulturam iuſti conſtitue*.88.*lit*.k.
cap.12. *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino*. 135.

Ex libro Eſther.

Cap.8.*v*.8.*Hæc enim conſuetudo erat, vt Epiſtolis, quæ ex Regis nomine mittebantur, & illius annulo ſignatę erãt, nemo auderet contradicere*. 186.*lit*.s.

Ex Libro Iob.

cap. 26. *Columnæ Cœli contremiſcunt, & pauẽt adnutum eius*.97.*lit*.u.
cap.40. *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius*. 10. *lit*.y.

Ex Libro Pſalmorum..

4. *Dicite in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris, compugimini*.102.*lit*.y.
6. *Exaudiuit* Dominus *vocem fletus mei* 50.*lit*.p.
7. *Lauabo per ſingulus noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*.90.
15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. 105. *lit*.o.
17. *Inclinauit Cœlos, & deſcendit*. 28.*lit*.i.
18. *Cęli enarrant gloriam* Dei

Dei 149.*lit.*y.*v.*5.*in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* 69. *lit.* p. 166.*lit.* b.

21 *Edent pauperes,& ſaturabuntur, & laudabunt* Dominum, *qui requirunt eum.* 180.*lit.* c.

22 *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.*174. *lit.*g.*v.*5. *Et Calix meus inebriãs,quã præclarus eſt.*169.*lit.*o.

23 *Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum,& vniuerſi, qui habitant in eo.* 79. *v.* 10. *Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum.* 100. *lit. k.*

25 *Iudica me Domine,quoniã ego in innocentia mea ingreſſus ſum.*21.*lit.*x.*v.*6. *Lauabo inter innocentes manus meas.* 90.*lit.* ſ.

26 *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiã vociferationis. Cantabo, & pſalmum dicam Domino.* 77.*lit.*q.

31 *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatẽ peccati mei.*28.*lit.*i.

38 *Qui loquuntur pacem cum proſſimo ſuo, mala autem in cordibus eorum.* 171. *lit.* u.

32 *verbo Domini Cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorũ* .98.*lit.*y.

33 *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.*96. *lit.*q.

50 *aſperges me Domine hyſſopo,& mundabor,&c.* 24.*lit.* q.*v.*19.*Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.*50.*lit.*p.

65 *Ad ipſum ore meo clamaui, & exaltaui ſub lingua mea.* 147.*lit.*o.

66 *Illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.*132.*lit.*a.

67 *v.*18.*Currus* Dei *decẽ millibus multiplex, millia lætãtium;* Dominus *in eis in ſina, in ſancto* 193.*lit.*h. *ver.* 19. *Aſcendiſti in altum cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.*126.*li.*q.

71 *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis,* 109.*lit.*g.133. *lit.*l.

73 *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.*179.*lit.*b.

76 *Scopebam ſpiritum meum.* 76.*lit.*p.

83 *Beati qui habitant in domo tua Domine,in ſæcula ſæculorum laudabunt te* 63. *lit.*s.*v.*3.*Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum*

*viuum.*153. *lit.*q.

86 *Sicut lætantiũ omnium habitatio eſt in te.*63. *lit.*s.

88 *Quoniam quis in nubibus æquabitur* Domino, *ſimilis erit* Deo *in filijs* Dei.98.*lit.* o.*v.*9.*Veritas tua in circuitu tuo.*80.*lit.*c.

90 *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.*90.*lit.*s.

94 *Præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei.* 19. *lit.* g. *v.*7. *Nos Populus paſcuæ eius, & oues manus eius.*96.*lit.*n.

102 *In omni loco dominationis eius benedic anima mea* Domino.96.*lit.*p.

103 *Panis confirmat, & vinũ lætificat cor hominis.* 177. *lit.* s.

105 *Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus iniquitatem fecimus.*155.*lit.*a.

109 Donec *ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.*71.*lit.*a.*v.*4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* 112. *lit.*a.133.*lit*-h.

110 *Magna opera* Domini *exquiſita in omnes voluntates eius.*153.*lit.*o.

112 *Qui in altis habitat humilia reſpicit in Cœlo, & in terra.*91.*lit.*u.

115 *Quid retribuam* Domino *pro omnibus, quæ retribuit mihi, Calicem ſalutaris accipiam, & nomen* Domini *inuocabo.*173.*lit.*c.

117 Dextera Domini *fecit virtutem, dextera* Domini *exaltauit me, dextera Dñi fecit virtutem.*49. *lit.*h. 56. *lit.* q.

118 *v.*28. *Dormitauit anima mea præ tædio.* 13. *lit.* l. *v.* 96. *Latum mãdatum tuum nimis.*14.*lit.*o.

119 *Heu mihi, quia incolatus meus prolõgatus eſt.*62.*lit.*n.

125 *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.*13.*lit.*m.

138 *Si aſcendero in Cælum, tu illic es. Si deſcendero in Infernum ades.*100.*lit.*l.

140 *Dirigatur Domine oratio mea ſicut incẽſum in conſpectu tuo.*39.*lit.*o.*v.*2. *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.*53.*lit.*f.

149 *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.* 61.*lit.*m.

150 *Laudate Dominũ in Sãctis eius, &c.* 188.*lit.* c.

Ex

Ex Prouerbijs.

Cap.3. *Honora Dominum de tua ſubſtantia.*87.*lit.*d.
cap. 4. *Suſcipiat verba mea cor tuum.*44.*lit.*o.
cap.9. *Venite comedite panem meum.*154.*lit.*s.
cap.31. *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum.*40.*lit.*s.

Ex Eccleſiaſte.

Cap.1. *Ad locum vnde exeũt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.*72.*lit.*c.

Ex Canticis.

C. 1. *Oſculetur meo oſculo oris ſui.*36.*lit.*f.
cap.2. *Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* 14. *lit.* n. 49.*lit.*h.
cap.4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa in vno oculorum tuorum.*63.*lit.* q.v.16. *Aquilo ſurge, & veni Auſter,* 69.*lit.*s.
cap. 6. *Terribilis, vt caſtrorũ acies ordinata.* 100. *lit.* i. 193.*lit.*h.

Ex Sapientia.

Cap.3. *Fulgebunt Iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.*61.*lit.*m.

EX PROPHETIS.

ISAIAS.

C.1.v.3. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.lit.*z.v.14. *ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ.*69.*lit.* f.v.15. *Lauamini Mũdi eſtote.*90.*lit.*s. *Auferte malum cogitationum veſtrarum.* 20.*lit.*i.
cap.2.v.3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.*76.*lit.*e.
cap.6.v.3. *Seraphim clamabãt alter ad alterum, & dicebãt Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius.*99.*lit.*e.
c.14.v.13. *Sedebo in Monte teſtamenti in lateribus Aquilonis.*69.*lit.*s.
cap. 16. *Emitte Agnum Domine.*169.*lit.*n.
cap.28. *Manda, remanda, expecta, reeſpecta; Modicum ibi; Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet, & nõ tardabit.*25.*lit.*x.
cap. 33. Domine *miſerere noſtri, te enim expectauimus.* 45.*lit.*p.

*cap.*43. Dicam *Aquiloni: dà, & Auſtro noli prohibere: afferfilios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ* 69.*lit.*s.
*cap.*44. *Vos eſtis teſtes mei dicit* Dominus.54.*lit.*K.
cap. 45. *Verè tu es* Deus *abſconditus.*123.*lit.*y.
*cap.*52. *Mundamini,qui fertis vaſa* Domini.41.*lit.*K.
cap. 61. *Quaſi ſponſum decoratum corona,& quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* 36.*lit.*f.
*cap.*66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*139.*lit.* t.
Ieremias.
*Cap.*3. *Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis.* 137.*lit.*h.
*cap.*12. *Manus remiſſas erigite, & genua debilia roborate.*53.*lit.*d.
cap. 26. *Ecce ego in manibus veſtris ſum, quod bonũ, & rectum eſt in oculis veſtris facite mihi.*123.*lit.* a.
Baruch.
Cap. 3. *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt* 66.*lit.*f.
Ezechiel.
*Cap.*9.*Signa Thau ſuper frontes virorum dolentium, & gementiũ ſuper cunctis abominationibus Ieruſalem.* 103.*lit.*b.
Daniel.
*Cap.*1. *Tenta nos diebus decem* 157.*lit.k.*
Ioel.
*Cap.*2.*Parce* Domine, *parce Populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes.* 169.*lit.*p.
Habacuc.
*Cap.*3.Deus *ab Auſtro veniet.* 69.*lit.*p.
Zacharias.
Cap. 11. *Ecce dabo vobis cor carneum, & ſcribam legem meã in cordibus veſtris.* 69
Malachias.
*Cap.*2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam,& legem requirent ex ore eius.* 73. *lit.*f.
Ex Lib. Machabæorum.
2.Mach.*cap.*1. *Orationes autẽ faciebant omnes Sacerdotes, dum cõſummaretur ſacrificium.Ionatha inchoante, ceteris autem reſpondentibus.* 95.*lit.*m.

NO-

NOVVM TESTAMENTVM

Ex Euangelio Matth.

Cap.4. N*ON in ſolo pane viuit homo.* 145. *lit.* s.

c. 5. *v.* 1. *Ieſus videns turbas aſcendit in Montē, & aperiēs os ſuum docebat eos.* 75. *lit.* m. *v.* 5. *Beati qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur.* 60. *lit.* l. *v.* 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.* 67. *lit.* K. 147. *lit.* o. *v.* 17. *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere,* 56. *lit.* r.

*c.*6. *v.* 11. *Panem noſtrum ſuperſuſtantialem da nobis hodie.* 154. *lit.* u. *v.* 17. *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* 20. *lit.* h.

*cap.*7. *Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens.* 55. *lit.* n.

cap. 9. *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & ieiunio.* 10. *lit.* z.

cap. 10. *In viam gentium ne abieritis* 65. *lit.* y. *v.* 7. *euntes prędicate, dicentes appropinquauit Regnum Cœlorum,* 67. *lit.* f. *v.* 41. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetę mercedē Prophetę accipiet.* 67. *lit.* g.

*c.*11. *v.* 3. *Tu es qui vēturus es.* 56. *lit.* p. *v.* 11. *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta.* 56. *lit.* s. *v.* 25. *Confiteor tibi Pater* Domine *Cœli, & terræ.* 29. *lit.* m. *ver.* 27. *Nemo nouit, filium niſi Pater; neq; Patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* 148. *lit.* s.

cap. 12. *Ecce puer meus electus, quem elegi ponam ſuper eum ſpiritum meum.* 133. *lit.* i.

*c.*15. *Nō lotis manibus manducare non coinquinat hominē, quæ verò de ore procedunt, & de corde exeunt, &c. hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.* 21. *lit.* K.

cap. 17. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* 133. *lit.* h.

cap. 18. *Vbicumque fuerint duo vel tres in nomine meo in medio eorum ſum.* 27. *lit.* c. *v.* 32. *Serue nequàm omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: non ne ergo oportuit, & te miſereri conſerui tui,*

tui ſicut, & ego tui miſertus ſum,& iratus Dominus eius tradidit eũ tortoribus, donec redderet vniuerſũ debitum. Sic,& pater meus cęleſtis faciet vobis, ſi non dimiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. 156. *lit.* b.

*cap.*19. *Sedebitis, & vos ſuper ſedes duodecim tribus Iſrael.*58.*lit.*z.

*cap.*21.*Turbę autem,quæ præcedebant,& quæ ſequebãtur acclamabant dicentes hoſanna filio Dauid.*15.*lit.*p.99. *li.* f.*v.*22.*& omnia quęcumque petieritis in oratione credentes accipietis.*43.*lit.*h.

cap. 22. *Amice quomodo huc intraſti,non habens veſtem nuptialem.*14.*lit.*o.

